Confess.

Monial.

CONFESSARIUS MONIALIUM

Cum noviſſimis Additionibus.

CONFESSARIUS MONIALIUM

Commoda, Brevi, & Practica Methodo Instructus

Circa earum Obligationes, Privilegia, & cætera ferè omnia ad hanc Materiam spectantia

A P. D.

CAJETANO DE ALEXANDRIS

Clerico Regulari Sacræ Theologiæ Professore.

EDITIO SECUNDA

Pluribus in locis locupletata.

VENETIIS,

Apud PAULUM BALLEONIUM.

M. DCCXIII.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

LECTORI.

MIraris, quòd argumento à tot eruditiſſimis Scriptoribus illuſtrato ego quoque auſim tenuem calamum admovere? Unam excipe audaciæ meæ excuſationem. Qui operis novitate placere non potui, ſtudui brevitate juvare; levabit ſanè prolixæ inquiſitionis laborem coacta in anguſtum materia. Hùc ego ſpectavi. Conatum approba, ſi rem non potes. Fruere opere, ſi placet, & quæ placere non poſſunt, excuſa.

INDEX

Capitum, & Paragraphorum.

CAPUT I.

De Monialium obligationibus ratione ſtatus.

§.1. *De obligatione monialium tendendi ad perfectionem.* pag.1
§.2. *De obligatione monialium ratione regulæ.* 4

CAPUT II.

De Puellarum receptione ad habitum.

§.1. *De conditionibus requiſitis in puellis recipiendis.* 7
§.2. *De exploratione voluntatis.* 17
§.3. *De Anno Probationis.* 22
§.4. *De Bonorum renunciatione.* 31
§.5. *De Dote ante profeſſionem ſolvenda.* 43
§.6. *De monialium Profeſſione.* 57

CAPUT III.

De Monialium Conſecratione. 71

C A-

CAPUT IV.

De Voti Paupertatis obligatione.

§. 1. *De natura Voti Paupertatis.* 78
§. 2. *De Peculio, & ejus usu.* 89
§. 3. *De licentia requisita ad licitè distrahendum.* 99
§. 4. *De largitione munerum.* 106

CAPUT V.

De Voto Religiosæ Castitatis. 112

CAPUT VI.

De Monialium subjectione erga Superiores ex vi voti Obedientiæ.

§. 1. *De natura voti obedientie.* 123
§. 2. *De subjectione quoad Ordinarium.* 132
§. 3. *De subjectione erga Prælatum regularem.* 146
§. 4. *De subjectione quoad canonicam Visitationem.* 149
§. 5. *De subjectione quoad pœnas.* 155
§. 6. *De subjectione quoad Confessarium.* 158
§. 7. *De Officio Confessarii.* 164
§. 8. *De Confessario quoad absolutionem à reservatis.* 178
§. 9. *De Confessario Monialium quoad sigillum Confessionis.* 190

§. 10. *De Confessario quoad sollicitationem.* 198
§. 11. *De Confessario quoad Moniales scrupulosas.* 209
§. 12. *De Confessario quoad Moniales habentes visiones, &c.* 219
§. 13. *De Confessario Extraordinario.* 227

CAPUT VII.

De Monialium obligatione quoad Clausuram.

§. 1. *De Clausura in communi.* 237
§. 2. *De licentia ad ingrediendam Clausuram requisita.* 245
§. 3. *De causa requisita ad concedendam dictam licentiam.* 252
§. 4. *De Clausura quoad ingressum Prælatorum.* 257
§. 5. *De Clausura quoad ingressum officialium &c.* 262
§. 6. *De Clausura quoad ingressum Confessarii.* 270
§. 7. *De Clausura quoad mulierum ingressum.* 278
§. 8. *De Clausura quoad puellas in educationem recipiendas.* 285
§. 9. *De Clausura quoad Monialium egressum.* 294
§. 10. *De Clausura quoad accessum extraneorum.* 306
§. 11. *De pœnis contra violantes Clausuram.* 326.

CAPUT VIII.

De præcipuis Monialium obligationibus.

§. 1. *De Horarum Canonicarum obligatione.* 338
§. 2. *De obligatione quoad Missam.* 350
§. 3. *De obligatione quoad Confessionem, & Communionem.* 356
§. 4. *De obligatione quoad jejuniorum, & Festorum observantiam.* 362

CAPUT IX.

De obligationibus Monialium quoad electionem Abbatissæ.

§. 1. *De qualitatibus eligendæ in Abbatissam.* 374
§. 2. *A quibus, & quomodo eligenda sit Abbatissa.* 379
§. 3. *Per quot annos debeat eligi Abbatissa.* 385
§. 4. *De confirmatione, & benedictione Abbatissæ.* 388

CAPUT X.

De Monialium Privilegiis. 392

CAPUT XI.

De particularium Monialium obligationibus, & privilegiis.

§. 1. *De obligationibus, & privilegiis Abbatissæ.* 407
§. 2. *De Vicariæ, & Discretarum, seu Decanarum obligationibus.* 432
§. 3. *De obligationibus & privilegiis Magistræ Novitiarum.* 437
§. 4. *De obligationibus & privilegiis Novitiarum.* 444
§. 5. *De Sacristanæ obligationibus & privilegiis.* 457
§. 6. *De Infirmarum obligationibus & privilegiis.* 467
§. 7. *De Infirmariæ obligationibus & privilegiis.* 488
§. 8. *De Aromatariæ obigationibus & privilegiis.* 493
§. 9. *De Cellerariæ obligationibus, & Privilegiis.* 501
§. 10. *De Janitoriæ, Rotariæ, & Auscultatricum obligationibus.* 509
§. 11. *De Conversarum obligationibus, & privilegiis.* 517
§. 12. *De Tertiariarum obligationibus, & Privilegiis.* 529

D. ANTONIUS MARIA CORREALE Congregationis Clericorum Regularium Præpositus Generalis.

HOc Opus inscriptum *Confessarius Monialium* à P. D. Cajetano de Alexandris nostræ Congregationis Theologo compositum, & juxta assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, ut Typis mandetur, quoad Nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propria subscripsimus, & solito nostro Sigillo firmavimus.

Dat. Romæ die 24. Septembris 1712.

D. Antonius Maria Correale Præpositus Generalis Clericorum Regularium.

D. Joseph Maria Aliprandi Secretarius.

NOI RIFORMATORI
Dello ſtudio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Confeſſarius Monialium &c. Inſtructus à P. Cajetano de Alexandris Clerico Regulari*, non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza à Paolo Baglioni, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. li 18. Settembre 1712.

(Gerolamo Venier Kav. Proc. Rif.

(

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

CON-

CONFESSARIUS MONIALIUM.

CAPUT PRIMUM.

De Monialium obligationibus.

§. 1.

De obligatione Monialium tendendi ad perfectionem ratione ſtatus.

VIrgines contemplativam, & cœnobiticam vitam profitentes, variis in primitiva Eccleſia fuerunt nominibus nuncupatæ, & quidem omnibus ſanctitatem præſeferentibus. Sacerdotes illas appellavit Baſilius, Deo Sacratas Fulgentius, & velatas Chriſti Sponſas Optatus. Hoc noſtro ævo intitulantur Moniales à Græco nomine Μονιὸς, quod *ſolitudinem captantes* ſignificat. Hæc tam ſpecioſa, & plena Religionis vocabula enunciant, quales exprimi debeant à Sa-

Sacris Virginibus mores; unde meritò Tractatum hunc ab obligatione, qua tendere ad perfectionem tenentur, exordimur. Igitur

QUÆR. I. Utrùm Moniales teneantur ex vi ſuæ profeſſionis tendere ad perfectionem.

1. RESP. Affirmativè, quia hæc eſt obligatio ſui ſtatus, & in quo differunt à laicis. Nam ſtatui laicorum ſolùm dicitur à Chriſto Matthæi 19. *Serva mandata*. Statui verò Religioſorum, qui inſinuatur illis verbis, *Si vis perfectus eſſe*, ulteriùs dicitur, *Vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me*; per quod denotantur conſilia, & per conſequens perfectionis ſequela. Non tenentur tamen tendere ad perfectionem per omnia opera conſiliorum, aut ſupererogationis, ſed per illa tantùm, quæ ſunt ſecundum Regulam, & obſervantias ſui Ordinis, quia non ſe obligaverunt niſi ad illam perfectionem, quæ mediis inſtitutis ſuæ Religionis comparari poteſt. Neque tenentur eſſe perfectæ in facto eſſe; quia ſtatus Religionis non eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, ſed acquirendæ. Unde neque tenentur ex vi hujus obligationis domitas, ſeu ſuperatas habere omnes ſuas paſſiones inordinatas; ſed ſufficit, ut ad eas vincendas, quantum potuerint, conentur.

QUÆR. II. An prædicta obligato tendendi ad perfectionem ſit ſub mortali.

RESP. Affirmativè, quia eſt de re graviſſima, quam noverunt, & in qua conſiſtit

ſtit ſubſtantia ſtatus Religioſi. Ita Corduba, & Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 48. *art.* 1. Non eſſe tamen obbligationem diſtinctam ab obligatione ſervandi vota, & obſervantias regulares, probabilius eſt, ut notat Sanchez *in Decal. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 5. Quia culpæ, & præcepta niſi ex evidentiſſimis rationibus ſunt multiplicanda; cumque verſemur in materia odioſa, quod minimum eſt, ſequendum.

QUÆR. III. Quando contra hoc præceptum peccent Moniales.

RESP. Peccare contra hoc præceptum, quando tranſgrediuntur regulam, etiam ſi ad venialem tantùm, vel ad nullam culpam obligaret, eo fine, ut impediant perfectionem, aut quando firmiter ſtatuunt apud ſe, nullo modo curare de perfectione ſui ſtatus, quia hoc eſt directè contra id, quod promiſerunt. Valentia, Vaſq; & alii. Item quando intervenit contemptus conſiliorum, quibus pervenitur ad perfectionem. Cajetan. 2. 2. *qu.* 86. *art.* 9. Talis autem contemptus tunc intervenit, quando Monialis refugit ſubjici conſiliis divinis, ut à Deo traditis; vel quando parvi æſtimat opera ipſa conſiliorum, ita ut illa ſecundùm ſe vilipendat. Quare ſi Monialis ſpiritualem profectum, & divina conſilia, ut à Deo tradita, reveretur, & tantùm de illis non curat, quia non tenetur ad illa, nec ſunt neceſſaria ad ſalutem, non peccat mortaliter. Sanchez *loc. cit. nu.* 9. ubi ſubdit, venialiter tamen peccare, quia aliqualis contemptus eſt omittere intentionem, & exe-

cu-

cutionem mediorum conducentium ad profectum ſpiritualem.

§. II.

De obligatione Monialium ratione Regulæ.

QUÆR. I. AN, & quo genere obligationis teneantur Moniales ſervare Regulam, ſeu Conſtitutiones, & ſtatuta ſui Ordinis.

RESP. Teneri equidem, quia Regula, & Conſtitutiones participant rationem legis, cui ſe ſubjecerunt per promiſſionem factam in profeſſione. Qua autem obligatione teneantur, an ſcilicet ad culpam, vel ad pœnam tantùm, vel ad utramque, ex ipſis regulis metiendum eſt. Advertendum tamen, quòd ſi Regulæ, ſeu Conſtitutionum transgreſſio fiat ex contemptu formali, ſemper eſt peccatum mortale, ut diximus ſuprà de obligatione tendendi ad perfectionem, quia eſt peccatum inobedientiæ formalis; & hoc verum eſt, etiam ſi Regulæ non obligent ad ullum peccatum, vel ad veniale tantùm, quia licèt materia ſit levis, contemptus tamen eſt gravis, & formalis. Ita Navar. Cord. Valent. & Barthol. à S. Fauſto *in Theſauro Religioſ. lib. 6. q. 157.* Quòd ſi trāſgreſſio Regulæ, ad nullam culpam obligantis, oriatur ex nimia cupiditate erga aliquid, & non ex alio malo fine, eſt peccatum veniale, quia dato, quòd à Regula non eſſet prohibita illa actio, eſſet tamen culpa ex libidine, id eſt

ex

ex nimia cupiditate, ergo à fortiori venialis erit, dum à Regula est prohibita. Ita D. Tho. 2. 2. *q.* 186. *art.* 6. *ad* 1.

QUÆR. II. An Monialis, quæ passim ex consuetudine violat Regulam, quæ non obligat ad culpam, peccet mortaliter ex contemptu.

RESP. Negativè, quia contemptus inclusus in illa consuetudine non est formalis, sed interpretativus; nam formalis contemptus in solo actu interiori voluntatis perficitur, ac proinde ob solam externi operis multiplicationem induci nequit. Benè verum est, quòd consuetudo supradicta disponit ad contemptum formalem, sicuti venialia peccata sæpè reiterata disponunt ad mortale. Ita D. Thom. *loc. cit. ad* 3. Quare Monialis tenetur sub mortali eam consuetudinem tollere, quotiescunque advertit per illam exponi periculo labendi in contemptum formalem, vel votorum transgressionem, vel etiam præbendi aliis occasionem transgressionis. Sicut, quamvis consuetudo jurandi non possit dici peccatum mortale, at negligentia illam extirpandi, animadverso perjuriorum periculo inde consurgente, est lethalis. Sanch. *in Decal. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 21.

QUÆR. III. An quando Regula consuetudine laxata est, teneantur Moniales in suo pristino rigore eam servare.

RESP. Quòd si Regula accipiatur prout dicit tria substantialia religionis vota, debet exactè in suo pristino rigore servari, quia tria vota obligant ex jure divino natu-

rali,

tali, adversùs quod nulla consuetudo prævalere potest. Si verò regula accipiatur quatenus præscribit alia tribus votis adjuncta, inter quæ adnumerandus est modus paupertatis, & obedientiæ, potest consuetudine tolli, quia sicuti cùm Superior dispensat in aliqua ex illis legibus, excusatur à culpa non observans, excusabuntur similiter Moniales ex consuetudine non servantes aliqua ex præscriptis in regula, cùm contra legem eadem sit vis consuetudinis, & dispensationis. S. Thom. 4. *dist.* 38. *qu.* 1. *ar.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 5. & ibi Cajetan. Turrecrem. Palac. aliique plurimi relati à Sanchez *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 26.

QUÆR. IV. An saltem si regula reformetur, & ad pristinum statum restituatur, teneantur illam sic reformatam servare.

RESP. Si Moniales tempore professionis limitatam habuerant intentionem, non se ampliùs obligandi, quàm ad illam regulam sic relaxatam, tunc non tenentur reformatam servare, quia actus non obligant ultra intentionem agentium. Ita multi apud Sanchez *loc. cit. nu.* 39. Si verò absque illa expressa limitatione professæ sunt, tenentur regulam sic reformatam amplecti; quia sponte sua in religione profitentes, se ita regulæ, & vitæ religiosæ subjiciunt, ut paratæ esse debeant, quantum ex se est, ad conservationem ipsius procurandam: quare si bonus religionis status collapsus sit, tenentur moniales pati, ut instauretur, & per consequens tenentur etiam regulam sic instauratam observare. Sanch. *loc. cit.* aliique

que plurimi ibi relati. Licèt tamen regulares regulam, quam professi sunt, teneantur observare, & cogendi sint; nihilominus Moniales, quæ non ita exactè eam observant, veluti in jejuniis, in comedendo carnes, gestando indusium lineum, recitandis horis matutinis certa hora noctis, sunt tolerandæ, ut in monialibus Sancti Benedicti; & hoc esse juxta mentem Gregorii XIII. asserit Pignatel. *tom.* 8. *consult.* 45. *num.* 25.

CAPUT II.

De Puellarum receptione ad habitum Religionis.

§. I.

De conditionibus requisitis in Puellis recipiendis.

QUÆR. I. QUæ conditiones attendi debeant in puellis ad habitum recipiendis.

RESP. Varias præscibi conditiones tum jure naturali, tum jure Pontificio, tum jure particulari singularum Religionum. Ideò hæc omnia attendere debent moniales, Deum solum, & bonum Religionis præ oculis habentes, omni carnis sanguinisque interesse postposito. Solùm igitur idoneas quoad tempus, & vires recipiant, considerata religionis austeritate majori, vel minori, attentisque labo-

boribus, ad quos assumuntur puellæ. Si enim aliqua in conversam recipiatur viribus destituta, certum est, quòd non erit habilis; & similiter si ad asperrimam Capucinarum religionem assumatur aliqua delicatula, & debilis, non attenditur in hoc bonum religionis.

QUÆR. II. An amens in aliquo genere, sed in reliquis ratione utens, possit ad probationem, & professionem admitti.

RESP. Ex Bordon. *variar. resol. p. 2. resol. 54. nu. 25.* affirmativè, quia cognoscit quid experiatur, & ad quid se obliget, ut suppono. Imò ejusmodi personæ potiùs simplices, & leves, quàm amentes dicendæ sunt. Item si dementia superveniat Novitiæ jam receptæ, non per hoc tenetur vel novitiatum denuò incipere, vel phrænesis tempus supplere, si per octo, vel quindecim tantùm dies duraverit, cùm tam breve tempus pro nihilo reputetur. Secùs verò est, si in dicta alienatione mentis duret per mensem; nam licèt tunc non teneatur novum novitiatum incipere, cùm non censeatur eo tempore novitiatus interruptus, tenetur tamen, tempus illud dementiæ supplere, quia qui rationis compos non est, disciplinam ecclesiasticam experiri non potest. Ita Sanch. & Barbos. citati à Peyrin. *t. 2. q. 3. §. 2. n. 39.* contra Bordon. *loc. cit. n. 27.* qui negat debere suppleri, & contra Suarez, qui sustinet novum novitiatum esse incipiendum.

QUÆR. III. Ad quem spectet probare dementiam in ordine ad expellendam puellam Monasterio.

RESP.

Resp. Ad illum spectare, qui vult illam excludere, Glos. *in cap. Gonsaldus* 17. *q.* 2. Talis autem dementia probari potest per alias moniales, cum quibus stulta conversata fuit. Rota *vol.* 2. *decis.* 107. *num.* 8. quia vicinis, & cum quibus conversamur, præsumuntur nota facta nostra, *ex cap. quosdam* 7. *cap. quanto* 8. *de præsumpt.* ubi *n.* 24. dicit, dementiam esse probandam adfuisse tempore professionis, & censetur probata, si constet de amentia ante, & post professionem, quia probatis extremis, præsumitur de mediis, ut de furore argumentantur Anchar. Ruin. & Curtius junior relati à Bordon. *supra nu.* 35.

Quær. IV. An viduæ, & illicitè corruptæ possint ad religionis habitum admitti.

Resp. Quoad viduas affirmativè stando in jure communi, tum ex ipso usu Ecclesiæ, tum ex cap. *Vidua* 20. *q.* 1. & cap. *Viduas*, 1. *&* 3. sed viduam non convenire admittere ad habitum monachalem virginum declaravit Sacra Congreg. Episcop. apud Gavant. *in Man. Episcop. v. Monialium receptio num.* 7. Quo ad fœminas verò illicitè corruptas, maximè si lapsus carnis est publicus, decens est non admitti propter scandalum cæterarum, nisi in specialibus monasteriis mulierum pœnitentium, & nisi fortè sint aliquæ circumstantiæ, quæ tale scandalum aut minuant, aut tollant. Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 9. *lib.* 1. *cap.* 11. *nn.* 2. Lezana *qq. regular. cap.* 25. *nu.* 9.

Quær. V. An Hermaphroditus, si præ-

prævalet sexus fœmineus, possit ad religionem admitti.

Resp. cum communi negativè, quia id esset in scandalum, & offendiculum multarum, quæ ratio desumpta est *ex cap. Definimus* 18. *quæst.* 2.

Quær. VI. An debeant attendi aliæ conditiones in puellis recipiendis.

Resp. Affirmativè, scilicèt, illas debere esse irreprehensibiles, morigeratas, ut decet sponsas Christi. Ab ipsis procul debet esse omnis defectus, qui aliis virginibus nocere possit, tum ratione mali exempli, & scandali, tum ratione periculi inficiendi in reliquis mores, & religiosàm observantiam. Unde scandalosæ, petulantes, excommunicatæ, hæreticæ, vel schismaticæ aut flagitiosæ, à domo Dei excluduntur, ut expressè habetur in cap. 1. *de stat. Relig.* 12. *in* 6. Neque debet admitti contagiosa, morbosa, aut dæmoniaca, vel furiosa; immò si talis reperiatur ante professionem, est expellenda.

Quær. VII. An puella muta, & surda, vel cæca possit ad Religionem admitti.

Resp. Affirmativè, dummodò probetur pollere intellectu perfecto, & signis posse cõsensum exprimere; si enim ad matrimonium carnale est apta, ut probat Sanch. *de matrim. lib. disp.* 8. *n.* 12. cur non erit ad spirituale, cum nec minor obligationis notitia, nec consensus minor desideretur in matrimonio carnali, quàm in spirituali? Ita pluribus adductis Diana *in opere coord. t.* 7. *tract.* 1. *resol.* 142. ubi ex Sanch. *in sum. t.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 2. notat hoc non procedere, si non solùm sit muta, & surda,

da, sed etiam cœca, quia muta tantùm, & surda, solis signis edoceri potest professionis naturam, quam per nutus percipere non potest si cœca; neque pariter habere locum, si cœca sit simul, & surda, quamvis non muta, licèt hoc non è natura habeat, sed casu; nequit enim verbis edoceri, quia surda; nec nutibus, quia cœca.

QUÆR. VIII. Quid agendum si recipiatur puella, quæ postea detegatur gravida, & pariat in Monasterio.

RESP. Admonendum esse Episcopum, qui, si casus sit occultus, solisque Monialibus notus, & timeatur ab expulsione scandalum, vel immineat puellæ à parentibus vitæ periculum, illam intra Monasterium detrudet in carcerem, à quo non debet amoveri, nisi priùs Sacra Congregatione consulta. Interim Monialibus prohibendum cum illa colloqui, & novitiatus annum non currere, rescripsit Episcopo Interamnen. Sacra Congregatio 6. *Julii* 1593. apud Pignatel. *t.* 6. *consult.* 85. *nu.* 214.

QUÆR. IX. An conditiones assignatæ à Sixto V. pro receptione, & professione novitiorum extendantur ad Moniales.

RESP. Negativè, ita enim declaravit ipsemet Sixtus V. in secunda constitutione *Ad Romanum spectat*. Idem dicendum esse de Decretis Clement. VIII. & Urbani VIII. circa receptionem & institutionem novitiorum, asserit Lezan. *loc. cit. nu.* 52.

QUÆR. X. An puellæ recipi possint ad habitum ante annum duodecimum expletum.

RESP.

Resp. Negant Rodriq. Nald. Tamburin. *de jure Abbatiſs. diſp.* 4. *q.* 2. *num.* 2. & colligunt ex Trident. *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 17. ubi ſic habet: *Sancta Synodus ſtatuit, atque decernit, ut, ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat; nec poſteà ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quàm exploraverit Epiſcopus &c.* Nihil tamen in hoc decreto Concilium ſtatuere de ætate puellarum recipiendarum ad habitum religionis, docent Sanch. *in decal. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 33. Villalob. Miranda, Sanchez, & alii, præcipuè Medina *lib.* 4. *de continen. controv.* 9. *cap.* 4. qui interfuit Concil. Trident. quando hoc ſancitum fuit. Ratio eſt, quia Concilium ſolùm decernit de exploratione voluntatis earum, quæ ſuſcipiunt habitum, & profitentur, quòd nimirum ſit ab Epiſcopo, vel ejus Vicario exploranda voluntas, ſi ſint majores duodecim annis. Priorem tamen ſententiam amplectendam cenſeo, attenta declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Vecchius *in prax. Novit. diſp.* 2. *dub.* 6. & eſt tenoris ſequentis: *Congregatio reſcripſit aliquam puellam non debere admitti ante duodecimum annum ad habitum ſuſcipiendum, cujus cauſa requiritur voluntatis puellæ exploratio. Non eſt autem voluntas Congregationis, neque Concilii, ut ante illam ætatem puella admittatur.* Quare puellæ natu minores nullatenùs admittendæ ſunt, niſi impetrata licentia à Sacra Congregatione ſuper Epiſcop. & Regul. quæ non niſi rarò, ac matura deliberatione

illam

illam concedere consuevit, ut advertit Pignatel. *t.* 9. *consult.* 87. *nu.* 35. ubi notatur de praxi.

QUÆR. XI. Quid aliud requiratur ad validam puellarum receptionem.

RESP. Requiri Monialium consensum. Quia inter Monasterium recipiens, & monialem receptam fit contractus reciprocus perpetuò valiturus, si puella profiteatur, qui contractus subsistere non potest, nisi accedente reciproco consensu, quapropter monialium consensus requiritur.

QUÆR. XII. An debeat concurrere etiam Episcopi licentia, & Prælati, sub cujus gubernio existunt.

RESP. Affirmative. Quia receptio est aliquo modo actus jurisdictionis, quare oportet, ut Prælatus, apud quem est propria jurisdictio, concurrat. Ita Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 9. *lib.* 10. *cap.* 11.

QUÆR. XIII. An Episcopi licentia requiratur etiam pro recipiendis puellis in monasteria Regularibus subjecta.

RESP. Videri quòd non, quia concessio hujusmodi licentiæ est actus jurisdictionis, vel saltem superioritatis, ut diximus; Episcopus autem nullam habet superioritatem in Monasteria Regularibus subjecta; exceptis casibus à jure, & Pontificiis Constitutionibus expressis; quòd autem talem licentiam concedere spectet ad Episcopum, nullibi reperitur expressum. Nihilominus tenendum est, ad Episcopum spectare, quia id pertinet ad monialium clausuram, cujus conservatio Episcopis deman-

datur per Tridentinum, & ita declaravit Sacra Congregr. ſuper Epiſcop. quam declarationem refert Pignatel. *t.*4. *conſult.* 171. *n.*4.

QUÆR. XIV. An renuente Abbatiſſa poſſint Moniales recipere ad habitum religionis, ejuſque probationem, puellam ingreſſum religionis petentem.

RESP. Poſſe, dummodò accedat conſenſus Prælati; colligitur ex Suar. *loc. cit.* quia in actis capitularibus Abbatiſſa nullam exercet juriſdictionem ſibi qua tali propriam, nam juriſdictionis propriè dictæ eſt incapax; ergo ſe habet tantùm ut monialis talis monaſterii, unde fit, quòd ſicut renuente hac, vel illa moniali, nihilominus valida fieri poteſt receptio, ſi interveniat debitus numerus ſuffragiorum, ſic valida etiam erit receptio, quamvis diſſentiat Abbatiſſa.

QUÆR. XV. An Epiſcopus, vel Prælatus regularis reſpectu exemptarum poſſit invitis monialibus alicujus monaſterii aliquam monialem recipere.

RESP. Univerſaliter loquendo, quòd non, & ita docent Abbas cap. *poſtulaſtis. n.* 14. *de conceſ. præben.* & ibi Anton. *n.* 11. Imola *nu.* 15. & 16. ubi aſſerunt, expediendum ab Epiſcopo cum Capituli conſenſu indigere conſenſu Epiſcopi, & ultra illum, conſenſu majoris partis Capituli: & idem ait Abbas dicendum de quocunque Collegio. Verum tamen eſt, quòd ſi Monaſterium penuriam monialium haberet, & conventus monitus aſſignato ſibi termino nollet admittere, in tali caſu poſſet Epiſcopus, vel Prælatus ſupplere conventus conſenſum; quod probant Domi-

nic.

nic. cap. fin. *n.* 5. & ibi Francus in fine *de regular. in* 6. quos refert, & sequitur Sanch. *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 71.

QUÆR. XVI. An pecent moniales mortaliter, si absque justa causa denegent votum puellæ aliàs idoneæ ad ingrediendam religionem.

RESP. Contra Sanchez, & Caramuel affirmativè, quia lædunt charitatem proximi in re gravi, nam unicuiq; mandavit Deus de proximo suo; & operantur contra bonum religionis, quia expellunt idoneas. Ita Barth. à S. Fausto, & Miranda cum aliis. Quod à fortiori locum habet in admissione ad professionem, cùm ad ipsam puella, dummodo sit idonea, habeat jus acquisitum.

QUÆR. XVII. An puella semel, ac iterùm capitulariter excluſa ab admissione ad religionem, coacto iterùm capitulo admitti possit.

RESP. Affirmativè ex declaratione Sacræ Congregationis *in Assisien.* 19. *Junii* 1601. apud Nicol. *v. Novitia. n.* 23. & hoc maximè locum habet, si occurrant de novo rationes id suadentes. E contrà poterit puella capitulariter admissa coacto iterùm capitulo novis causis superveniétibus excludi; contrariorum enim eadem est disciplina quantum ad juris dispositionem. *l. diem*, §. *stari. ff. de arbitris*, & notat Peregrin. *p.* 2. *constit. c.* 5. §. 11. & 12.

QUÆR. XVIII. An moniales possint recipere in quocunque numero puellas petentes religionis ingressum, si aliàs dotibus requisitis sint præditæ.

Resp. Non posse si in monasterio extet jam numerus monialium taxatus juxta decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de regular.* ac Constitutionem Pii V. *Circa pastoralis*, quibus statuitur, ut receptio monialium non fiat nisi intra numerum monialium, quæ ex redditibus, aut consuetis eleemosynis sustentari comodè possint.

Quær. XIX. An possit admitti supra numerum puella, quæ secum deferat dotem, ex qua commodè valeat sustentari.

Resp. Affirmant Suar. Navar. Lezan. & alii relati à Novar. *Sum. Bull. comment.* 95. *nu.* 7. Nam talis dos computari potest inter eleemosynas, aut redditus monasterii, sicque cessat ratio præsentis prohibitionis. Puto nihilominus non esse recedendum à sententia Portel. qui dicit præfatam puellam non esse recipiendam absq; legitima licentia, ob expressam prohibitionem factam.

Quær. XX. An professio puellæ supra numerum admissæ sit irrita.

Resp. Affirmativè juxta dispositionem *cap. unic.* §. *sanè de statu Regular. in* 6. Talem tamen irritationem putat Sanchez consuetudine abrogatam, quod non admittit Castro Palaus dicens, constare de irritatione, de consuetudine verò abrogante non constare. Notat tamen Lezana *ex declaratione Sac. Congregat. sub die* 6. *Septembris* 1604. Moniales, quæ supra numerum præfixum in quocunque Monasterio recipiuntur, in locum morientium monialium non subrogari (nisi in licentia, quæ impetrari debet à Sacra Congregatione, teste Gavant.

vant. aliter sit dispositum). Nec obstare, quin aliæ in locum earundem ex numero constituto demortuarum recipi eodem modo possint, quo in unoquoque Monasterio admitti possunt intra numerum, quinimò præfatas moniales sic supra numerum receptas semper quo ad hoc manere supranumerarias, esto in cæteris nihil differant ab aliis, & iis in omnibus sint pares.

QUÆR. XXI. Utrùm Episcopus possit numerum augere, si contingat, redditus annuos ita crescere, ut ex iis possit major numerus sustentari sine dispendio monasterii.

RESP. Neque in hoc casu numerum monialium augeri posse ab Ordinario sine licentia Sacræ Congregationis. Ita pluries declaravit Sac. Congregat. *super Episcop. & Regular. in Brundusina die* 12. *Martii* 1602. *in Lauretana* 27. *Julii* 1604. & 23. *Julii* 1649. quæ non conceditur, nisi redditus ita sint aucti, ut quotannis ultra triginta aureos annuos sit aliquid reliqui, *ut in Rhegien.* 29. *Novembris* 1600.

§. II.

De exploratione Voluntatis puellæ recipiendæ.

QUÆR. I. AN, à quo, & quando puellæ recipiendæ voluntas sit exploranda.

RESP. Ex Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 17. puellæ voluntatem esse ex-

plorandam ab Episcopo, vel eo absente, vel impedito, ab ejus Vicario, aut aliquo eorum sumptibus ab eis deputato. Est autem exploratio hæc bis facienda, antequam scilicet puella habitum religionis suscipiat, & professionem emittat. Si tamen alicubi sit legitimè præscriptum, quòd semel tantùm voluntas exploretur, servandam esse consuetudinem, non obstante Tridentini decreto, docent Miranda, Villalob. Portel. Sanch. & Rodriquez *t.* 3. *qq. regular. q.* 12. *art.* 3. ubi in praxi testatur in Hispania servari. Ubi verò utraque exploratio est in usu, si omittatur prima in ordine ad habitum, sufficit secunda in ordine ad professionem, & ita referunt decisum à Sacra Congregatione Praxis Episcop. *p.* 1. *v. Moniales*. Barbos. *de potest. Epis. allegat.* 500. *n.* 4. Quòd si contingeret utramque explorationem omitti, peccaretur quidem mortaliter, quia violaretur constitutio Concilii Tridentini in re gravi, non tamen irrita esset professio, cùm Concilium non ponat decretum irritans. Rodriquez, Barbos. Tamburin. & Sanch. *lib.* 5. *sum. cap.* 4. *n.* 284. & ita declaravit Sacr. Congreg. Concilii apud Fagnanum.

QUÆR. II. Ad quid ordinata fuit hæc voluntatis exploratio.

RESP. Ex eodem Concil. *loc. cit.* ad consulendum libertati puellarum, ad dignoscendum scilicet, an illarum electio inconsiderata sit, an seducta, an spontanea, an coacta.

QUÆR. III. Quid agere debeat Episcopus, si reperiat puellam non satis in vocatione constan-

ſtantem; vel vi, aut metu in monaſterium detruſam.

Resp. Quoad primum, debet præfigere terminum quindecim dierum, in quo deliberet, an velit induere habitum, aut profiteri, nec ne. Ita deciſum referunt Campanil. Barboſ. *allegat. cit. n.* 2. Tambur. *de jur. Abbatiſs. diſp.* 4. *qu.* 2. *nu.* 10. Quoad ſecundum, debet illam de monaſterio educere, in tuto collocare, ejus libertati conſulere, & ſi quid damni paſſa fuerit, illi providere expenſis illius, qui eam in monaſterium incluſit, qui propterea debet ſeverè puniri. Tamburin. cit. *diſp.* 33. *q.* 1. *n.* 9.

Quær. IV. An dentur aliqui caſus, in quibus licitum ſit cogere puellas ad religionis ingreſſum.

Resp. Tres caſus enumerat Peyrin. *t.* 1. *qu.* 1. *cap.* 29. *concl.* 2. quorum primus eſt, quando puella ſpontè religionem vovit. Secundus, quando conjux conſcia de diſpoſitione juris conſentit virum ingredi religionem, ut in ea profiteatur. Tertius, quando quis delictum commiſit, per quod neceſſe ſit in monaſterium detrudi. In ſecundo, & tertio caſu non poteſt cogi ad profitendum, ſed ad ingrediendum religionem, vel ad continentiam ſervandam, vel ad luendam pœnam. Cogi inſuper poteſt, ſi conjugata poſt duos menſes renuat conſummare matrimonium, ad deliberandum de religione. Si poſt quinquenium dicat profeſſionem fuiſſe nullam. Præter hos caſus, compellere ad religionem expreſsè prohibetur ſub pœna excommunicationis majoris, non tamen

reservatæ, à Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 18.

QUÆR. V. An decretum Concilii, in quo agit de coactione, debeat intelligi de coactione propriè dicta.

RESP. Affirmativè. Ita Azor. *p.* 1. *lib.* 13. *cap.* 9. *q.* 2. Barbos. *allegat.* 104. *nu.* 3. afferen. Armendar. testantem, ita fuisse decisum; cum enim decretum sit pœnale, debet strictè accipi, atque adeò de coactione strictè, & rigorosè sumpta. Hinc neque vehemens persuasio, neque preces, nisi sint personæ, à qua proveniat metus reverentialis, subsunt huic pœnæ, ut notat Bonacin. *de censur. disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 1. *nu.* 1.

QUÆR. VI. An hæc excommunicatio extendatur ad dantes consilium, auxilium, consensum, aut favorem.

RESP. Affirmativè ex Concil. Trid. quia hujusmodi actus, cùm sint accessorii, & correspectivi ad priorem actum, aliquo modo influunt in ipsum, unde meritò comprehenduntur sub prohibitione. Et ob eandem rationem extenditur pœna etiam ad scientes puellam sponte non ingredi, habitum suscipere, aut profiteri, si præsentes fuerint actui, aut consensum, aut auctoritatem interposuerint. Nomine tamen præsentiæ intelligitur tantùm illa præsentia, quæ fit ex proposito, & intentione actus prohibiti, ita ut contineat quemdam tacitum consensum, ut notat Sanch. *lib.* 4. *Sum. cap.* 4. *nu.* 21. Unde qui præsens esset ex alia causa, non subiiceretur huic pœnæ.

QUÆR. VII. An ad hoc, ut habeat locum

hæc

hæc excommunicatio, requiratur effectus, ſcilicet ingreſſus, aut habitus ſuſceptio, aut profeſſio.

Resp. Requiri, quia non imponitur niſi cogentibus ingredi &c. non dicitur autem cogi ingredi, niſi ſequatur effectus, ſcilicet ingreſſus &c. Neque habet locum, ſi coactio non ſit ad vitam religioſam ſuſcipiendam, ut notant Navar. Rodriquez, Zerol. Sanch. & Bonac. *diſp.cit.p.2. nu.6.*

Quær. VIII. An pro hac coactione inducenda ſufficiat metus.

Resp. Non eſſe dubitandum, ſi metus ſit gravis, quin ad inducendam coactionem ſufficit, quòd actus non ſit voluntarius; actus autem ex metu elicitus voluntarius non eſt; quia voluntas meticuloſa habet in ſuperficie volitionem, & in medulla nolitionem, *l. Nihil. ff. de reg. jur.* Bald. *in cap. quiſquis nu.* 11. *de elect.*

Quær. IX. An metus reverentialis ſufficiat ad hanc excommunicationem contrahendam.

Resp. Si ex ſe concipitur à puella ob reverentiam parentum abſque illorum cooperatione, non ſufficit, quia in tali caſu parentes non ſe habent activè, ita tenent Rodriquez, Ricius, Tambur. & Portel. *in dub. Regular. v. Moniales* 12. Si verò oritur ex declaratione voluntatis parentum, aut conſanguineorum, contrahitur præſens excommunicatio, ſiquidem in jure habetur ratio hujus timoris, unde non contradicens ob reverentiam non cenſetur conſentire, *l. ſi cum dotem*, §. *eo autem tem-*

pore, ff. de solut. matrim. Rursus reverentia parificatur cum metu, *l.* 1. §. *quæ onerandæ, ff. quar. rer. act. non det.*

QUÆR. X. An peccent moniales scienter recipientes puellam coactam suscipere habitum religionis, vel professionem emittere.

RESP. Quòd sic, & quidem mortaliter, Peyrin. *t.* 2. *q.* 3. *cap.* 1. §. 2. Si enim cogentes ad ingressum mortaliter peccant, peccabunt quoque moniales, quia recipientes puellam cooperantur actui injurioso libertati, & consequenter peccaminoso. Imò incidunt etiam in prædictam excommunicationem, quia coactio ad ingressum, & admissio in præsenti casu sunt correlativa, quia coactio, ut diximus, debet intelligi cum effectu, de natura autem correlativorum est, quòd dictum de uno, de altero quoque dictum esse censeatur, *l. ult. C. de ind. vid. tol. C. de Cupr. lib.* 11. Si ergo subduntur excommunicationi cogentes, subdentur etiam admittentes, quod clarè habetur ex Trident. *loc. cit.* ibi. *Quoquo modo eidem actui præsentiam, vel consensum interposuerint.* Ita Majol. & Tambur. quos refert, & sequitur Pasqualig. *in Lauret. p.* 1. *nu.* 664.

§. III.

De Anno Probationis.

QUÆR. I. A Quo tempore incipiat annus probationis.

RESP. Incipere à die susceptionis habitus, sive

sive ab eo die, quo communem sequitur aliarum monialium vitam, & incipit puella experiri religionis asperitates, ac incorporatur aliquo modo religioni, ita ut ponatur in dispositione, quòd fiat membrum ipsius. Miranda, Faustus, Pasqualig. & alii.

QUÆR. II. In qua ætate possint puellæ admitti ad annum probationis.

RESP. Cum communi non posse admitti ante perfectam pubertatem, quæ in fœminis perficitur anno duodecimo completo. Ratio est, quia tempus probationis datur ad hoc, ut novitiæ experiri possint religionis austeritates, inter quas supremum omnium locum tenet observantia castitatis, cujus difficultates impuberes nequeunt experiri.

QUÆR. III. An probationis annus debeat esse completus.

RESP. Debere; constat ex Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 15. ibi. *In quacunque religione tam virorum, quàm mulierum, nullus ad professionem admittatur, qui minori tempore quàm per annum in probatione steterit; professio autem anteà facta, sit nulla, nullosque habeat effectus.* Hoc decreto remanet sublata facultas remittendi annum probationis, qui de partium consensu remitti poterat, *ca. ad Apostolicam de Regular.*

QUÆR. IV. An iste annus debeat esse completus de momento in momentum.

RESP. Cum communi quòd sic, quia Concilium statuit, quòd nullus ad professionem admittatur, qui minori tempore, quàm per annum, in probatione fuerit; unde qui staret una hora, vel quadrante minus, staret mi-

nus anno, juxta *l.3.§. minorem, ff. de minor.* atque adeò contra ſtatutum Concilii operaretur. Tum quia quando anni aſſignantur cum præpoſitione *Per*, debent eſſe completi, *l. non putabam, & l. ſi annos, ff. de condition. & demonſt.* Diſſentiunt Rodriq. Gratian. Diana, & alii, aſſerentes ſufficere diem eſſe incœptam, quia in favorabilibus dies cœpta habetur pro completa, & in moralibus parum pro nihilo reputatur; ſed hæc non ſubſiſtunt, quia procedunt, quando lex aliter non diſponit, prout in caſu. Unde etiam in Anno biſſextili duo dies debent computari pro uno, quia tunc ille annus eo ſolum modo dicitur completus. Ita Sanch. Leſſius, Rodriq. & Lavor. qui refert ita deciſum fuiſſe à S. Congregat. Quare moniales admittentes ſcienter puellam ad profeſſionem ante dictum annum expletum peccant mortaliter, quia in re gravi agunt contra Concilium. Fauſtus, Leſſ. Sylveſt. & Peyr.

QUÆR. V. An probationis annus debeat eſſe continuus.

RESP. Cum communi affirmativè, quia, quando lex certum tempus requirit, intelligendum eſt de tempore continuo, ut volunt Doctores, & ita interpretatur conſuetudo, & declaravit Sacr. Congreg. Concilii, teſte Suar. *t.3. de Relig. lib.5. cap.15. num.3.* Sufficit tamen, quòd hæc continuatio ſit per annum expletum; unde ſi completo anno puella egrederetur à monaſterio, & poſteà rediret, profeſſionem emittere poſſet virtute anteactæ probationis,

nec

nec teneretur novum novitiatus annum incipere, ut contra Suarez, & Vecchium docet Sanchez cum Glos. 1. *in cap. eum qui de Regular. in 6.* quæ dicit, eum, qui certus est, certiorari ampliùs non oportere. Et hoc ipsum firmat Jo: Andr. *in addit. v. exivit.* & sequitur Lapp. *allegat.* 47. *num.* 2. *&* 3. S. Antonin. & Sylvest. dicens hanc sententiam esse indubitatam, quam etiam probavit Sacra Congregat. Concilii in Novitia, quæ exivit sine licentia. Item proposito dubio, An novitia, quæ finito anno probationis exivit è monasterio sine licentia Ordinarii, iterùm reversa, possit ad professionem sine nova probatione emittendam admitti. *Die* 12. *Februarii* 1598. *Sacra Congregat. censuit posse, nisi conditio religionis, aut personæ sit immutata, idque à superioribus Monasterii diligenter esse dispiciendum.*

Quær. VI. Quomodo probationis annus interrumpatur.

Resp. Interrumpi per quamcumque habitus dimissionem factam animo eum ampliùs non reassumendi, ac religionem deserendi. Ita Suarez, Vecchius, Portel. & Sanchez, qui cum Peyrin. Navar. & aliis censet, etiam per modicam interpolationem unius, vel duorum dierum probationis annum interrumpi. Quia tempus petitum ad aliquem actum, censetur peti tanquam forma, ut probat *text. auth. quæ supplicatio, cap. de precib. Imper. offer.* Omissio autem formæ in minimo

vi-

vitiat actum, ut alios allegans probat Tiraquel. *tract. de jud. in rebus exiguis n.* 12. Cùm ergo ad professionis valorem petat Tridentinum annum continuum, illam irritam reddet quantumvis minimus continuationis defectus. Quod maximè verum est, si novitia egrediatur cum animo determinato permanendi in sæculo, quia per egressum, & voluntatem non profitendi novitiatus antecedens dicitur extinctus, ut respondit Rota *in Milevitana nullitatis professionis coram Roya decis.* 491. *n.* 13. *& seq.*

Limitat hanc doctrinam Navar. *in* 1. *edit. lib.* 2. *consil. de regular. cons.* 45. *n.* 1. casu quo novitia brevi tempore latitaret in camera monasterii animo fugiendi, quia momentaneum, & non considerabile reputatur, stante permanentia, & continuatione in monasterio.

Quær. VII. An puella interrumpat probationis annum, si fugiat è monasterio habitu retento.

Resp. Interrumpere. Ita sentiunt Rosel. Sylvest. Manuel, & Sanchez quia per permanentiam extra religionem jugum obedientiæ interrumpitur. Et ita videntur sentire, etiam si animo redeundi fugiat. Hoc tamen non admittit Sanchez, nisi quando esset propriè fuga, qua religio deseritur animo etiam redeundi; nam si exiret ad vitandam tantùm Abbatissæ, vel Magistræ sævitiam, non teneretur incipere novitiatum, quia in rigore fugitiva non esset.

Quær. VIII. An censeri debeat interruptus probationis annus, si puella à Monialium

ca-

capitulo dimissa, & habitu religionis expoliata, postea mutata sententia ad habitum restituatur, antequam exeat è Monasterio.

Resp. Non censeri interruptum, quia in hoc casu habitus dimissio non est cum effectu egressionis. Suar. Vecch. & Peyrin.

Quær. IX. An probationis annus interrumpatur, si novitia tempore probationis, causa infirmitatis curandæ, in domum parentum habitu religionis induta se transferat.

Resp. Discrepant in hoc doctores. Non interrumpi putant Suar. *t.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 13. Navar. Sorb. & alii, & ita declaratum fuisse à Sac. Congreg. refert Vecch. *disp.* 12. *dub.* 3. *n.* 13. Censetur enim monachus esse in monasterio, quandiù extra moratur de licentia sui Abbatis, ut dixit Abb. *cap. cum illorum de sent. excom.* Quod procedit, etiam si hujusmodi licentia illicitè, & sine causa rationabili concedatur, ut ex Suar. & Diana notat Barbos. *allegat.* 101. *n.* 28. *de off. & potest. Episcop.* Aliter in hoc puncto judicavit Rota Romana, apud Farin. *p.* 1. *decis.* 171. *n.* 2. Quapropter priorem opinionem modò in praxi non esse tutam, ait Gratian. *discept. for. t.* 1. *cap.* 166. *num.* 16. quia continuitas anni probationis in religione est de forma, & in his, quæ sunt de forma, rigor juris servandus est. Amplectitur hanc secundam sententiam Peyrinus in casu longæ absentiæ sine causa procuratæ, ad fugiendas asperitates: si verò absentia sit per breve tempus aliquorum dierum, non mensium, admittit primam.

Quær. X. An sit de essentia quòd novitia-

tiatus compleatur à puella habitu religionis induta.

Resp. Esse de essentia; patet ex Trident. *sess. 25. de Regul. cap. 15. in illis verbis: Minori tempore quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit.* Hoc confirmat consuetudo, & suadet ratio; nam non posset novitia probare austeritatem monachalem, quæ magna ex parte in vestibus consistit. Ita Azor. Rodriquez, Sanch. Mirand. & alii. Et quidem vestis novitiæ debet esse secundùm regulæ suæ statuta, Sylvester *v. habitus num. 1. & 3.* & ubi figura, color, & materia vestium determinata sunt, peccaret mortaliter varians, vel mutans, nisi fieret mutatio parva, quæ non sit notabilis, ut in prolixitate, vel brevitate. Ita Tamburin. & ante eum Jo. Andr. *de regul. jur. reg. 88. nu. 3.*

Quær. XI. An moniali novitiæ justa de causa possit protrahi annus probationis.

Resp. Videri quòd non, quia Concilium *cit. sess. cap. 16.* expressè præcipit, quòd finito tempore novitiatus, Superiores novitias, quas habiles invenerint, ad professionem admittant, aut eas è monasterio eiiciant, & juxta hoc decretum Sacra Congregatio Concil. teste Mirand. *qu. 8. de Monial. art. 3.* declaravit, monialibus, elapso tempore novitiatus, si habiles sint, præfigiendum esse ab Ordinario terminum quindecim, aut viginti dierum, ad deliberandum, num velint profiteri nec ne, & si renuant profiteri, continuò remittendas esse ad parentes, aut consanguineos.

Ve-

Verùm per hoc decretum non tolli, quin ex rationabili causa possi prorogari annus probationis, & proinde verba illa *finito tempore* intelligenda esse civiliter, ac cum moderata latitudine, & quando nulla subest causa prorogandi, tradunt Rodriq. Navar. Sanch. Less. & Faustus, & ita declaravit Sac. Congreg. ut habetur ex *collect.* Card. Bellar. *ad cap.* 15. *de regul. sess.* 25. ita etiam observatur in praxi. Alioquin nimis durum esset, ut novitia revoluto anno probationis, confestim, & nulla interjecta mora, expellenda esset è Monasterio, si protinùs ob legitimum aliquod impedimentum profiteri non posset, aut pro qualibet brevi dilatione impetranda recurrendum esset ad Sedem Apostolicam.

Quær. XII. Quantum possit probationis tempus prorogari.

Resp. Quòd si prorogetur, quia novitia de præsenti sit inhabilis ad profitendum, & adsit spes superventuræ habilitatis; potest protrahi usque ad sextum mensem, sicuti declaravit Pius V. pro Patribus Dominicanis *in eorum Constit. ad text.* 11. *cap.* 14. *de Novit. dist.* 1. referente Donato *in Praxi regul. par.* 4. *tract.* 9. *q.* 18. *n.* 9. & cùm hoc sit fundatum in ratione, mihi videtur servandum, quia nisi per sex menses superveniat habilitas, non videtur ampliùs speranda, præsertim si agatur de moribus.

Si verò protrahatur ratione impedimenti, aut negotii, videndum est, an puella remaneat in novitiatu, ita ut continuari possit experimentum morum ipsius, an verò

exeat

exeat è monaſterio. Si remaneat in Novitiatu, atque adeò in experimento, exiſtimat Paſqual. *in Lauret. p.* 1. *nu.* 43. quòd poſſit prorogari per totum illud tempus, quo durat impedimentum, ſeu negotium, nam durante cauſa prorogationis poteſt etiam durare prorogatio, cùm inde non proveniat aliquod damnum religioni, immò poteſt diutiùs novitiæ mores experiri. At ſi exeat è Monaſterio, non poterit prorogari niſi per breve tempus, in quo non ſit moraliter poſſibile, quòd mutet mores, unde ad ſummum prorogari poterit per duos menſes, nam in minori tempore poſſet de morum mutatione dubitari.

QUÆR. XIII. An facta una prorogatione, poſſit fieri & alia.

RESP. Si debet fieri in ordine ad expectandam habilitatem, poterit fieri, ſi jam incœperit fieri habilis, ſecus autem ſi non incœperit, nam tunc prudenter cenſenda eſt deſperata habilitas. Si verò eſt facienda ob negotia, vel impedimenta, poterit fieri, ſi maneat in novitiatu; at ſi maneat extra monaſterium, nullo modo poteſt fieri, quia facilè illam diſciplinam exueret, qua in novitiatu fuit imbuta.

QUÆR. XIV. An quando prorogatur tempus, debeat compleri de momento in momentum.

RESP. Debere compleri, ſicut diximus de anno probationis, nam prorogatio cenſetur una & eadem cum prima diſpoſitione, ut per Rotam coram Seraphin. *deciſ.* 5326. *nu.* 3. & primum tempus præfixum ita confunditur

cum

cum tempore posteà addito per prorogationem, ut reputetur unum & idem tempus, non autem diversum à primo. Ita in terminis prorogationis novitiatus Rovit. *decis.* 40. *num.* 11.

QUÆR. XV. An puella de licentia Ordinarii possit recipi in habitu sæculari intra monasterium ad effectum quidem abitum religiosum suscipiendi, sed non nisi post plures dies.

RESP. Non posse, quia Ordinarii nullam auctoritatem habent introducendi puellas intra clausuram nisi ad effectum habitus illic suscipiendi in locis numerariis, ac directò ad locum novitiatus eundi. *Salernitana* 10. *Februarii* 1645. *&* 11. *Junii*. 1646. Hæc habitus susceptio debet fieri immediatè, vel ad summum, si adsit consuetudo, puellæ detineri possunt in habitu sæculari per duos, vel tres dies. In Brixien. 13. *Junii* 1594. Aliàs tam ingredientes, quàm recipientes incurrunt in censuras, & pœnas Bullæ Gregorii, 13. in Auximana 13. *Novembris* 1589. in Aften. 18. *Decemb. ejusd.* an.

§. IV.

De bonorum renunciatione ante professionem facienda.

QUÆR. I. QUæ forma in bonorum renunciatione sit servanda.

RESP. Forma in bonorum renunciatione servanda traditur à Concilio Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 16. ubi dicitur, *Nulla renuncia-*

ciatio, aut obligatio anteà facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.

QUÆR. II. Qui contractus comprehendantur sub nomine renunciationis, & obligationis.

RESP. Quòd, cum mens Concilii fuerit novitiorum libertati consulere, in hoc decreto comprehenduntur omnes illæ renunciationes, & obligationes, quæ difficilem è religione egressum possunt efficere. Quare sub hac prohibitione veniunt omnes contractus lucrativi, quales sunt donationes, renunciationes, fidejussiones, liberationes à reddendis rationibus &c. & etiam illi contractus onerosi, in quibus non tantumdem recipitur, quantum datur. Non tamen comprehenduntur contractus emptionis, & venditionis, permutationis, locationis &c. nec testamentum, quia in his casibus, cùm non minuatur patrimonium, non læditur libertas novitiæ, ita quòd difficilis reddatur egressus, ad quod respexit Concilium: cessante igitur ratione finali, cessabit quoque prohibitio. Ita Sanchez, *in Decal. t. 2. lib. 7. cap. 5. a. num.* 31. *usque ad* 35. alios referens. Addunt aliqui, posse novitiam de propriis bonis aliquid monasterio mutuare, maximè si intercedat fidejussio, vel pignus, aut saltem scriptu-

tura publica, quia ratio Concilii cessat in mutuo, nam si discedit novitia à religione, facilè recuperare poterit, quod mutuaverit monasterio. Verùm in praxi sequendum oppositum tamquam conformius menti Concilii.

QUÆR. III. An comprehendatur sub decreto renunciatio facta à novitia statim post susceptum habitum sub conditione, ut sit irrita, si non sequatur professio.

RESP. Comprehendi. Ita Navar. Rodriquez, & Faust. quos refert, & sequitur Sanchez *loc. cit. num.* 17. & ratio est, quia in renunciatione facta in tempore habili, & cum solemnitate requisita per decretum inest tacita conditio, ut professione nondum sequuta sit nullius valoris, & tamen ea solemnitas est necessaria; ergo dicendum idem est, ea conditione expressa, cùm taciti & expressi idem sit judicium, *l. cum quid. ff. si cert. pet.* & frustra exprimitur, quod tacitè subintelligitur, *l. Cornelia ff. de hæred. instit.*

QUÆR. IV. An renunciatio facta à puella de suis bonis ante ingressum, intuitu tamen ingressus religionis, sit valida.

RESP. Contra Navar. & alios, quos refert, & reprobat Sanchez *ubi supra num.* 3. esse validam. Quia puella renuncians ante habitus susceptionem est persona merè sæcularis, & tractatur de bonorum temporalium renunciatione; ergo non censetur de ea aliquid disponere voluisse Tridentinum, cum *in d. cap.* non loquatur de sæcularibus, sed de Novitiis, unde subintrat regula, quòd prohibita certo tempore, censentur

in

in reliquo permissa. Quare cùm ista renunnunciatio sit prohibita tempore novitiatus, in alio tempore, nempe ante novitiatum, censetur permissa. Et ita hanc sententiam tenent Mandos. Passarel. Gratian. Vega, & Sanch. *loc. cit. n.* 4. qui refert, Sacram Congreg. censuisse, dispositionem Concilii non habere locum in renunciatione facta antè susceptionem habitus.

Quær. V. An renunciatio facta à novitia religionem ingressa, non servatis solemnitatibus juris civilis, sit valida.

Resp. Quòd sic. Quia attendendus est status, in quo disponens reperitur, ad videndum, quibus legibus teneatur. Novitia autem, quamvis sit tantùm in via ad religionem, reputatur tamen pro persona Ecclesiastica. Cap. *Religioso.* §. 1. *de sent. excom.* ubi cæteri Canonistæ. Si ergo novitia est intra Statum Ecclesiasticum, non tenetur regulare suas dispositiones secundùm solemnitates juris civilis, & ideò iis deficientibus erit valida renunciatio. De hoc fusè Sperell. *decis.* 16. *nu.* 17.

Quær. VI. An renunciatio facta à Novitia [illegible] xta formam Tridentini in favorem mon[illegible]erii, vel alterius, corruat, si novitia ante professionem moriatur.

Resp. Quòd sic, quidquid in contrarium sustineat Fulcus. Ratio est, quia sequuta morte non est adimpleta Tridentini conditio, quæ est, ut *non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi sequuta professione*. Et hanc opinionem tenent Navar. & Passarel. *in privileg. Minor. cap.* 37. qui testatur, Sacram Con-

Congregationem sic respondisse. Idem quoque dicendum est, si professio sit invalida, quia idem est, actum non fieri, & esse nullum, ut latè probat Sanch. *de Matrim. lib.* 3. *disp.* 3. *n.* 5. Quare si probata nullitate dimittatur ad sæculum per sententiam judicis, evanescit omninò renunciatio, ac si nunquam facta fuisset. Si verò professionem ratificet, renunciatio quoque firmatur absque aliquo alio actu de novo versante circa ipsam renunciationem.

QUÆR. VII. Si renunciatio, seu donatio ex defectu formæ sit nulla, subsequuta posteà professione vel tacita, vel expressa, quibusnam debeantur bona novitiæ, parentibus ne, si in istorum favorem facta fuit renunciatio; an verò monasterio.

RESP. Videtur, deberi parentibus, quia ex illa renunciatione, vel donatione, quantumvis nulla, colligitur animus profitentis, non transferendi in monasterium, quæ renunciaverat, vel donaverat, juxta *l. legatum* §. *fin. ff. de adm. leg.* Nihilominus non obstante hac intentione tenendum est, deberi monasterio. Nam intentio donantis non potuit sortiri suum effectum ob nullitatem renunciationis, & ideò bona renunciata remanent sub dominio ipsius; unde cùm in professione dedicet se ipsam, & sua Deo, & religioni, ex vi hujus efficacis intentionis transferuntur in Monasterium, non secus ac si non præcessisset donatio, vel renunciatio aliqua. Et hoc verum est, etiam si tempore professionis non haberet notitiam nullitatis, quia translatio horum bonorum in monasterium con-

consequitur, ad translationem personæ, quæ trahit secum omnia bona, & jura ex natura sua, & ideò non est necessaria in profitente specialis voluntas transferendi hæc bona, sed sufficit, si intendat tradere propriam personam. Ita Pasqualig. *in quæst. Moral. Jurid. qu.* 36.

QUÆR. VIII. An valeat renunciatio, in qua novitia nihil sibi, nec monasterio reservavit.

RESP. Valere, quia liberam habet potestatem disponendi de omnibus suis bonis volens ingredi religionem, *ex Authent. de Monac. §. illud.* Ita omnes cum Gratian. *cap.* 168. *num.* 19. *&* 20. ubi de testamento novitiæ, quòd non rumpatur, facto intuitu ingressus, licèt nihil relictum fuerit Monasterio. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 3. *nu.* 34.

QUÆR. IX. An novitia renuncians bona monasterio possit illud obligare ad sibi solvendam certam pensionem annuam.

RESP. Posse, & quidem ità ut monasterium teneatur ex justitia ei solvere dictam pensionem. Peyrin. *t.* 1. *cap.* 2. §. 1. ex Ledesma, quibus assentitur Tamburinus; quia novitia in actu renunciandi est domina suorum bonorum, atque adeò potest de iis liberè disponere, cui maluerit, sive absolutè, sive cum onere. Constat autem, quòd hæres tenetur ex justitia implere onera sibi injuncta. Verum tamen est, quòd post professionem non potest uti dicta pensione sine licentia.

QUÆR. X. An possit novitia facere eleemosynā de suis bonis tempore novitiatus absque solemnitate requisita à Trident. *d. cap.* 16.

RESP.

Resp. Posse non solùm pauperi extraneo, sed etiam monasterio, dummodò tamen consideratis facultatibus ipsius novitiæ sit modica; & ratio est, quia obstare non potest libertati egressus è religione. Ita Sanch. *loc. cit. n.* 22. qui existimat, dictas eleemosynas non teneri monasterium restituere novitiæ, si contingat discedere à religione.

Quær. XI. An parentibus novitiæ interdictum sit de propriis ipsorum bonis facere monasterio eleemosynas illas, & donationes, quas facere possunt cuicumque extraneo.

Resp. Non esse prohibitum, quia Concilium in d. decreto solùm prohibet ex bonis novitiæ aliquid tribui monasterio, non autem ex bonis parentum. Sanch. *loc. cit. n.* 23.

Quær. XII. An lata sit aliqua pœna in parentes, procuratores, vel propinquos novitiarum, qui de earum bonis aliquod tribuunt Monasterio.

Resp. Ex Manuel, & Rodriq. quos refert Sanch. *loc. cit. n.* 26. esse latam à Concilio, *d. cap.* 16. excommunicationem ipso facto incurrendam. Alii tamen non latam esse sustinent, sed ferendam; quia Sancta Synodus præcipit sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, quæ verba solùm excommunicationem ferendam continent, ut tradunt Doctores *in tract. de excommunic.* Sanch. *ubi supra.*

Quær. XIII. Quo tempore facienda sit renunciatio.

Resp. Fieri debere intra bimestre computandum à die professionis futuræ. Patet ex Concilio *loc. cit.* ubi dicit, *intra duos*

menses proximos ante professionem. Et hoc bimestre esse mathematicè accipiendum, sustinent Sanch.& Peregrin.*ad Constit. sui Ordin.p.2. cap.*1.§. 20. & declaravit Sac. Congreg. 22. *Januarii* 1617. apud Aldan. Ratio est, quia dum Concilium statuit bimestre, requirit tempus certum, & limitatum, quod constat ex tot diebus tanquam partibus sibi essentialibus, ita quòd si desit unus dies, non dicitur amplius illud tempus, sed aliud diversum. Igitur hoc bimestre numerandum est mathematicè, alioquin si deesset unus dies, non diceretur renunciatio facta intra bimestre, sed extra illud.

Quòd si contingat, professionem ultra novitiatus annum ex causa prorogari, non est opus, renunciationem fieri intra bimestre proximum professioni, sed est in arbitrio novitiæ renunciare intra illud bimestre, quod præcedit ultimum terminum anni formalis probationis, quia lex ea, quæ frequenter accidunt, spectat, & professio frequenter finito anno novitiatus fieri solet. Unde cùm Concilium petit, fieri renunciationem bimestri ante professionem, intelligendum est de bimestri proximo tempori, quo regulariter professio fieri debet. Ità Sanchez *lib.* 110. *cap.*5. *nu.*28.

QUÆR. XIV. Si ex dispensatione pontificia octavo mense novitia esset professura, an sufficeret in hoc casu tempus bimestre antè professionem ad renunciationem faciendam.

RESP. Affirmativam sententiam tradi à Castro Palao, & Diana, quia Concilium

ni-

nihil aliud expoſtulat, niſi quòd renunciatio fiat intra bimeſtre proximum profeſſioni, ſive profeſſio diferatur, ſive acceleretur. Oppoſitam tamen ut ſecuriorem in praxi ſuſtinent Sanch. *loc. cit. nu.* 85. Coton. & alii, & ſic volunt, renunciationem eſſe faciendam, vel die profeſſionis, vel die immediatè antecedenti, quia diſpenſatio non ſe extendit ad acceſſoria ſeparabilia, ſed ad neceſſariò inſeparabiliter connexa. Non eſt autem inſeparabiliter connexum, ut renunciatio fiat integro bimeſtri ante profeſſionem, unde ea diſpenſatio non extenditur ad totum id tempus; quia tamen renunciatio fieri nequit tempore deſignato à Concilio, erit ſervandum in quantum fieri poteſt, & ſic quòd fiat proximè profeſſioni.

QUÆR. XV. An valeat renunciatio extra bimeſtre facta à novitia ex indulto Pii V. cauſa periculi mortis infra annum probationis profitente.

RESP. Valet, ſi fiat paulò ante profeſſionem, & mortem, juxta dicta in reſponſione antecedenti de profitente infra annum probationis ex privilegio. Si autem convaleſcat, quia ea profeſſio pro nulla habetur, cùm non deceſſerit, ut ex relatis à Sperello *deciſ.* 16. *nu.* 24. nullius momenti eſt renunciatio, cùm pendeat à profeſſione illa, quæ evaneſcit; conſequenter ea iterùm facienda eſt ad formam Tridentini intra bimeſtre proximum profeſſioni, probationis anno finito. Peyrin. Bordon. & alii.

QUÆR. XVI. An puella nondum ſequuta profeſſione poſſit renunciationem revocare.

Resp. Pasqual. *in Lauret. p.* 1. *n.* 26. affirmativè; quia Concilium decernit, quòd non intelligatur effectum suum sortiri nisi sequuta professione, & proinde induit naturam testamenti quoad hanc partem, quod ideò est revocabile, quia non sortitur effectum, nisi sequuta morte. Nec obstat, quòd renunciatio statim valida sit, & firma, & solùm suspendatur effectus; nam etiam testamentum statimae conditum est cum debitis solemnitatibus, est validum, & firmum; quia tamen non disponit de præsenti, sed pro tempore mortis, remanet revocabile. Sic etiam, quia renunciatio non disponit pro tempore præsenti, sed pro tempore professionis, nam solùm per professionem confirmatur in ordine ad effectum, erit revocabilis. Unde non rectè Sanchez *lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 48. asserit esse irrevocabilem, & posteà *n.* 50. concedit posse revocari per testamentum. Nam si absolutè non est revocabilis, nec etiam per testamentum revocari poterit; semper enim expectandus esset eventus conditionis, si esset conditionalis. Huc usque Pasqualig. qui pro se citat Menoch. *consul.* 388. *nu.* 34. cui adde Carenam *resol.* 166. *nu.* 4. & Burat. *decis.* 581. Verùm opposita sententia est communis, quam multis probat Bordon. *resol.* 60. *qu.* 10. *num.* 15.

Quær. XVII. An sit necessaria Episcopi licentia ad validè renunciandum.

Resp. Esse necessariam ex Trident. *d. cap.* 16. ubi habet, *Nisi cum licentia Episcopi, seu ejus Vicarii*, & si Episcopus nolit hanc licentiam concedere, poterit Archiepiscopus supple-

plere, si novitia ad eum recurrat, quia est judex appellationis in causis suffraganeorum, Diana *p.* 8. *tract.* 4. *res.* 53.

QUÆR. XVIII. Quinam veniant nomine Episcopi ad effectum hanc licentiam impertiendi.

RESP. Cùm concessio hujusmodi licentiæ sit actus jurisdictionis, venire omnes illos, quibus competit jurisdictio. Cùm ergo hæc competat Episcopo etiam non consecrato, Archiepiscopo non paliato, Capitulo, vel ejus Vicario, sede vacante, Abbatibus, & Prælatis habentibus territorium, & nullo Episcopo subjectis, nec non Vicariis Prælatorum jurisdictione episcopali gaudentium, hi omnes poterunt talem licentiam impertiri. Ita Peregrin. *p.* 2. *cap.* 1. §. 25. *lit. g.* Poterunt etiam talem facultatem delegare, quia hæc est potestas ordinaria, cùm sit à lege.

QUÆR. XIX. An nomine Episcopi veniat Vicarius Foraneus, & Monialium.

RESP. Vicarium Foraneum non venire, atque adeò non posse ejusmodi licentiam concedere. Ita declaravit Sac. Congregat. Conc. *in una Sarzanen. die* 4. *Februarii* 1648. Neque venire Vicarium per Episcopum ad regimen monialium deputatum, nisi fuerit eidem concessa sufficiens facultas, censuit sæpè Sacra Congreg. Concilii. Secus tamen dicendum est, si in deputatione fuerit concessa omnimoda potestas cognoscendi omnes, & quascumque causas, etiam civiles, cum omnibus annexis, connexis, emergentibus, & dependentibus, nec non

faciendi omnia, quæ juxta formam Sacrorum Canonū, & Concilii Tridentini faciēda sunt; quia, licèt in dictis clausulis nulla fiat expressa mentio de facultate dandi dictam licentiam, censetur concessa per æquipollens. Ita pariter censuit Sac. Congreg. Concilii *in una Neapolitana* 23. *Aprilis* 1641. Quod etiam sustinet Pasqual. *loc. cit. nu.* 26.

QUÆR. XX. An licentia Episcopi pro renunciatione requiratur in scriptis.

RESP. Non exigi in scriptis, quia Tridentinum nullam scripturæ mentionem facit, & ubi in scriptis eam obtinendam voluit, id expressit, ut fecit *sess.* 25. *de Regula, cap.* 5. tractans de licentia ad ingrediendum monialium monasteria. Verum tamen est, quòd licèt non requiratur in scriptis ad formam actus, requiritur ad probationem actus, præsertim quia ex lapsu plurium annorum non præsumitur, ut dixit Rota *in Romana fideicommiss.* 14. *Novemb.* 1624. *coram Remboldo*. Ita omnes cum Pasqual. *in Franc. p.* 2. *q.* 42. ubi notat, licentiam non solùm debere esse petitam, sed etiam obtentam, quia licentia non dicitur adesse, dum tantùm est petita. Nec sufficit subsequi, sed debet præcedere renunciationem; cùm enim requiratur ad validitatem renunciationis tanquam forma, eo quòd Concilium irritat renunciationem factam sine tali licentia, ipsa deficiente actus redditur nullus. Ex quo fit, quòd si renunciatio sit conditionalis, si nempe accesserit consensus Episcopi, tunc solùm incipit valere, quando talis consensus accedit, quia tunc solùm habetur forma validitatis.

QUÆR.

QUÆR. XXI. An decretum Concilii requirens in renunciatione prædictas conditiones intelligatur de omnibus novitiis, an de solis minoribus sexdecim annis.

RESP. Existimat Menochius *de arbitr. judic. lib.* 2. *cent.* 5. *casu* 43. *nu.* 8. intelligi de solis minoribus sexdecim annis, atque adeo novitias ætatem hanc excedentes posse quandocunque liberè de suis bonis disponere. Sed contrarium est verius, & servatur in praxi. Mens enim Concilii fuit consulere novitiorum libertati, ne scilicet cogantur in religione permanere, quia egrediendo nequeunt donata recuperare, quæ ratio æquè militat in majoribus sexdecim annis; unde stante paritate rationis, par quoque debet esse dispositio; ita Doctores, quos refert, & sequitur Sanch. *in decal. lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 7.

§. V.

De dote ante Monialium Professionem solvenda.

QUÆR. I. AN, & quo titulo recipi possit dos pro admissione monialis ad professionem religiosam absque labe simoniæ.

RESP. Posse. Sicut enim in matrimonio carnali non est simoniaca receptio dotis, quia recipitur, non quatenus matrimonium stat sub qualitate Sacramenti, sed quatenus induit rationem contractus, sub qua ratione, quia habet annexa onera, quæ non possunt sine temporalibus bonis sustentari, licitum

eſt, ut uterque conjux aliquid adhoc conferat; ita nec erit ſimoniaca receptio in matrimonio ſpirituali, ſi conſideretur, non quatenus dicit quoddam genus conſecrationis talis perſonæ ad cultum Dei, ſed quatenus importat rationem contractus, ex vi cujus monaſterium ſuſcipit in ſe omnia onera temporalia, quæ ad ſuſtentationem profitentis ſunt neceſſaria. Quare, licèt ſtatus religioſus, quatenus ſpiritualis eſt, vendi non poſſit, nec aliqua re temporali compenſari; tamen quatenus eſt contractus, onus illud indiget ſubſidio temporali, ac proinde non eſt contrarium, neque diſſonum rationi naturali, quòd puella, quæ religionem ingreditur, temporale aliquod ſubſidium ſecum afferat, quo ad eam ſuſtentandam religio juvetur; & proinde Cajetanus *in* 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. ait, hoc eſſe jus naturale.

QUÆR. II. An, ſi monaſterium ſit dives, poſſit ſine labe ſimoniæ dotem recipere.

RESP. Sacram Congregat. ſuper Epiſcop. & Regular. Summis Pontificibus approbantibus, ſtatuiſſe, ut dotales eleemoſynæ à monialibus numerariis perſolverentur, tametſi numerus eſſet taxatus ad menſuram reddituum monaſterii. Animadvertit enim Sanctimonialium monaſteria ſine dotium ſubſidio diù ſuſtineri non poſſe, & propter ingentes neceſſitates, ac caſus inopinatos plerumque ad inopiam redigi; ideò hujuſmodi caſibus occurrere volens, ſancivit, ut etiam opulentiores conventus poſſent eleemoſynas dotales recipere, ut ſic reddantur de proventibus ſecuriores.

QUÆR.

QUÆR. III. Ad quem ſpectet dotem monialium taxare.

RESP. Quòd, ſicut ſpectat ad principes temporales taxare dotem ſolvendam pro puellis matrimonio carnali copulandis, id exigente bono communi, ſic & taxatio dotis ſolvendæ pro monialibus ſpirituale matrimonium per profeſſionem religioſam cum Chriſto contrahentibus, ſpectare debet ad ipſarum Monialium Superiores, ad Epiſcopum ſcilicet reſpectu ſubditarum, ad Sacram Congregationem verò reſpectu exemptarum, ut notat Ceſped. *de dub. regular. cap.* 23. *dub.* 330. *nu.* 5.

In hac autem dote conſtituenda ſervanda eſt moderata monaſterii conſuetudo, & in minori quãtitate, quàm ubi mulieres nubunt terreſtri ſponſo, ut obſervant Anna *Sing.* 11. Riminald. Vincentius Franc. & Rota *in Romana dotis* 14. *Martii* 1635. *coram Merlino* impreſſa per Tamburinum, qui tria advertit. Primò, poſſe Superiores Monialium in aliquibus caſibus taxam dotium limitare juſtis concurrentibus cauſis, etiam inſciis, & contradicentibus monialibus, dummodo ſemper ſufficiens remaneat quantitas pro ſuſtentanda moniali. Secundò, pro ſupranumerariis, & pro tertia ſorore duplicem eleemoſynam, hoc eſt duplicatam ſummam ejus, quæ in receptione monialis intra numerum dari conſuevit, ſolvi debere; & pro quarta ſorore petente admitti in idem monaſterium ſolvendam eſſe triplicatam. Tertiò advertit ex Sacra Congregat. 5. *Septembris* 1604. & 26. *Auguſti* 1616. quòd

tertia, & quarta sorores careant suffragio in capitulo, quousque altera ex duabus primis sororibus moriatur.

QUÆR. IV. An monasterium possit paciſci de majori dote, quia puella recipienda est vilis conditionis, vel advena.

RESP. Cum Rodriquez, & aliis non posse, quia juxta indulta apostolica monialibus non permittitur quidquam recipere ultra taxam, nisi quod offertur liberaliter absque pacto expresso, aut tacito, seu præsumpto, cujusmodi utique non est id, quod in tali casu solveretur nomine dotis ultra taxam, unde talis excessus reputaretur simoniacus, ut advertit idem Rodriquez, & ideò deberet restitui, ut notat Diana *in opere coord. t. 7. tract. 1. resol. 329. §. 4.* Quo ad advenas verò extat decretum Sac. Congregat. 30. *Septeb.* 1616. statuens in dotibus recipiendis nullam differentiam admittendam esse inter puellas terrerias, & inter advenas.

QUÆR. V. Quid dicendum sit in sequenti casu. Cuidam monasterio impositum fuit onus à fundatore, ut recipiatur una puella sine dote, qua defuncta, sufficiatur in ejus locum & alia, & sic deinceps, cum hac tamen conditione, quòd puella eligenda sit civis. Debet ne intelligi de civibus tantùm originariis, an etiam de civibus ex privilegio?

RESP. Dispositionem censeri factam in favorem illarum, quæ sunt originariæ de loco, quia appellatione civium veniunt tantum originarii, ut notant Accurs. Bald. & Bovius, & ita censuit Sac. Congreget. Episcop. & Re-

& Regular. *in Mantuana Civit. die* 29. *Novembris* 1668.

QUÆR. VI. An sit simoniaca consuetudo quorumdam monasteriorum recipiendi præter dotem quasdam portiones pecuniæ, quas propinas vocant, v. g. singulis monialibus dantur quatuor argentei, unum linteum &c.

RESP. Excusari, ex eo quòd dos, quæ exigitur ad sustentationem monialis, non consistit in indivisibili, sed sicut taxari potest sexcentis ducatis, ita etiam taxari potest sexcentis, & quinquaginta distributis hoc modo, ut sexcenta applicentur communitati,& quinquaginta distribuantur inter moniales singulis dando illos quatuor argenteos,unum linteum &c.ut suis necessitatibus subveniant. Ita Pignatel. *t.*7. *consult.* 90. *nu.*13. Advertit tamen Suar. *t.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simon. cap.*17. *nu.* 18. ut in his moderatio adhibeatur, ut saltem si propter consuetudinem recipiuntur, ipsis non solutis, non negentur spiritualia, sed servetur modus petendi illa præscriptus *in cap. Ad Apostolicam de Simon.*

QUÆR. VII. An legatum dotis pro maritandis puellis possit dari virginibus ad professionem admittendis.

RESP. Posse, quia quod datur monasterio puella ingrediente censetur dàtum titulo dotis, ut constat ex communi usu loquendi, qui attendi debet. Cùm ergo conditio dotis, & verba testatoris verificentur in ingrediente religionem, habebit quoque locum ipsi us dispositio, præsertim quia sumus in causa

magis pia, & favorabili. Bald. Natta, Boer. aliique, quos refert, & ſequitur Diana *in Coord. t.6. tract.8. reſol.43.* qui ex Ocagavia teſtatur hanc ſententiam ſervari etiam in foris contentioſis; & ita ſæpè etiam cenſuit Sac. Congreg. præcipuè *in Piſaurien. 26. Auguſti 1616. & Maceraten. 29. Junii 1649.* Eſt contra Sanch. *de matrim. lib.1. diſp.33.n. 32.* Prædictam ſententiam limitat Pignatel. *t.5. conſult.82. n.3.* ſi in legato pro maritandis puellis adſit conditio reſtituendi dotem, caſu quo proles non exiſtat, quia illa conditio utpote mentionem faciens de prole reſtringit diſpoſitionē teſtatoris ad matrimonium carnale, & ita refert fuiſſe declaratū à S. Congr. *in Barenſi ſubſidii dotalis 15. Septemb.1664.*

QUÆR. VIII. An puella, cui Pater reliquit centum, ſi fiat monialis, mille verò ſi nubat, poſſit adhuc conſequi mille, ſi monaſterium ingrediatur.

RESP. Affirmativè contra Covar. *lib.1. var. reſol. cap. 19. n.9.* quia conditio illa *ſi nubat*, cenſetur non ſcripta, & reiicitur favore religionis, pro ut expreſsè habetur §. *ſed & hoc præſenti Authent. de ſanctiſ. Epiſc.* Limitant Metina, Lopez, & alii, quando talis conditio non nubendi, appoſita fuiſſet à teſtatore cauſa conſervandæ familiæ, quia clara, & expreſſa voluntas teſtatoris juris diſpoſitioni reſiſtit; quod tamen, aliis adductis, negat Sanch. *de matrim. lib.1. diſp.33. n.2.* qui pariter ſuſtinet *lib.7. diſp.91. n.46.* viduæ ingredienti religionem deberi legatum, & alimenta relicta à marito ſub conditione ſi vitam vidualem ſervaverit; quia per ſpirituale cum Chriſto

ma-

matrimonium non ceſſat vita vidualis, imò pleniùs ſatisfit voluntati teſtatoris cupientis in uxore ſuperſtite ſpecialem quandam pudicitiam, & honeſtatem.

QUÆR. IX. Cuinam competat dare dotem puellæ religionem ingredienti.

RESP. Patrem teneri, etiam ſi ipſo invito velit ingredi religionem, quia ſicuti obligatur ad dotandam filiam carnaliter ipſo invito nubentem, multò magis obligabitur in matrimonio ſpirituali, cùm hoc ſit favorabilius temporali. Et hac ratione poſſunt bona fideicommiſſo ſubjecta diſtrahi pro dote deſcendentis à teſtatore volẽtis ingredi religionem. Sanch. de Matrim. *lib.*4. *diſp.*26. *nu.* 7. Quod verum eſt, etiam ſi fideicommiſſum inſtitutum fuiſſet cùm expreſſa alienationis prohibitione, dummodò tamen non reperiantur bona libera, pro conſtituenda dote ſufficientia. *Molin. tract.*2. *diſp.*648. *n.*1.

QUÆR. X. Quinam teneantur conſtituere dotem moniali in defectum Patris.

RESP. Teneri illum, qui de jure tenetur conſtituere illi dotem ad matrimonium carnale contrahendum. Quare tenentur Mater, Patruus ſive paternus, ſive maternus, & Frater in defectum aſcendentium. Sicut enim hi omnes tenentur alere, ita etiam in ſubſidium dotare, cum dos ſuccedat loco alimentorum; ita Rota *in cit. deciſ. Romana dotis* 14. *Martii* 1635. *coram Merlino*.

QUÆR. XI. An liberum ſit monialibus admittere puellam ad profeſſionem abſque ſolutione dotis debitæ, vel ſaltem cum ſolutione minori taxata.

RESP.

Resp. Ex Tambur. *qu. 7. nu.* 1. Moniales velatas tam intra, quàm supra numerum non debere admitti absque dotali eleemosyna, neque minori taxata. Pro monialibus verò conversis recipiendis non semper spectari dotem, sed aliquando monasterii necessitatem ex declaratione Sac. Congregat. *die 26. Martii* 1596.

Quær. XII. Quo tempore solvi debeat dos pro moniali ingrediente religionem.

Resp. Debere solvi in ipsa professione, non autem ante, cùm id non solùm prohibeatur in Concilio Trident. *sess. 25. de Regular. cap.* 16. sed etiam multò expressiùs à Sacra Congregatione, quæ declaravit, dotem monialium penes consanguineos, vel affines relinqui non debere, sed priusquam puella induatur habitu actualiter deponendam esse apud mercatorem, vel penes aliam personam fide, & facultatibus idoneam.

Quær. XIII. Cuinam competat solvere dotem, si probationis novitiæ anno durante moriatur depositarius constitutus ab Episcopo, & hæreditas ejus reperiatur non solvendo.

Resp. Nullo modo spectare ad deponentem, quia cùm tale depositum habeat vim solutionis, *l. obligatione, C. de solut. & l. acceptum, C. de usur.* sic deponendo consequutus est plenam liberationem, & ideò non tenetur de casu superveniente, alioquin actio semel extincta reviviscereț, contra textum *in l. qui res §. Arcam. ff. de solut.* Pignatel. *t. 9. consult.* 164. Periculum ergo vel cedet in damnum monasterii; cum verissima sit juris con-

conclusio, quòd quando debitor ritè, & rectè deposuit, tunc periculum spectat ad creditorem, ut post alios firmant Arismin. Tepat. Medic. & Rota *in Romana census vitalitii* 29. *Januarii* 1627. *coram Merlino*. Vel saltem cedere debet in damnum Episcopi, quia debet Episcopus eligere depositarium idoneum etiam cum fidejussoribus; officiales enim publici non solent, neque debent sine fidejussoribus admitti, à Ponte *de Potest. Proreg. tit.* 3. §. 6. *num.* 17. & Paris. de Puteo.

Quær. XIV. An ratione damni emergentis, vel lucri cessantis ex dilatione dotis provenientis possit monasterium aliquid recipere ultra dotem sibi debitam.

Resp. Posse quoad damnum emergens, si verè ex dilatione dotis ipsi proveniat: ita Miranda, & Rodriquez, qui advertit, esse in hoc cautè procedendum, ad tollendam avaritiæ suspicionem. Non item potest recipi lucrum cessans; cùm enim religiosis prohibitum sit jure ecclesiastico negotiari, ipsis verè nullum lucrum licitum cessare potest.

Quær. XV. An possit alienari dos tradi solita monasterio.

Resp. Dotes monialium supra numerum profitentium non posse alienari, præcipit enim S. Congregatio, ut professione sequuta in emptionem bonorum stabilium fructiferorum lotes illicò implicentur, ut ex Barbosa refert Lezan. *t.* 3. *nu. dos.* Dotes verò monialium intra numerum receptarum posse in usus communes, & necessarios monasterii expendi, notat Sperel. *decis.* 84. *num.* 62.

ubi

ubi affert per extenſum decretum Sacræ Congregationis.

QUÆR. XVI. An pecunia, quæ, ut ſupra, deberet inveſtiri, implicari poſſit ſine debita ſolemnitate in ædificando monaſterio, aut ad emendam domum contiguam ipſi monaſterio, ad eam inhabitandam.

RESP. Non poſſe, quia juxta decretum ſupra relatum pecunia debet inveſtiri in bonis ſtabilibus fructiferis, in ordine ad ſuſtentationem monialium ſupra numerum receptarum. Ad hoc autem requiritur, quòd fructus ſucceſſivè correſpondeant oneri, ut poſſit commodè ſuſtineri, & ideò debent accreſcere novi fructus, ut ſicut onus eſt annuum, ita quoq; ſit annuum ſubſidium, Paſqual. *de ſacrif. nov. leg. q.* 1073. *n.* 2.

QUÆR. XVII. An, ſi monaſterium ſit gravatum aliquo annuo cenſu ſuper propriis bonis immobilibus, & aliunde non adſit, unde extinguatur, poſſit redimi cum dicta pecunia inveſtienda, Sacra Congregatione inconſulta.

RESP. Poſſe. Nam dum extinguitur cenſus, accreſcunt monaſterio fructus illi, quos abſorbebat cenſus. Requiritur autem, quòd non adſit, unde aliunde extinguatur, quia ſi adeſſet, non fieret augmentum fructuum, nec obtineretur finis, quia etiam abſque pecunia deſtinata pro dote adhuc extingueretur. Paſqual. *loc. cit. qu.* 1069. *num.* 4. qui ſubdit, quòd talis pecunia adhiberi etiam poteſt pro ſolvendo reſiduo pretii alicujus prædii empti a monaſterio; nam ſalvatur, quòd pecunia inveſtiatur in re immobili fructi-

ctifera, quia pars prædii, quæ correſpondet reſiduo pretii, verè eſt empta pecunia in dotem erogata.

QUÆR. XVIII. In quibus bonis debeat ſolvi dos pro moniali profeſſura.

RESP. Debet ſolvi in ære, non in bonis ſtabilibus, cùm peccunia præſens poſſit commodiùs occurrentibus monaſterii neceſſitatibus deſervire. Ita ex declaratione S. Congr. Lezana *t.* 1. *Sum. cap.* 25. *n.* 39.

QUÆR. XIX. Utrum loco dotis in pecunia effectiva, poſſit fieri remiſſio cujuſdam debiti pecuniarii correſpondentis quantitati dotis taxatæ, & ſolvendi à Monaſterio parentibus novitiæ admittendæ.

RESP. Non poſſe, ſi novitia profeſſura ſit ſupra numerum; quia ex mente Sacræ Congregationis dos debet tali pacto inveſtiri, ut ſicut accreſcit monaſterio novum onus, ſic accreſcant pariter novi fructus. In dicto autem caſu nihil acquirit de novo Monaſterium, unde tantùm aggravatur novo onere, nec ſublevatur novo emolumento.

QUÆR. XX. An monialis tranſiens ad aliud monaſterium deferat ſecum dotem.

RESP. Affirmant Socinus, Baldus, & alii, quia dos recipitur à monaſterio pro alimentis tantùm, & ſuffragio vitæ, & proinde debet ſequi monialem, ſicut eam ſequitur exigentia alimentorum. Verùm tenendum eſt non deferre ſecum dotem traditam primo monaſterio, ſi voluntariè tranſeat ad aliud, ſive ejuſdem, ſive diverſi Ordinis. Ita Paſqual. *in qq. moral. juridic. qu.* 32. cum aliis ab ipſo relatis, & ita ſenſit Sacra Congreg.

in

in una Neapolitana ſub die 20. *Julii* 1583. Ratio eſt, quia monialis profitendo transfert omnia ſua jura in Monaſterium, ut tradunt communiter Doctores; unde etiam transfert in monaſterium jus proprium, quod habet ad dotem; hæc autem juris translatio operatur, quòd dos incorporetur bonis monaſteriis, & ſit inalienabilis, ſicut cætera bona ipſius. Ergo quando monialis tranſit ad aliud monaſterium, non eſt ipſi dos reſtituenda, non ſecus ac non ſunt ei danda cætera bona monaſterii.

Neque dici poteſt, monaſterium acquirere dotem ſub onere alendi monialem, atque adeo, hoc onere reſoluto, reſolvi etiam dotis acquiſitionem. Hoc, inquam, dici non poteſt, quia tunc ſolùm, non impleto onere, reſolvitur acquiſitio, quando per acquirentem ſtat, quòd non impleatur, *l. quæ ſub conditione.* §. *Quoties, ver. idem eſt, ff. de condit. inſtit.* Quando autem monialis voluntariè tranſit ad aliud monaſterium, non ſtat per primum Monaſterium, quòd non impleatur onus alendi.

QUÆR. XXI. An Moniali, ut ſupra, ad aliud monaſterium tranſeunti debeantur ſaltem uſufructus.

RESP. Non deberi. Paſqual. *loc. cit. n.* 8. Cùm enim dos, ut diximus, tranſeat in proprietatem monaſterii, & monialis abdicet à ſe omne jus ad illam per profeſſionem, & transferat in monaſterium, uſusfructus quoque incorporantur bonis monaſterii, nec pertinent aliquo modo ad monialem.

QUÆR. XXII. An ſi ſecundum monaſterium

rium cogatur recipere monialem, sit ei restituenda dos à primo.

Resp. Cum distinctione. Si prius Monasterium instet pro translatione Monialis, tenetur providere de dote, si posterius Monasterium nolit recipere absque dote. Quia dum primum monasterium instat pro translatione, præsumitur, quòd respiciat proprium commodum, quod percipit ex hujusmodi translatione. Cùm ergo posterius monasterium non debeat pro commodo primi monasterii jacturam subire, neque debet subire jacturam alendi monialem. Si verò primum monasterium non instet, sed ipsa monialis, vel superiores judicent expedire, quòd transferatur, quamvis posterius monasterium coactè recipiat, existimo, quòd prius monasterium non teneatur restituere dotem. Quia Monasterium habet tantùm obligationem alendi monialem, quandiù manet sub ipsius potestate; resolvitur autem hæc obligatio, si desinat esse sub ipsius potestate, & fiat sub potestate alterius monasterii. Neque ex eo, quòd moniales coactè recipiunt, valet arguere, quòd monasterium coactè recipiat, quia monasterium non representatur in monialibus tantùm, sed etiam in Prælatis: immò in illis tantùm æconomicè, in his verò jurisdictionaliter; & ideò horum consensus sufficit, ut voluntariè dicatur accipi Monialis.

Quær. XXIII. An quando monialis transfertur ad aliud monasterium ad agendam pœnitentiam, sive secundum monasterium coactè recipiat, sive libenter, teneatur

tur illi primum Monaſterium ſubminiſtrare alimenta.

Resp. Teneri, & deſumitur ex *cap. de lapſis* 16. *qu.* 6. & *cap.* 11. *quis acquirit.* 27. *qu.* 3. Nam per hanc translationem non fit membrum poſterioris monaſterii, neque ſolvitur vinculum reſpectu prioris, quare neque ſolvetur obligatio ipſam alendi.

Quær. XXIV. An monaſterium acquirat dotem novitiæ morientis infra annum probationis, emiſſa tamen profeſſione ex indulto Pii V.

Resp. Non acquirere, quia illa profeſſio valet tantùm ad finem conſequendi indulgentias, non ad finem ſuccedendi in dote, & in bonis per monaſterium, ut patet ex declaratione Congregat. Concil. *ſub die* 13. *Novembris* 1627. *in una montis regalis*. Quare Summus Pontifex illo privilegio intendit quidem bono ſpirituali novitiæ conſulere, nunquam tamen quæſito alterius juri derogare, neque præjudicium ſuccedentibus ab inteſtato inferre. Ita Tambur. *cit. diſp.* 4. *qu.* 6. ubi alios refert, quibus adde Novarium *ſum. Bullar. coment.* 119. *nu.* 5. qui limitat hanc doctrinam, quando profeſſio facta eſſet in articulo mortis anno probationis completo, in tali enim caſu deberetur dos monaſterio, & excluderentur venientes ab inteſtato, juxta *deciſ. Rovit.* 4.

§. VI.

De Monialium Professione.

QUÆR. I. QUænam requirantur, ut professio in religione sit valida.

RESP. Præter liberum cujusque consensum requiri ex Tridentino *sess.* 25. *de regul. cap.* 15. ut fiat post quintumdecimum, & unum probationis annum integrum, & continuum; adeò ut professio aliter facta nulla sit, nullamque pariat obligationem aut alios quoscunque effectus tam in foro externo, quàm interno, ita ut non obliget ad religionem aliquam in genere, nec in specie, & in hoc correcta sunt jura antiqua Cap. *Non solùm de Regular. in* 6. Neque censetur valida professio facta ante tempus præfinitum à Concilio, etiam si monialis voviſſet religionem ingredi, & in ea permanere, & ita declaravit Sac. Congregatio, ut refert Pignatel. *t.* 8. *consul.* 55. *nu.* 16. An autem si revertatur ad sæculum, ex mente hujus decreti à voto libera dicenda sit, Pignatel. *ibi. n.* 16. dicit, fuisse responsum, hoc decretum nihil de voto disposuisse.

QUÆR. II. An aliquando valida sit professio intra probationis annum emissa.

RESP. Quòd sic, scilicet quotiescunque accedit indultum Summi Pontificis; unde ex speciali privilegio à Pio V. monialibus S. Dominici concesso, de quo participant omnes cum eodem Ordine communi-

ni-

nicationem privilegiorum habentes, possunt novitiæ in mortis periculo constitutæ intra probationis annum profiteri, ad lucrandas indulgentias, & alias gratias professarum, non tamen in præjudicium venientium ab intestato, ut diximus *paragrapho antecedenti*, *quæsito* 23. Neque in tali casu requiritur consensus Monasterii. Tum quia is non exprimitur in bulla cum aliis requisitis, tum quia illa non est simpliciter professio, quæ habeat incorporare religioni, sed ad effectum tantùm, ut diximus, indulgentias consequendi, unde si novitia postea convalescit debet denuò profiteri, Bordon. *in Miscell. decis.* 130.

QUÆR. III. Quibus ex causis resultet nullitas professionis.

RESP. Inducì professionis nullitatem non solùm ob defectum qualitatum in primo quæsito recensitarum, sed etiam ex metu cadente in constantem virum, qui respectu fæminæ sit rationabilis, ac fundatus in vero, & probabili periculo, colligitur ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. Et in judicando metu considerandæ est qualitas personæ patientis metum, animi nempe vel imbecillitas, vel fortitudo, ut per Fagnan. *in cap. consultationi nu.* 14. *de sponsal.* Quod verum est, etiam si metus sit reverentialis, saltem concurrentibus adminiculis, crebris persuasionibus, minis, odio, & imperii sæpiùs repetiti importunitate, ob quæ puella non audet patri, vel consanguineis contradicere. Layman. *in Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. *nu.* 6. An autem sit nulla professio, si per metum caden-

dentem in coſtantem virum moniales aliquam recipiant, negant Suarez, & Vecchius relati à Peyrino *t.* 2. *de Præl. qu.* 3. §. 2. *nu.* 81. ubi oppoſitum ſuſtinet, quia de ratione contractus ultro, citroque obligatorii, cujuſmodi eſt profeſſio, eſt, ut par omnimoda ſit utrinque libertas; unde eo ipſo, quòd Canones irritant profeſſionem factam metu profitentis, irritant etiam profeſſionem factam metu recipientis.

Nulla quoque eſt profeſſio, ſi interveniat error, dolus, & ignorantia circa ſubſtantialia religionis, ut ſi novitia profiteatur, putans ſe non obligari in perpetuum, vel regulam ſui Ordinis non eſſe adeò aſperam, & quidem aſperitate vires ejus notabiliter excedente. Quia ignorantia excludit voluntatem profitendi, nihil enim volitum, quin præcognitum. Suar. *de Relig. t.* 3. *lib.* 6. *cap.* 5. *nu.* 4. 5. *& 6.*

Vitiatur pariter valor profeſſionis per iram, aut aliam animi perturbationem, ſi tales ſint, ut rationis judicium obtenebrent ac impediant deliberationem requiſitam ad peccandum, quia deficit libertas, quæ eſt forma contractus. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 1. *nu.* 2. Multòque magis eſt invalida, ſi monialis nullam habeat intentionem ſe obligandi, quia actus non obligant ultra intentionem agentis. In foro tamen externo poterit cogi ad ſecundam profeſſionem, ut rectè advertit Caſtropal. *tract.* 16. *diſp.* 2. *p.* 4. *n.* 3.

Nulla item redditur profeſſio, ſi non ſerventur ea, quæ in particularbus Conſtitutionibus religionum cum clauſula irritante

præſ-

præscribuntur, maximè si constitutiones à Papa sint confirmatæ, ut notant Sanchez, Tambur. Rodriq. & Bordon. *de profes. cap. 3. qu. 16.* Cùm enim per illas tollatur potestas aliter recipiendi ad professionem, inducitur nullitas professionis aliter factæ. Rota in terminis statuti prohibentis per verba *Nullus recipiatur*, *decis. 167. n. 5. p. 2. recent.* Bordon. Castropal. & alii.

QUÆR. IV. An professio simoniaca, vel ob malum finem emissa, sit valida.

RESP. Ad utrumque affirmativè, primum desumitur *ex cap. de Regular. & cap. quoniam de Simon.* ubi dicitur, simoniacè professum debere detrudi in aliud Monasterium ad agendam pœnitentiam, & si aliud non reperiatur, debere manere, ubi emisit professionem; supponitur ergo professio valida, dum decernitur permanentia in Monasterio; & ita sentiunt Navar. & Rodriquez, quos refert, & sequitur Barthol. à S. Fausto, qui cum Azorio, & Sylvestro idem asserit de professione ob malum finem emissa.

QUÆR. V. An professio viri in Monialium Monasterio sit valida.

RESP. Cùm communi Doctorum negativè, quia ad validitatem professionis requiritur consensus profitentis, & admittentis, sed in hoc casu saltem deficit admittentis. Quare invalida quoque erit professio, si mulier erumpat in masculum, quod utique posse contingere, docent magni nominis Auctores, præcipuò August. *lib. 3. de Civit. Dei cap. 31.* Sicut enim Matrimonium carna-

le,

le, etiam consummatum dirimitur, si mulier fiat vir, ita etiam dirimetur Matrimonium spirituale; ut docent Navar. Sà, Enriq. quos adducit, & sequitur Sanc.

QUÆR. VI. An in dubio de valore professionis sit valida censenda.

RESP. Quòd sic, quia possessio stat pro Religione, & pro certitudine professionis; in dubio autem favendum est Religioni, & possessori. Quare ex Suarez, & Peyrino Monialis dubia de suæ professionis valore tenetur eam ratificare.

QUÆR. VII. An monialis certa de nullitate professionis, & omni probatione destituta teneatur illam ratificare.

RESP. Cùm Sanchez *lib. 7. de Matr. disp.* 37. *n.* 3. non teneri, maximè si ex culpa sua non dedit causam nullitati. Poterit ergo manere in religione expectando commodam fugiendi occasionem, si hoc sine scandalo potest contingere. Ratio hujus conclusionis est, quia, cùm in culpa non fuerit, ut professio sit nulla, & re vera libera sit, non est compellenda ad coactè tantùm onus subeundum, quod spontaneum consensum propter magnam perfectionem maximè desiderat. Neque ad id debet cogi, quia sine titulo suffragia præstaret, & à Monasterio alimenta reciperet; nam hoc facilè evitari potest. A suffragiis enim ferendis abstineat, in quantum sine scandalo & sua gravi nota potuerit; & quando commodè abstinere non possit, ne notetur, aut scandalo sit, ferat suffraggia, & etiam prælaturas admittat, quia omnia hæc ratione publicæ professionis, aut

publici officii valida erunt; adest enim titulus præsumptus, error communis, & vitium est occultum. Quoad alimenta verò, quæ recipit, parum damni infert monasterio, si computentur servitia, quæ præstat, & fructus ex fundo dotali percepti, qui fructus debent computari ad rationem census vitalitii, cum capitale post mortem remaneat Monasterio. At dato etiam quòd aliquod damnum Monasterio resultaret, non est tanti faciendum, ut debeat compensari cum assumptione oneris tam ardui, qualis est obligatio professionis; & ad summum sufficiet, si habeat animum resarciendi, cùm fuerit solvendo.

QUÆR. VIII. An idem dicendum sit, etiam quando monialis dedit causam nullitati.

RESP. Affirmativam sententiam Sanchez *loc. cit.* existimat probabiliorem. Quia licèt peccaverit, cùm tamen religiosus status sit tanti momenti, & tam arduus, nulla ratione, & ob nullam culpam quis ad illum est compellendus invitus. Sicut enim debitor ex delicto non tenetur in conscientia ob debiti compensationem perpetuum subire carcerem, sic neque monialis ex sua culpa nulliter professa tenebitur ob damnum, quod resultat monasterio, perpetuò religioni se mancipare; libertas enim est superioris ordinis, & pretiosior quocunque emolumento temporali.

Neque tenetur ratificare professionem, quamvis non possit propter scandalum fugere, aut alio modo à religionis jugo se subtrahere, ut asserunt Castropal. & Moronus

cum

cum aliis ab ipso relatis *resp.* 82. *n.* 150. contra Lezanam, qui licèt concedat non teneri ratificare professionem, quoadusq; remanet spes fugiendi, vel aliud remedium, vult tamen teneri cessante tali spe, & sublato quocumq; remedio, *t.* 3. *v. Professio n.* 24.

QUÆR. IX. An monialis sic nulliter professa teneatur servare regulam, si permaneat in monasterio.

RESP. Ex vi professionis non teneri, quia nullo vinculo adstringitur religioni. Solùm tenebitur ratione scandali vitandi. Quia cùm reputetur vera religiosa, & pro hac parte sit legitima præsumptio, scandali ansam meritò præberet regulares observantias transgrediendo. Ex quo fit, quòd in rebus occultis, in quibus scandalum omninò cessat, nec ad regulam, nec ad votorum observantiam adstringatur. *Cajet.* 2.2. *q.* 88. *art.* 1.

QUÆR. X. An percutiens monialem nulliter professam, sed ut professam reputatam, incidat in excommunicationem.

RESP. Quòd non: quia verè non percuteret monialem, sed laicam; unde sicut non incidit in excommunicationem quis occidens Cajum, putans esse Titium clericum, quia non punitur affectus, sed opus externum, ita in casu nostro philosophandum. Moronus *resp.* 80.

QUÆR. XI. Quid requiratur ad ratificandam professionem.

RESP. Requiri, quòd accedat liber consensus monialis, quæ sciens professionem suam fuisse, & esse irritam, velit eam ratam habere. Neque indiget alio consensu Mona-

sterii, etiam si acceptatio illius fuisset irrita; tum quia prior consensus præsumitur permanere; tum quia Pontifex in hoc casu pro bono pacis, & religiosorum consolatione dictam professionem tanquam caput nomine religionis acceptat. Neque insuper opus est novitiatum iterare, cùm post susceptum habitum plenè monialis experta sit religionem, & religio ejus mores, qui est novitiatus finis. *Peyrin. t.2. de Præl. q.3. cap.1. §.5. n.145.& 146.* & alii.

QUÆR. XII. An monialis sic professa possit tuta conscientia retinere locum, & cetera privilegia sibi debita ex priori professione irrita.

RESP. Sive prior professio fuerit irrita bona fide, sive mala, si casus est occultus, non tenetur locum sibi debitum ex priore professione dimittere. Si verò ratione antiquitatis professionis existimatæ aliquod privilegium sibi competat, quod in grave præjudicium religionis, aut aliarum monialium cedat, tunc debet secretò pro foro conscientiæ impetrare dispensationem; interim verò dum procurat, vel si commodè procurare nequeat, non tenetur cum nota relaxare, nec ab actibus convenientibus se abstinere. Quòd si ea, quæ competunt ratione antianitatis, sint modici momenti, ut prius ferre suffragium, & alia hujusmodi, non est ad petendam dispensationem obliganda. Peregrin, *ad Constit. sui ord. p.2. cap.1. §.5.* & Sanch. *de Matrim. lib.7. disp.37. n.68.*

QUÆR. XIII. Ad quem spectet admittere novitiam ad professionem.

RESP.

Resp. Ad monasterium spectare, quod in monialibus repræsentatur, ut diximus cum de puellarum receptione. Est enim professio contractus ultrò, citròque obligatorius, atque adeo requiritur non tantum consensus novitiæ, sed etiam monialium, cùm de jure communi ad illas pertineat, ne dum quando recipitur ad habitum, sed etiam quando admittitur ad professionem. Abb. *in cap. Ad Apostolicam, ibique Glos. fin. de Regular.* & in specie probat Sanch. *in decal. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 65. cum ibi relatis. Quod adeò verum est, ut si Episcopus, vel alius Prælatus compelleret moniales ad recipiendam novitiam ut professam, poterunt ad superiores appellare, sicuti declaravit Sacr. Congr. super Episcop. & Regular. *in Colonien.* 13. *Maii* 1652.

Quær. XIV. An novitiæ absque causa capitulariter exclusæ licita fit reclamatio ad Superiorem, quòd moniales illam non admiserint ad professionem.

Resp. Licere. Ita Doctores, quos refert, & sequitur Pasqual. *in Lauret. p.* 2. *q.* 49. *nu.* 2. Evidens enim est, quòd novitia habet notabile interesse in causa, & ejus non admissio sine causa affert ipsi notabile gravamen, atque injuriam; unde non potest reiici ejus reclamatio in causa præsertim canonica, in qua secundùm jus canonicum licet à quocunque grávamine appellare. Ideòque Sac. Congreg. super Epis. & Regular. *sub die* 2. *Octobris* 1648. ac alibi sæpiùs declaravit, moniales non posse reiicere à professione novitiam sine causa.

QUÆR. XV. An constito de gravamine, possit Episcopus admittere ad professionem novitiam indebitè excluſam.

RESP. Affirmat Bordon. *in Consil. Regul. resol.* 57. *nu.* 107. Quia ad Prælatos majores spectat corrigere ea, in quibus subditi peccant, *Cap. ut famæ de sent. excom.* & notat Gloſs. *in Cap. ea quæ v. reatu de Off. Archid.* & ideò corrigere debent determinationes capitulares injuſtas. Consultius tamen existimo, præcipere Capitulo monialium, quòd indebitè gravatam recipiat. Quòd si pertinaciter recuſaverint Moniales, de earum contumacia Sacram Congregationem faciat certiorem, ut de opportuno remedio confeſtim provideri possit: ut reſolvit *ſub die* 5. *Novembris* 1605.

QUÆR. XVI. An novitia, quæ toto novitiatus anno fuit infirma, possit admitti ad professionem.

RESP. Ex Peyrino, & aliis affirmativè. Quia non tenetur novitia omnes auſteritates religionis experiri in ſpecie, ſed ſatis eſt, quòd probet in genere, perſeverando per annum ſub obedientia magiſtræ, & Abbatiſſæ. Quòd si novitia detegatur infirma morbo contumaci, remittenda eſt ad curandum in domum ſuam, Sac. Congreg. 10. *Februarii* 1649. *in Salernitana*; ex quacunque tamen cauſa exivit, non poteſt poſteà recipi ſine licentia Sacræ Congregationis, 29. *Januarii* 1601. & 15. *Aprilis* 1607. Poſſe item validè, & licitè admitti ad professionem novitiam, quæ morbo, vel ſenectute eſt impotens ad regulæ ſtatuta ſervanda, ſuſtinent

San-

Sanchez, Faustus, Navar. & Peregr. *in Comment. ad constit. sui ordin. p.* 2. *cap.* 1. §. 18. Quia obligatio ad religionis essentialia, nimirum castitatem, paupertatem, & obedientiam, nullas corporales vires exposcit, sed solùm voluntatis affectum. Cetera verò religionis statuta non sunt religiosi status essentialia, sed obligant, dum justa causa non excusat.

QUÆR. XVII. Qualis literatura requiratur in novitia admittenda ad professionem tanquam chorista.

RESP. Requiri, ut saltem sciat legere; cùm enim contrahat obligationem persolvēdi horas canonicas, non debet esse impotens ad satisfaciendum suæ obligationi. Ita fuisse decisum à Sac. Congr. *in una Girgen.* 12. *Januarii* 1604. refert ex Barbos. Tamburin. *disp.* 6. *q.* 6. *n.* 3.

QUÆR. XVIII. An, & ubi fieri debeat exploratio voluntatis novitiæ, antequam profiteatur.

RESP. Ante professionem quoq; ut supra diximus cùm de puellarum receptione, voluntatem novitiæ esse explorandam ab Episc. vel ejus Vicario, etiam in monasteriis exemptis, ut ex declaratione Sac. Congreg. testatur Pasqualig. *loc. cit. n.* 44. Pro exploranda tamen voluntate non licet ingredi claustra monasterii, & proinde ingrediens in excommunicationem incurreret, cùm id expressè prohibeatur *in Constit. Pii V.* 1. *in Bullar.* Ex justa nihilominus causa, ut si esset suspicio subornationis, potest professura educi è claustris monasterii ad Ecclesiam exte-

riorem; ut notat Tamburinus, quem refert Pasqual. *loc. cit.*

QUÆR. XIX. An, & quo tempore debeat Præfecta monialium notificare Episcopo tempus professionis emittendæ.

RESP. Ex Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 17. quòd, *ne professionis tempus Episcopus ignoret, tenetur Præfecta monasterii eum ante mensem certiorem facere; aliàs, quandiù Episcopo videbitur, ea ab officio suspensa sit.* Quoad monasteria verò exempta præfigitur spatium quindecim dierum à Pio V. *in cit. Constit.* quibus elapsis in hoc se intromittere, Episcopo non liceat.

QUÆR. XX. An si Episcopus negligeret explorare voluntatem, postquam certior factus est à Præfecta, possit punire Abbatissam, quæ elapso termino admitteret novitiam ad habitum, vel professionem.

RESP. Si monasterium sit exemptum, nequaquam punire potest, quia juxta *Constit. cit.* Pii V. si per quindecim dies negligat explorare, non potest ampliùs se ingerere. At si Monasterium non sit exemptum, neque videtur, posse punire. Quia ex decreto Concilii non tenetur Præfecta nisi ante mensem certiorem facere Episcopum, non autem tenetur ultra debitum tempus expectare. Delinquit ergo Episcopus, si intra tempus assignatum non exploret; quare si Præfectam puniret, negligentiam suam in alio puniret. Pasqual. *in Lauret. num.* 46.

QUÆR. XXI. Ad quem spectet acceptare professionem novitiæ profitentis.

RESP.

Resp. Spectare ad Episcopum, vel ejus deputatum privativè quoad Abbatissam, tenet Suarez, *t.* 4. *de Relig. tract.* 9. *lib.* 10. *cap.* 11. *n.* 1. & colligit *ex cap. statuimus* 20. *q.* 2. Quia apud Episcopum tantùm est propriè jurisdictio. Oppositum sustinet Sanchez, & colligitur ex declaratione Sac. Congr. 22. *Februarii* 1625. quæ sic habet: *Professio monialium fieri debet in manibus Ordinarii principaliter, non Abbatissæ*, ex quo deducitur, quòd in manibus Abbatissæ possit fieri de secundario. Quare servandam esse consuetudinem cujuscunque Ordinis, & provinciæ, aut loci, existimant alii.

Quær. XXII. An Abbatissa cum consensu Monialium validè admittat ad professionem, contra prohibitionem Prælati.

Resp. Si Prælatus simpliciter prohibeat, professio per hoc præcisè non est nulla, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur: si verò prohibeat suspendendo Abbatissæ facultatem, & protestando se in talem admissionem non consentire ex rationabili causa, tunc professio est nulla ex defectu potestatis in admittente.

Ita quòd neque per Vicariũ potest admitti; quia, quod una via est prohibitum: non censetur alia permissum, *cap. quod una de regul. jur. in* 6. unde cum sit prohibita admissio dictæ puellæ per Abbatissam, non est censenda permissa per Vicarium, aliàs frustatoria esset prohibitio. Pasqualig. *in qq. moral. canonic. cent.* 4. *quæst.* 307.

Quær. XXIII. Quænam privilegia conse-

quatur Monialis ex emissione professionis.

Resp. In primis consequi plenariam omnium suorum peccatorum remissionem quo ad pœnam, ita quòd, si emissa professione statim decederet, directa in cœlum conscenderet. Ita D. Thom. 2. 2. *qu. ult. art.* 3. *ad* 3. & communiter Doctores, quorum aliqui etiam addunt, consequi hujusmodi remissionem etiam quando jam professa de professione gaudet, eamque innovat, parata facere, si non feciſſet. Dionysius Carth. & Vecchius *de Novit. disp.* 13. *dub.* 5. *num.* 7. alios citans.

Relaxantur insuper omnia vota simplicia, realia, & personalia, atque mixta, & in solemne religionis votum commutantur. Ita D. Thom. *loc. cit.* & ibi Cajetanus, qui *qu. ult. art.* 3. *ad* 3. ait, ad hanc commutationem nullã voventis intentionem exigi. Hoc tamen locum non habet in votis realibus de re, quæ cadit in utilitatem tertii, & ab alio tertio sit acceptata, quia per acceptationem acquisitum est jus illi tertiæ personæ, atque adeò in damnum tertii commutari non potest; secus verò quando non esset acceptata promissio, quia tunc jus non est illi quæsitum. Ita Doctores relati à Peregrino *loc. cit.* Sunt & alia privilegia, quæ videri possunt, Sanch. *t.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5.

Quær. XXIV. Quale peccatum sit, de emissa professione pœnitere.

Resp. Per se mortale non est, dummodo Monialis retineat animum adimplendi promissa. A veniali tamen non excuso, quia il-

li

la pœnitentia actus boni, licèt voluntarii, adversatur directioni rationis, & summa ingratitudo est, nolle recepisse à Deo tale, ac tantum beneficium, qualis est religiosa professio. Ita Azor. Cajet. Vasquez, & alii relati, & approbati à Peyrin. *t.2. de Prælat. q.3. cap.1. §. 5. nu.155.*

CAPUT III.

De Monialium Consecratione.

QUÆR. I. QUandonam voto virginitatis, aut cœlibatus publico, & solemni cum Episcopi consecratione Moniales cœperint obligari.

RESP. Sunt, qui Divum Basilium Magnum hujus instituti, sive consuetudinis auctorem faciant. Alii id sub Constantino Magno, & alii Ambrosii, & Hieronymi ætate factum arbitrantur. Sed Ambrosius *lib.1. de Virgin.* conatur ex Tecla tanquam traditionem Apostolicam probare, ac tueri. Polidorus Virgilius verò consecrationes Virginum Sacrarum Pii Primi Pontificis institutum esse autumat. Habetur Pii decretum *in can. Virgines 20. qu.1.*

QUÆR. II. Ad quem spectet solemnis Monialium consecratio.

RESP. Ab initio hujus ritus tam à Sacerdotibus, quàm ab Episcopis consecrabantur, ut colligitur ex Ambrosio *lib.3. de Virgin. ad Marcellinam*. In Concilio autem Carthaginensi secundo *can.* 3. prohibitum fuit, ne consecratio puellarum à præsbyteris fieret,

can. si jubet sanctitas 26. *q.* 6. Spectat igitur ad Episcopum, eumque consecratum, quia solemnis consecratio non tam est potestas jurisdictionis, quàm ordinis. Ex speciali tamen privilegio Pontificis posse Prælatis inferioribus, & Superioribus Regularium committi, asserit Tamburin. *disp.* 27. *qu.* 5. *n.* 7. & 8. ubi refert, Generalem sui Ordinis, & Camaldulensis consecrare ab immemorabili moniales sibi subditas, idipsum approbantibus Sede Apostolica, & Sac. Rit. Congreg. *sub die* 1. *Julii* 1601.

QUÆR. III. Quo tempore fieri debeat consecratio.

RESP. Servandum esse tempus à jure præscriptum, nisi aliud suadeat necessitas, nam in tali casu quolibet die fieri potest. Tambur. *disp. cit. q.* 4. *nu.* 3. Quæ autem sint tempora statuta, habetur *in d. can. Virgines. q.* 1. in quo hæc leguntur: *Non consecrandas esse Virgines, nec velamen eis imponendum nisi in Epiphania, in Sabbato Paschæ* (alia littera habet *in Albis Paschalibus*, ideſt intra hebdomadam Paschæ, ut Glossa exponit) *& in Apostolorum natalitiis, nisi mortis causa urgente.* In Concilio verò Lateranensi sub Alexandro Tertio, pro ut habetur *in cap.* 1. *de tempor. ordin.* concessum est, ut omnibus diebus Dominicis liceat Virgines consecrare; & consuetudo hoc extendit ad alias solemnes festivitates, ut advertit Turrecremat. *cap. devotis. q.* 4. & ita in hoc consulenda est, & servanda consuetudo. Quamvis Piscara *in praxi Cærem. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 1. non nisi in die Dominico, & intra missarum so-

solemnia fieri debere ex Pontificali Romano, contendat.

QUÆR. IV. Quo loco fieri debeat.

RESP. In Ecclesia exteriori fieri posse ex Sac. Congreg. Rit. 27. *Julii* 1627. referente Tambur. *q.*6. ubi advertit, ex justa causa, & ejusdem Sacræ Congreg. rescripto inductum fuisse, quòd monialis consecranda nequaquam egrediatur è clausura, sed consecretur in Ecclesia interiori à Prelato existente ad fenestellam.

QUÆR. V. Quid requiratur in Moniali, ut licitè consecrari possit.

RESP. Requiritur ætas annorum viginti-quinque expletorum. Ita *ex c. Placuit.* 20. *q.* 1. & ita etiam sancivit Synodus Arelatensis *c.* 27. Nec audiendi sunt, qui putant etiam ante dictam ætatem posse consecrari. Requiritur item, quòd sit professa in Ordine approbato, non quocunque, sed monastico. Ita ex Sacr. Congregat. 30. *Septembris* 1616. Insuper quòd sit virgo, ut habetur *in cap. devotis* 20. *q.* 1. ubi Gelasius Papa ait, *Viduas velare Pontificum nullus attentet.* Quod intelligendum est de velo consecrationis, non de velo professionis, & continentiæ, quod etiam ipsis competit, ex *c. Vidua*, 20. *q.* 1.

QUÆR. VI. An fœmina corrupta, sed communiter reputata ut virgo, possit consecrari.

RESP. Negant aliqui cum D. Thom. *in 4. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 5. Quia ex una parte verba consecrationis virginum accomodari non possunt corruptæ sine mendacio, & ex alia neque debent mutari, quia ad vi-

tam-

tandum scandalum, non sunt varianda Ecclesiæ Sacramenta, vel Sacramentalia. Placet tamen affirmativa sententia, cui adhæret Tamburin. *disp.* 27. *q.* 4. *ad* 7. Quia quandiu res est occulta, potest fœmina ad vitandam infamiam in exteriori foro se gerere, sicut communiter reputatur, & potest sine mendacio virgo appellari, quia verbum illud verificatur in communi omnium existimatione & de virginitate putativa, quod sufficit ad tollendum mendacium. Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 9. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 9. Et hoc etiam si Prælatus certò sciret esse corruptam, quia, non obstante scientia illa privata, non desinit reputari ut virgo, unde Prælatus formam consecrationis virginum accomodat illi secundùm communem existimationem, atque adeò sine mendacio. Sicuti mentita non fuit B. Virgo, quæ licèt sciret sponsum suum non esse Christi Domini Patrem, attamen, quia talis reputabatur, illum Patris nomine nuncupavit. *Lucæ* 2. *Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te.*

QUÆR. VII. An monialis per vim, & sine culpa sua corrupta possit consecrari.

RESP. Quòd non, *ex cap. Acutius* 26. *dist.* & ex S. Leone Papa *in capit. illæ autem famulæ* 32. *q.* 5. Quod exponens D. Tho. dicit, quamvis virgines, quæ per violentiam corrumpuntur, si nullo modo consentiant, virginitatis gloriam non perdant, quia tamen valde difficile est, quòd in tali delectatione aliquis complacentiæ motus non insurgat, ideò Ecclesia, quæ de interioribus non judicat, hujusmodi sic corruptas inter virgines

non

non velat. Secus tamen dicendum est, si certa sit se nullo modo delectationi consensisse. Colligitur ex D. August. *de Civit. Dei cap.* 18. ubi dicit tali Virgini *nihil de corporis sanctitate periisse*, eamque parem facit illi, *cujus integritatem obstetrix ex justa causa manu velut explorans, casu, dum inspicit, perdidit*. Sed hæc potest velari, ergo & illa, Lessius *de Just. & jur. lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 16. Idem quoque dicendum videtur de puella, quæ in somno, amentia, & ebrietate fuit carnaliter cognita, si nullo modo consensit.

QUÆR. VIII. An possit consecrari monialis, cui juxta medicinæ artem ad sanitatem tuendam fuit fractum claustrum virginale.

RESP. Ex Tamburin. *loc. cit.* posse. Quia ad tollendam corporis integritatem, quæ ad consecrationem est necessaria, duo requiruntur, scilicet fractio claustri virginalis, & actus libidinosus, qui certè non intervenit in hoc casu. Unde ob hanc rationem potest admitti ad consecrationem monialis, quæ per voluntariam seminis effusionem est polluta, integro remanente claustro, quia, licèt interveniat actus libidinosus, deficit tamen alia qualitas, quæ opponitur virginitati requisitæ, scilicet fractio claustri virginalis. Similiter consecrari poterit monialis, quæ ante annos discretionis turpem aliquem actum contra castitatem commisit, quia cum præ defectu ætatis non insit potestas seminandi, ea per nullum actum turpem amittere potest corporis integritatem, sicque ad-

huc remanet virgo. Ita Rosella, Tamburinus, & Lessius *loc. cit. n.* 121. ubi addit, contrarium fortasse verius esse, si in puella adsit perfectus usus rationis.

QUÆR. IX. An monialis possit admitti ad consecrationem, nondum Sacramento Confirmationis susceptо.

RESP. Posse, cùm nullum jus prohibens extet; regulariter tamen Episcopus non debet admittere virgines ad consecrationem, antequam confirmentur. Si enim omnis fidelis confirmari debet, ut plenè Christianus inveniatur, à fortiori debent id facere virgines, quæ Sponso Christo desponsari debent, & consecrari.

QUÆR. X. An solemnis consecratio monialium possit iterari.

RESP. Non posse, ita Miranda *qu.* 7. *de Monialib. art.* 7. Quia licèt sit simplex benedictio, per quam nulla tribuitur potestas, adhuc tamen est quædam sanctificatio, qua monialis suo modo consecratur; quod autem semel consecratum est, remanet semper tale, unde nec benedictio nuptiarum iteratur, nec similiter benedictio sacrarum vestium.

QUÆR. XI. An saltem sit reiteranda consecratio monialium nulliter professarum, revalidata professione.

RESP. Videri quòd sic, quia professio est qualitas fundamentalis præsuppositа ad consecrationem. Nulla igitur existente professione, nulla quoque erit consecratio; dum enim deficit fundamentum, non potest locum habere, quod in ipso fundatur,

l.nam

l. nam orig. ff. quod vi, aut clam. atque adeò erit reiteranda. At negativè reſolvendum, ſicut de benedictionibus nuptiarum, quando matrimonium fuit nullum, ob occultum aliquod impedimentum, teſtatur Sanchez, *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 37. *num.* 13. Ita Sacra Congregatio, quæ reſcripſit Epiſcopo *Parmen.* 17. *April.* 1577. moniales nulliter profeſſas non eſſe reconſecrandas, ſed poſſe tolerari, ſolùmque earum profeſſionem eſſe ſupplendam, & cautè ratificandam.

QUÆR. XII. An conſecratio monialium conferat gratiam, remittatque peccata venialia.

RESP. Conferre gratiam, & remittere peccata venialia, non quidem ex opere operato, aliàs eſſet Sacramentum, quod eſt falſum, ſed ſolùm remotè & per modum impetrationis, quatenus aliqua ratione ex meritis, & interceſſione Eccleſiæ talis conſecratio excitat in conſecrata attritionem, & diſplicentiam peccatorum, atque adeò remiſſio obtinetur ex opere operantis. Ita ex D. Thom. 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 3. *& Suarez, loc. cit. nu.* 14.

CA-

CAPUT IV.

De Voti Paupertatis obligatione.

§. I.

De natura Voti Paupertatis.

QUÆR. I. QUid sit Paupertas religiosa.

RESP. Esse voluntariam abdicationem proprietatis factam à Religioso, dum emittit professionem in Religione approbata. Per hoc votum prohibetur non solùm actus externus habendi, & contrectandi proprium, sed etiam internus, nempe voluntas habendi proprium. Quia, quando prohibetur aliquid, interdicitur etiam omne id, quo pervenitur ad prohibitum; undè quia per voluntatem pervenitur ad actum externum, actus quoque internus censetur interdictus. Non peccaret tamen Monialis, si haberet desiderium habendi divitias sub conditione, si non esset voto paupertatis adstricta, quia illa conditio excludit propositum agendi contra votum; & solùm illud desiderium posset esse peccaminosum, si exponeret monialem periculo delinquendi contra votum.

QUÆR. II. An monialis ex vi voti paupertatis reddatur incapax testandi in morte de propriis bonis.

RESP. Cùm communi affirmativè, quia ex vi voti redditur incapax habendi proprium,

prium: & hoc verum est, etiam si ad pias causas testari vellet. Hinc est, quòd neque de propria Cella potest disponere, quia jus nullum habet, sed tantùm usum, sua morte finiendum; undè adveniente morte, aut quocunque alio casu, fieri debet illius distributio monialibus anterioribus professione. Sac. Congreg. *in Mutinensi* 10. *Aprilis* 1615. Vacantes cellæ debent assignari secundùm antianitatem, nec Superior regularis potest aliter ordinare, *in Ferrarien.* 3. *Junii* 1597. & antianitas incipit à die professionis emissæ, non à die habitus suscepti, 5. *Julii* 1645. Idque non obstantibus Superiorum mandatis, *in Mediolanen.* 5. *Febr.* 1601. Nisi tamen in aliquo monasterio adesset consuetudo immemorabilis, quòd cellæ vacantes distribuantur, & assignentur ad arbitrium Abbatissæ, & Discretarum, *in Mutinen.* 24. *Januar.* 1613. Concedi potest moniali cellam ædificare, eaque uti sua vita durante, vel alia à suis consanguineis ædificata, *in Cesenaten.* 2. *Januar.* 1601. Non tamen potest illam vendere, *in Mediolan.* 8. *Novembr.* 1625. licèt vellet erogare pretium in utilitatem monasterii, nisi de licentia Sac. Congr. & consensu monialium, *in Veneta* 3. *Maii* 1647. neque decernere, quòd monialis antiana, quæ cellam optare vult, teneatur aliquid solvere, *in Januen.* 22. *Decemb.* 1620. quod servari debet etiam in casu permutationis, ne via fraudibus aperiatur, *in Neapolitana* 17. *Novemb.* 1628. Datur tamen aliquando facultas Abbatissæ, & monialibus, ut ob aliquam legitimam causam capitulariter,

ter, & per vota ſecreta poſſint cellas vacantes profeſſione poſterioribus concedere, ne moniales contra votum paupertatis abrogent ſibi cellas tanquam proprias, 19. *Maii* 1619. Nulla verò monialis cogi poteſt ad optandas cellas, *in Nolana* 10. *Junii* 1616. Fusè de hac re Pignatel. *t.* 10. *conſult.* 34. Exiſtimat nihilominus Roſſignol. *de Reſtit.* 1. *prænot.* 10. *nu.* 12. quòd exiſtente conſuetudine, ut Moniales tranſmittant ſua cubicula cùm ſupellectili ad ſuas alumnas, non peccant ſic transferendo. Quia iſta ordinata ſucceſſio ſemper eſt cùm voluntate implicita Superioris dictæ conſuetudini ſe conformantis; taliter tamen, ut ſi velit, poſſit illam poſſeſſionem removere, & ſucceſſionem interrumpere; atque adeò in hoc nihil reperitur, quod adverſetur naturæ voti paupertatis, quæ proprietatem tantùm reſpuit, non uſum ad nutum Superioris revocabilem.

QUÆR. III. An monialis profeſſa poſſit teſtamentum ante profeſſionem à ſe factum declarare.

RESP. Poſſe, ſiſtendo in vera, & propria declaratione voluntatis incertæ; ſecus verò ſi declaratio recipiat diſpoſitionem, quæ de jure eſt certa, & monialis velit illam declarare, quia iſta non tam eſt declaratio, quàm nova diſpoſitio, quæ voto paupertatis repugnat. Mantica, Rodriq. Sanch. & Peregrin. *ad Conſt. ſui ord. p.* 2. *cap.* 1. §. 36.

QUÆR. IV. An monialis peccet contra votum paupertatis, ſi recipiat pecunias ſæcularium in depoſitum abſque licentia Abbatiſſæ.

RESP.

Resp. Non peccare, quia in tali casu nec dominium, nec usum, neque administrationem illius peccuniæ acceptat, sed hæc omnia remanent apud deponentem, solo officio custodis admisso, quod voto paupertatis non videtur prohibitum. Ita cùm aliis Diana *loc. cit. ref.* 66.

Quær. V. An monialis sumens aliqua bona monasterii pertinentia ad cibum, & potum, frangat votum paupertatis.

Resp. Cum Suarez, *t.* 3. *de Retig. lib.* 8. *cap.* 11. *nu.* 41. non frangere, nisi damnificatio religionis esset nimia, & in re extraordinaria, & pretiosiore. Extra hujusmodi casum res pertinentes ad cibum, & potum reputantur levioris momenti, etiam si tractu temporis perveniant ad quantitatem notabilem, quia ista minima furta in tali materia non continuantur, neque multùm damnificant. Diana *loc. cit. ref.* 45. Et quamvis Abbatissæ hoc displiceat, non tamen ita censeri debet involuntaria, ut illam reputet materiam gravem in ordine ad paupertatem; monialis enim quo ad usum hujusmodi rerum tractatur ut filia, inter parentẽ autem, & filiam non censetur hujusmodi actio gravis.

Quær. VI. An monialis, quæ invita Abbatissa repetitis viribus surripit modicum panis, vini &c. & dat extraneis, peccet mortaliter, & ad rẽstitutionem teneatur.

Resp. Duæ extant Doctorũ sententię. Prima ait quòd peccet tãtùm venialiter; cùm tamen valor rei surreptæ pervenit ad notabilẽ quantitatem, tunc ultimum furtum præcedentibus

acce-

accedens efficitur mortale; nisi monialis in commissione ultimi furti habeat animum, saltem virtualiter, restituendi minuta furta priora; quia tunc nullum fit damnum notabile. Vel nisi magnis interpositis intervallis, ejusmodi furta committat; quia superiores minus ægrè ferunt, quædam sibi auferri longo intervallo, quàm eandem quantitatem simul vel brevi tempote; Ita, aliis relatis, Barthol. a S. Faus. *lib.* 8. *q.* 189. *in suo Thesau.* Secunda opinio concordat cum prima quo ad restitutionem faciendam, negat tamen quòd illud ultimum furtum complens notabilem quantitatem fiat mortiferum virtute priorum. Quia sicuti ex peccatis venialibus quantumcunque multiplicatis non consurgit mortale; ita neque ex illis furtis, quæ levia sunt, & venialia, consurget culpa lethalis. Navar. *cap.* 17. *n.* 189. & Viga *lib.* 14. *in Conc. Trid. cap.* 11. *in fin.*

QUÆR. VII. An moniales dantes extraneis, ut supra, modicum panis, & vini incidant in excommunicationem latam ab Episcopo contra hujusmodi surripientes.

RESP. Affirmativè, quia, licèt admissa supradicta opinione, mortaliter non peccent, atque adeo ex hoc capite non incidant in excommunicationem, quæ ferri non potest nisi in mortaliter peccantes; potest tamen ex justa causa imponi præceptum sub excommunicatione de re, quæ aliàs non erat gravis, & tunc moniales non obtemperantes peccant mortaliter, non quia surripiant, sed quia ex suppositione præcepti sub excommunicatione nolunt obtemperare, & à

fur-

furtiolis illis abstinere, & sic excommunicationem incurrunt, quia, cùm monasterium per furtiola à pluribus facta patiatur grave detrimentum, adest justa, & gravis causa ferendi talem excommunicationem. Salmantic. *in Theol. mor. t.* 3. *tract.* 13. *cap.* 5. *pun.* 3. §. 3. *nu.* 29.

QUÆR. VIII. Quænam bonorum monasterii quantitas requiratur, ut ea sine licentia Abbatissæ usurpata à moniali, ad peccatum mortale pertingat.

RESP. Quot capita, tot sententiæ. Rebellius, Graffius, Bonacina, & alii asserunt, eam quantitatem sufficere, quæ sufficit in sæcularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti. Rodriquez, & Aragonius putant monialem tunc committere furtum, quando ascendit ad summam duorum aureorum. Alii volunt, quantitatem notabilem in religiosorum furtis pensandam esse in particulari pro temporum, locorum, personarum, & aliarum circumstantiarum differentia, judicio, & arbitrio boni viri. Ita Miranda. Alii determinant pro materia sufficienti ad peccatum mortale quantitatem duorum argenteorum, ut Mendoza: trium, Bartholomæus à S. Fausto: quatuor, Jo: de la Cruz, & Sanchez; octo verò, aut novem in rebus, quæ actu non consummuntur, Ledesma. Alii tandem furtum religiosi comparant cum furto filii familias in ordine ad res monasterii, ita quòd ea quantitas, quæ ablata à filio ex bonis paternis inducit peccatum mortale, sufficiat etiam ad arguendum religiosum de peccato mortali; est enim in utro-

que

que par ratio, quia ſicut bona paterna reſervantur filiis, ita bona monaſterii reſervantur religioſis ad eorum ſubſtentationem. Ex his placitis tam variis, quæ certè innituntur variis rerum circumſtantiis, videat Confeſſarius, quid in unoquoque caſu ſit determinandum.

QUÆR. IX. An Monialis delinquat contra votum paupertatis, ſi mutuet, aut commodet ex rebus ad ipſius uſum conceſſis.

RESP. Peccare, ſi id faciat abſque Abbatiſſæ licentia ſaltem tacita, quia monialis eſt merè uſuaria, & uſuarius non poteſt concedere alteri uſum rei permiſſæ, ut habetur *inſtit. de uſu, & habit.* §. 1. & 2. Non peccat tamen mortaliter ſi ſit ſecura de reſtitutione rei commodatæ, aut mutuatæ, idque ſive commodatum, aut mutuum ſit intrà idem monaſterium (quo caſu faciliùs præſumi poteſt licentia tacita) ſive extra; quia mutuum, & commodatum non æſtimantur gravis materia. Ita Layman, Sanchez, & Peyrinus, quos refert, & ſequitur Diana *loc. cit. reſ.* 14.

QUÆR. X. An peccet monialis contra votum paupertatis, ſi ſine licentia Abbatiſſæ rem monaſterii ad communem uſum deputatam immutet in aliam proprio uſui applicandam, v. g. ex ſindone formando linteola.

RESP. Peccare, & quidem mortaliter, ſi adſit gravitas materiæ, quia talis immutatio, & applicatio ad proprium uſum important actum, qui non poteſt exerceri niſi à domino; hæc autem adverſantur voto pau-

per-

pertatis. Alphonſ. de Leone *de off. Confeſ. recoll.* II. *nu.* 211.

QUÆR. XI. An peccet monialis, quæ habens ex peculio ſibi conceſſo neceſſaria ad veſtitum, recipit ab Abbatiſſa veſtem ſingulis annis dari ſolitam.

RESP. Non peccare, quia recipiendo illam veſtem utitur jure ſuo, quare nemini facit injuriam, præſertim cùm illam veſtem recipiat ab Abbatiſſa, quæ præſumitur conſcia peculii conceſſi, undè non poteſt dici involuntaria.

QUÆR. XII. An monialis eo ipſo, quòd deputatur ad officium aliquod monaſterii exigens multas, & graves expenſas, ab ipſa faciendas, poſſit ſine licentia recipere ab amicis, & conſanguineis pecunias, ad talem effectum neceſſarias.

RESP. Quòd ſic, concurrente tacita, & interpretativa voluntate Abbatiſſæ illam ad tale officium deputantis. Si enim officium exigit expenſas, nec pecunia ſubminiſtratur ab Abbatiſſa, eo ipſo quòd monialis tali officio eſt deputata, cenſetur tacitè conceſſa licentia recipiendi ea omnia, quæ pro tali munere obeundo ſunt neceſſaria, quia conceſſo uno conceduntur etiam omnia, ſine quibus non pervenitur ad ipſum, *l.* 2. *ff. de juriſd. omn.*

QUÆR. XIII. An monialis, quæ indigens aliqua ſumma pecuniæ, quam unus ſuperior non concederet, medietatem illius pecuniæ recipit de licentia Abbatiſſæ, & aliam medietatem de licentia Prælati, peccet contra votum paupertatis.

Resp. Non peccare, verum enim semper est, quòd recipit cùm legitimi superioris licentia. Neque modo supradicto utitur in fraudem, sed utitur jure suo, quia si potest uterque superior cumulativè concedere, poterit & monialis ab utroq; postulare. Difficiliùs forsan Prælatus secundam licentiam concederet, si esset conscius de impertita ab Abbatissa: sed quia major difficultas concessionis, non inducit defectum voluntatis in concedente, ut per Sanchez, *de matr. lib.* 8. *disp.*21. *nu.* 11. hinc est, quòd per hoc non viriatur licentia superioris.

Quær. XIV. An, & quomodo moniales dilapidantes bona sive sibi concessa ad usum, sive communia conventus, teneantur restituere.

Resp. Tradunt Armilla, Rosella, Tabiena, & Sylvester, non teneri, quia restitutio debet fieri ex proprio, quo caret monialis ratione voti paupertatis. Alphonsus de Leone ait, monialem, si non habeat reditus, non teneri nisi ad inducendum eum, cui dedit, ut restituat. Placet opinio Navarri, & Fagundez, qui obligant monialem in tali casu ad restituendum, non quidem restitutione propriè dicta, quæ non fit nisi ex propriis bonis, sed restitutione impropriè dicta, nempe abdicando à se usum proprii peculii, si quod habet, ea tantummodo parte retenta, quæ ad proprias indigentias absolutè est necessaria. Non tamen tenetur magis laborare, vel sibi necessaria subtrahere, vel aliundè ab extraneis bona procurare, ex quibus debitam faciat restitutionem. Hæc duriora

sunt,

sunt, ideòque potiùs consulenda, quàm præcipienda.

Quær. XV. Utrum monialis satisfaciat propriæ obligationi restituendi monasterio, si ex proprio peculio emat, v. g. lampadem argenteam ad usum Ecclesiæ, eique applicet, simulando donare, sed re vera intendendo suo debito satisfacere, & hoc ad consulendum suæ famæ.

Resp. Videri quòd sic; quia in contractibus vera, non simulata intentio inspicitur; undè si vera intentio monialis tendit ad satisfactionem, secundùm hanc est judicanda satisfeciſſe. Patet à pari; nam si debitor in suo ultimo testamento leget alicui centum, cui item centum debet, suæ satisfacit obligationi, *l. si cum dotem. §. si patre, ff. soluto matrim.* Legatum autem est species donationis, Gomez, Bartol. & communiter Doctores. Quare sicut satisfit per legatum, debet etiam posse satisfieri per donationem. Ita in terminis Bordonus *in decis. Miscel. decis.* 271. Verum tamen est, quòd si monasterium indigeret necessariis ad monialium sustentationem, tunc puto, monialem non satisfacere; quia cum restitutio ista fiat de bonis monasterii, & ad redintegrandum jus illius læsum, ea debet fieri juxta mentem probabiliter præsumptam Abbatissæ, quæ administrat monasterii bona, & non aliter; posito autem, quòd monasterium indigeat necessariis ad sustentationem, non potest præsumi, quòd Abbatissa sit contenta, quòd summa illa ad pompam expendatur.

QUÆR. XVI. An votum paupertatis possit per consuetudinem abrogari.

RESP. Quoad substantialia non posse, quia quoad hæc votum est juris divini naturalis; contra quod non potest prævalere consuetudo; Quoad circumstantias verò, quibus votum observatur, posse abrogari non dubito, quia hujusmodi observantiæ, utpote inductæ jure humano, hoc est vel ab Institutoribus regularum, vel à summis Pontificibus, poterunt ad instar aliarum legum per consuetudinem tolli. Ita Doctores communiter. Ad inducendam consuetudinem voti paupertatis abrogativam satis probabile est, quòd sufficiat, si perseveret per decennium. Ita Suarez, Mascardus, Bonacina, & alii. Quamquam non improbabile sit, quod tradunt Menoch. Medina, Sotus, & alii, scilicet nullum tempus esse determinatum ad inducendam consuetudinem, sed arbitrio prudentis id esse pensandum, qui pro negotii qualitate, & pluralitate actionum poterit tempus aut limitare, aut extendere. Præsumitur autem talis consuetudo, quando constat eam passim practicari à monialibus etiã timoratis, & aliàs bene observantibus, idque scientibus, & non contradicentibus Prælatis, cùm facilè possent contradicere.

QUÆR. XVII. An Epicheja possit habere locum quo ad dandum, & recipiendum sine expressa licentia Abbatissæ.

RESP. Si in aliis obligationibus admittitur, cur in obligatione voti paupertatis, cùm sit par ratio, debet excludi? Faciliùs tamen admittitur quoad recipiendum, quia me-

melioratur monasterium, quàm quo ad dandum, quia distractio bonorum monasterii est nociva, ideoque regulariter præsumitur superioribus involuntaria, non solùm ratione modi, sed etiam ratione substantiæ talis actus; tantoque erit difficilior ista præsumptio, quanto major fuerit quantitas materiæ; sicut augebitur difficultas, si ea distractio fiat extra monasterium, si quidem ea inter moniales ejusdem monasterii faciliùs permittitur. Suarez *t.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 15. *n.* 2. In rebus verò levioris momenti faciliùs potest admitti, scilicet in esculentis, poculentis, & in rebus devotionis, quia quo ad hæc faciliùs superioris consensus potest præsumi. An autem Monialis, quæ per Epichejam dedit, aut recepit rem notabilem; teneatur postea id aperire Abbatissæ, negant aliqui, quia ratio, quæ dedit titulum acceptioni, dat etiam titulum detentioni; quod intellige durante eadem ratione, alioquin detineret sine licentia Abbatissæ, quod est prohibitum religiosis.

§. II.

De Peculio, & ejus usu.

QUÆR. I. AN moniales possint habere peculium.

RESP. Posse, præsertim in iis monasteriis, in quibus sive ob nimiam paupertatem, sive ob incuriam, & negligentiam superiorum non potest observari vita communis, subministrando omnibus, & singulis

monialibus ea, quæ ipsis sunt necessaria juxta decentiam status. Ratio est, quia usus talis peculii non repugnat voto paupertatis, aut juri communi, ut benè ostendit Sanch. *lib. 7. cap. 22. n. 5.* neque Concilio Tridentino, quia *sess. 22. cap. 2.* solùm prohibet posse concedi peculium cum jure dominii utilis, quia hoc modo monialis possideret more sæcularium, quod facere non potest, id interdicente voto paupertatis. Quare moniales non debent uti peculio nisi de licentia Abbatissæ.

QUÆR. II. An moniales ex vi voti paupertatis teneantur esse animo paratæ ad abdicandum à se usum talis peculii ad nutum Abbatissæ.

RESP. Teneri, aliàs usus ille esset proprietarius, si non penderet à superiore, & talis independentia importaret usurpationem dominii contrariam voto paupertatis. Ita Less. Navar. Peyrin. & alii cum Suarez dicente, quòd licèt moniales percipientes annuos redditus de superiorum licentia debeant esse in hac præparatione, ipsi tamen superiores non debent usum peculii auferre nisi alio modo provideant necessitatibus monialium.

QUÆR. III. An moniales teneantur abdicare à se peculium, si dubitent, Abbatissam non esse illarum necessitatibus provisuram.

RESP. Non teneri, nisi constet alia ratione earum necessitatibus consultum iri. Ita Lessius, & Peyrinus, qui addit, neque teneri monialem obedire Abbatissæ volenti pe-

peculium ei permissum auferre, ut sibi retineat, vel auferat illi soli, non aliis monialibus monasterii: quod tamen cum grano salis est intelligendum, potest enim adesse, immò in dubio debet præsumi justa causa, auferendi illi potiùs, quàm alteri; qua existente, non potest monialis resistere Abbatissæ, & si resistat sive vi, sive murmure, & querimoniis, peccabit contra votum paupertatis, utpote exercens actum dominii independentis, & consequenter voto paupertatis religiosæ repugnantis, sicut ex Lessio docet Layman; quamquam, quod spectat ad resistentem murmure, & querimoniis, non ita facilè talis resistentia reputari debeat mortalis, nisi sit immoderata, & notabiliter excedens judicio prudentis.

Quær. IV. An moniales possint habere annuos census, & proventus, & expendere in licitos usus acquisita ex industria de suorum superiorum licentia.

Resp. Posse & moniales habere, & superiores concedere, ad nutum tamen revocabilia, suadetur ex jure communi *cap. fin. Qui cler.* ubi indulgetur, ut quædam mulier post professionem religionis maneat in domo sua cum omni substantia quoad usum; unde Glos. *in cap. cum inter* 1. *de elect.* dicit, quòd non est contra substantiam monachatus, idest, contra votum paupertatis, ut religiosus de certis redditibus vivat, cum hoc possit superior concedere. Neque quo ad hoc aliquid innovavit Concilium Tridentinum, sed tantùm prohibuit, ne concedantur annui redditus tanquam proprii, & ir-

revocabiliter, ut cum aliis citatis docet Bordon. *Consil. Regul. ref.* 43. *num.* 51. vel prohibuit posita reformatione, quia verba generalia intelligenda sunt, non secundùm quod sonant, sed secundùm subjectam materiam. Unde hanc distinctionem admittunt in præsenti casu Megal. 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 7. Sanchez, & alii.

QUÆR. V. An monialis, quæ dum erat novitia, sibi fecit livellum, vel eidem jam professæ relictum fuit legatum sub ea conditione, ne Abbatissa, vel alius superior se ingerat, fiat proprietaria, si illud accipiat independenter à superioris licentia.

RESP. Fieri proprietariam, & peccare mortaliter, quia intendit retinere independenter à voluntate superiorum; Graffius *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *nu.* 42. & alii communiter. Tenet tamen illud legatum, quia conditio illa, ne superior se intromittat, est turpis, cum repugnet voto paupertatis, ac proinde non vitiat legatum, sed vitiatur, & habetur pro non adjecta.

QUÆR. VI. An Monialis possit non exigere livellum sibi ante professionem reservatum hoc modo, quòd consanguinei teneantur singulis annis solvere vita durante viginti scutos, si videbitur petere, & exigere; aliter, si non exigat, remaneant in bonis consanguineorum.

RESP. Contra Vericellum tract. 3. *q.* 36. non posse non exigere, quia illa conditio arguit remissionem legati, quod est dare, secundùm Bartol. *in l. peculium*, 4. *de peculio*; remittere autem, & dare sunt actus proprie-

tatis,

tatis, maximè in noſtro caſu, in quo forma reſervationis livelli excludit voluntatem ſuperioris, unde violatur votum paupertatis non exigendo.

QUÆR. VII. An Monialis bona ſibi relicta ex teſtamento, & donatione, vel ſuis laboribus debita poſſit repudiare, rogando offerentes, ut hujuſmodi tradant ſuis conſanguineis, aut alteri extraneo.

RESP. Nullo modo poſſe, quia in illis immediatè ſuccedit monaſterium, quod poteſt adire legatum, hæreditatem &c. ſine aliquo facto monialis, immò ipſa contradicente, ut pluribus citatis notat Sanchez *lib.* 7. *cap.* 12. *à n.* 35. *ad* 41. Poteſt bene recuſare eleemoſynas, aliaſque ſimiles donationes, quia per ſolam oblationem talium eleemoſynarum nullum jus acquiritur Monaſterio; peccare tamen contra charitatem ex communi Doctorum ſentit Diana.

QUÆR. VIII. An Monialis peccet retinendo penes ſe peculium proprio uſui conceſſum.

RESP. Non peccare ſuſtinent aliqui, & colligunt ex Suar. *t.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 12. *nu.* 9. dummodò abſit ſcandalum, & aliàs monialis ſit parata dictum peculium relinquere ad nutum Abbatiſſæ, vel alterius Superioris. Tunc enim animus re vera non eſſet proprietarius; eſto excedat in affectu, & modo cuſtodiæ contra regulam, quia illa detentio de ſe, præſcindendo ab uſu, dominio, & proprietate, non eſt contra votum paupertatis, quia eſt tantùm actus quidam materialis, non habens formam contrariam

voto. Ita Herrera, & Enriq. *in Compend. Casu. Moral. cap.* 38. *nu.* 42. Oppositum tamen omninò sustinendum, maximè in monasteriis, ubi deputatur capsa communis depositorum, quia talis deputatio innuit, non esse mentem Superiorum alio modo permittere peculium, quàm ipsum deponendo sub custodia monialis ad hoc officium deputatæ: quare illa retentio penes se est actus proprietatis, cùm sit actus omninò independens à voluntate Abbatissæ; & quòd detentio apud se sit actus proprietatis, patet *ex Cap. Monachi.* 2. in quo statuitur pœna contra sic detinentem tanquam proprietarium.

Quær. IX. An Moniales de peculio earum usui concesso possint aliquid ludo exponere.

Resp. Posse ex causa recreationis, & otii fugiendi, est enim quid bonum animum relaxare, & fugere otium, quod à religiosis potissimùm est abhorrendum. Est autem necessaria ad minus præsumpta licentia, dum exponitur ludo pecunia. Ita omnes cum Major. *in* 4. *dist.* 28. *q.* 13. Quantitas verò debet esse moderata, scilicet, quòd non excedat summam quinque aureorũ in toto anno, ut volunt Sanch. Navar. Lugo, & Peyrin. *de subd. q.* 2. *cap.* 2. ubi addit, id relinquendum esse arbitrio prudentis considerantis statum religionis, quantitatem peculii, & conditionem Monialis.

Quær. X. An moniales possint aliquid de peculio exponere negotiationi.

Resp. Neque de Superioris licentia hoc pos-

posse, cùm negotiatio prohibeatur expresè omnibus Ecclesiasticis, ut videre est in omnibus capit. *dist.* 88. Hæc autem prohibitio temperari potest, ut non habeat locum, primò quando Monialis intendit sublevare proprias indigentias, dum à monasterio non adjuvatur, quia non dicitur negotiari, qui non lucri gratia, sed eo fine negotiatur, ut se alat, cùm aliunde non habet, unde vivat, Farinac. *v. Clericus n.* 169. Negotiatio ergo non est, sed industria, quando ordinatur ad propriam sustentationem; Molina, Bonacina, Barbosa, & alii. Intellige, dummodò non arceatur à divinis ministeriis. Secundò excusatur, si unum, vel alterum negotium incidenter faciat; Diana aliis relatis *res.* 72. *de Contract.* Tertiò, si negotium gerat per alium, quia per hoc non avertitur à divino servitio. Ita ferè omnes cum Lessio *lib.* 2. *cap.* 21. *nu.* 6.

Quær. XI. An liceat monialibus emere boves, eosque colonis locare, vulgo *dare à giovatico*.

Resp. Negat Molina *de just. t.* 2. *tract.* 3. *disp.* 347. *n.* 24. quia genus negotiationis est, atque adeò ipsis illicitum. Affirmat Lugo *de just. t.* 3. *disp.* 26. *sect.* 3. *nu.* 34. emptio enim bovum animo lucrandi nihil differt ab emptione domuum, prædiorum, & aliarum rerum animo pariter lucrandi; hæc non dicitur negotiatio, ergo neque illa. Fatetur tamen, si frequenter emerentur talia animalia ad eum usum, speciem aliquam negotiationis habere. Si verò semel empta diutiùs in eo exercitio detineantur, non agnoscit majo-

rem indecentiam, quàm si semel domus fuisset empta ad lucrandum, vel grex ad vendendum ejus fructus.

QUÆR. XII. An monialis possit ex peculio liberè à Superiore concesso fundare censum, ut ex ejus fructibus post ejus mortem celebrentur Missæ pro anima ipsius.

RESP. Non posse, quia, cùm quidquid acquirit monachus, monasterio acquirat, statim ac census fundaretur, acquireretur monasterio, & non esset ampliùs sub dispositione monialis fundatio, & proinde non posset supponere oneri Missarum. Pasqual. *in qq. moral. jurid. q.199. n.1.*

QUÆR. XIII. An saltem possit tradere amico certam summam pecuniæ, ad effectum, ut post ejus mortem curet pro ejus anima Missas celebrari.

RESP. Pariter non posse. Quia monialis disponeret quidem vivens de tali pecunia, sed tamen causa mortis, ita ut dispositio non sortiretur effectum nisi post mortem. Hoc autem esset disponere per modum ultimæ voluntatis, quod est prohibitum religiosis. *Authent. Ingressi C. de Sacrosanct. Eccles.*

QUÆR. XIV. An possit dictam pecuniam proprio usui concessam donare alteri cum onere, ut statim celebrentur singulis annis aliquæ Missæ in perpetuum.

RESP. Affirmant Ludovicus Lopez *lib. 2. de contract. cap.40.* & Navar. *com.2. nu.41. de regul.* qui volunt, posse religiosos convertere in usus pios, & capellanias instituendas bona, quæ cum licentia expendere possunt

in

in usus proprios. Ratio est, quia hoc non videtur repugnare neque ex parte donationis, quæ absolutè moniali non est prohibita, si fiat cum debita licentia, quæ certè in hoc casu est præsumenda; si enim adest licentia convertendi dictam pecuniam in usus temporales, à fortiori præsumi debet, adesse convertendi illam in usum pium, quia agitur de favore animæ. Neque repugnat ex parte rei donatæ, quia eo ipso, quòd pecunia est distrahibilis, parum refert, quòd in hoc, vel aliud opus distrahatur, sive per donationem, sive per alium contractum. Neque hoc est disponere per modum ultimæ voluntatis, quia eo ipso quòd disponit per donationem, disponit irrevocabiliter; de ratione autem dispositionis per modum ultimæ voluntatis est revocabiliter disponere. Et licèt dispositio oneris injuncti continuetur etiam post mortem, non per hoc dici potest dispositio per modum ultimæ voluntatis. Cùm enim onus Missarum sit accessorium donationi, & accessorium sequatur naturam principalis, hinc est, quòd, sicut non est dispositio per modum ultimæ voluntatis donatio, neque talis erit oneris dispositio.

Nimis laxa est hæc sententia, ideò eam non audet admittere Molina *t.* 1. *de just. disp.* 140. *col.* 12. & absolutè eam reprobat Pasqu. *loc. cit.* Quia non intervenit vera donatio, sed deputatio dictæ pecuniæ pro celebratione Missarum, quare cùm non transferatur dominium, sed remaneat semper penes religionem, non potest subjicere Missarum oneri.

QUÆR.

QUÆR. XV. An monialis possit ex peculio, ut supra, concesso aliquid pauperibus elargiri.

RESP. Posse de licentia suæ Abbatissæ ad minus tacita; ea enim præsumitur respectu bonorum suo usui destinatorum, cùm sit opus pium. Ita omnes cum Bordon. *de Paupert. Relig. cap.*20. *n.*32. ubi extendit hanc facultatem ad erogandum etiam aliquid de communitate, scilicet panem, obsonium, vas vini, & hujus generis, maximè si necessitas sit magna: Quia in his parvi momenti Abbatissa non censetur invita, cùm præsumatur charitatem habere erga pauperes. Quòd si necessitas esset extrema, posset monialis pauperi taliter laboranti succurrere, etiam si Abbatissa licentiam denegaret, quia in necessitate omnia sunt communia. Ita D. Tho. 2. 2. *q.*32. *ar.*8. *ad* 1.

QUÆR. XVI. Utrum possit dare aliquid suis consanguineis pauperibus.

RESP. Posse. Quia monialis habens peculium potest illud expendere in omnes eos usus, qui non adversantur rectæ rationi; subvenire autem consanguineis pauperibus, non solùm non adversatur rectæ rationi, sed est opus maximæ charitatis, ut pluribus probat Bejas, Vega, Rodriq. Sanch. & Peyrin. *de subd. q.*2. *cap.* 2. §. 6. ubi dicit, quòd potest dare usque ad summam decem ducatorũ, vel etiam plurium juxta eorum indigentiam arbitrio prudentis pensandam, una, & pluribus vicibus in anno.

De

§. III.

De licentia requisita ad licitè distrahendum.

QUÆR. I. QUid, & quotuplex sit licentia necessaria moniali ad effugiendam violationem voti paupertatis.

RESP. Licentia est facultas faciendi aliquid licitè, & validè dependenter à voluntate superioris concedentis. Dividitur in expressam, quæ verbis datur, aut scripto; & tacitam, virtualem, permissivam, aut interpretativam, quæ fundatur in praxi, vel consuetudine, quatenus Superiores sciunt, subditas aliquid accipere, retinere, dare, vel consumere, & non contradicunt, cùm possint, & proinde dicuntur consentire in actionem sui subditi.

QUÆR. II. Ex quibus possit monialis benè interpretari voluntatem Abbatissæ, & rationabiliter credere, se habere ipsius tacitam, aut interpretativam facultatem.

RESP. Ex multis signis hoc potest colligere. Primò, si Abbatissa est affabilis, & benigna cum subditis, non rigida, non scrupulosa. 2. Quando monialis est alicujus auctoritatis, & benemerita de religione, 3. Si agatur de rebus levioribus, & non magni momenti. 4. Juvabit cognoscere analogiam inter Abbatissam, & subditam; nam si profiteantur particularem affectum, habebit interpretativam licentiam plurium rerum. 5. Tacita licentia faciliùs præsumitur in monaste-

steriis non reformatis, quàm in reformatis, dum in illis peculii usus est ex inveterata consuetudine inductus. 6. erit utile examinare naturam etiam ipsius licentiæ; si enim fit in utilitatem monasterii, seu etiam ipsius monialis, cur veniret deneganda? Non est necesse, quòd hujusmodi licentiæ interpretativæ habeatur evidentia moralis, sed sufficit opinio probabilis cum formidine contrariæ partis, cùm ad bonitatem actuum moralium sufficiat probabilitas, etiam moralis. Sanchez *in sum. t. 2. lib. 7. cap. 19. nu.* 13. & ex eo Diana.

Quær. III. An licentia tacita, seu præsumpta sufficiat ad evitandum vitium proprietatis.

Resp. Sufficere, quia eadem est virtus taciti, & expressi, *l. Labeo, ff. de pactis.* Et docet D. Bonavent. cùm pluribus aliis relatis à Bordon. *Cons. Regul. ref.* 43. *nu.* 27. ubi limitat responsionem, quando in monasterio adesset constitutio, vel præceptum, ut licentia expresè peteretur; & hoc procedit in monasteriis multùm reformatis circa paupertatem, quæ per licentiam præsumptam maximè relaxatur; ut docent Lopez, Rodriq. & ex illis Sanchez *loc. cit. num.* 4. ad finem.

Quær. IV. Quas conditiones habere debeat licentia, ne monialis dicatur proprietaria.

Resp. Tres conditiones. Prima, quòd sit voluntaria, quia procedit à potestate, quæ nonnisi liberè operatur in homine; unde extorta dolo, metu, aut fraude, nullius est momenti, dum superior contra suam voluntatem

tem facit, quod facere nollet. Ita Navar. Sanch. Castropal. & alii. Secunda, quòd sit justa, nemini enim debet esse præjudicialis. Tertia, ut detur revocabiliter, aliter esset facere monialem proprietariam, ad quem effectum non potest licentia se extendere.

QUÆR. V. An licentia concessa à superiore ad evitandas querelas à vitio proprietatis excuset.

RESP. Excusare; quia talis licentia licèt secundùm quid involuntaria, absolutè tamen non definit esse voluntaria; si enim esset de re peccaminosa, superior verè peccaret. Eo ipso autem quòd est voluntaria, operatur, quòd monialis excusetur à vitio proprietatis. Pasqual. *qq. moral. jurid. q.* 200. Idem ob eandem rationem dicendum est de licentia precibus importunis impetrata.

QUÆR. VI. An licentia debitè petita, sed indebitè negata à superiore, excuset monialem à transgressione voti paupertatis.

RESP. Non excusare, quia votum paupertatis adhuc obligat, cùm nondum materia illa ex defectu licentiæ, licèt indebitè negatæ, constituta sit extra latitudinem illius. Si tamen periculum sit in mora, aut immineat grave damnum, potest esse locus Epychejæ, per rationabilem voluntatem superioris majoris; & si contingat, quòd etiam Prælatus supremus licentiam neget, poterit esse locus interpretationi, & prudenter judicari, quòd in tanto discrimine, & cum tanto incommodo lex, & potestas non obliget. Advertit tamen Castropal. *tract.* 16. *disp.* 13. *q.* 23. *num.* 9. licentiam debitam, &

ne-

negatam excusare à vitio proprietatis, si sit debita ex parte tam religiosi, quàm Prælati, non item solùm ex parte Prælati.

QUÆR. VII. An sit tuta in conscientia monialis, quæ ex licentia Abbatissæ recipit, aut dat, non exprimendo in petitione licentiæ à quibus recipiat, vel quibus det, quos si sciret Abbatissa, talem licentiam non concederet.

RESP. Ex doctrina Molin. *disp.* 209. esse tutam; quia aliud est, Abbatissam esse in ea dispositione, quòd si sciret causam, propter quam concedit licentiam, non concederet; aliud verò est esse in ea dispositione, quòd si sciret causam, vellet concessionem nullam esse; hoc secundum, non primum facit invalidam concessionem. Quare cùm licentiæ, ordinariè loquendo, absolutè concedantur; dicendum est, quòd Abbatissa concesserit primo, non autem secundo modo, quia in dubio præsumendum est pro validitate actus, consequenter concessionem esse validam, & monialem tutam.

QUÆR. VIII. An monialis excusetur à vitio proprietatis, si de licentia Abbatissæ retineat superflua pretiosa, qualia sunt vasa aurea, cochlearia argentea, horologia, gemmæ, &c.

RESP. Excusari à Sylvestro, Graffio, & Bordon. quia retinet dependenter à voluntate Abbatissæ, ad cujus nutum est parata resignare. Alii damnant tanquam proprietariam, ita Navar. Major. & Sanch. quia Abbatissa est tantùm bonorum monasterii administratrix, non domina, unde concedere non po-

test

test superflua, cùm jus non tribuat facultatem ad illicita. Alii volunt peccare mortaliter ex avaritia, non tamen esse proprietariam. In hoc censeo, monasteriorum qualitatem esse attendendam, & secundum rigorem paupertatis in illis vigentem judicandum.

Si autem loquamur de superfluis ordinariis, & ad usum frequenter concessis; ut si moniali sufficeret unus habitus, & haberet quatuor, si duplex tunica, & sex haberet; puto, quòd nisi res superfluæ sint in notabili excessu, monialis non peccat mortaliter, quia jam habet illas, ut suppono, dependenter à licentia vel expressa, vel tacita Abbatissæ; & aliàs esset valdè difficile, & pluribus scrupulis expositum judicare, quando esset superfluum; plures namque res, licèt simpliciter non videantur necessariæ, sunt ad meliùs, & commodiùs officium exercendum convenientes, & si pro hoc tempore non sint, pro alio erunt necessariæ; amplius permittitur in monasterio, ubi non servatur vita communis, & ubi moniales sibi consulunt ex sua industria, & peculio ad proprium usum concesso, quàm in monasteriis, ubi servatur vita communis. Hæc ferè omnia docent Villalob. Sylvest. Garzia, Suar. & alii.

Quær. IX. An monialis, quæ Abbatissæ, vel Prælato canonicè visitanti occultat aliquid de superfluis, ne sibi auferatur, sit proprietaria.

Resp. Negat D. Bonaventura *in opusc. de anima cap. 2. colum. 2. ad medium versic. 4.* ubi ait tunc tantùm celare aliquid superiori ha-

habere proprii rationem, quando religiosus jussus virtute obedientiæ manifestare recusat. Oppositum sustinendum censeo, etiam si rem illam antea de Superioris voluntate obtinuerit, quia eo ipso, quòd abscondit, ne sibi auferatur, non est animo præparata ad reddendum; qua animi præparatione deficiente incurrit vitium proprietatis, dum vult independenter,& ad suum libitum possidere. Ita Doctores relati a Bartol. a S. Faus. *in Thes. Relig. lib.* 8. *q.* 126. qui tamen excusat Monialem sic occultantem, quando credit, vel res illas non fore auferendas, vel Superiorem esse quoad modum tantùm, non quoad rem acceptam invitum; vel si celet ad effugiendam confusionem, aut etiam reprehensionem, quam timet, si deprehendatur cum sola licentia tacita possidere; vel ad tegendam culpam commissam accipiendo, & retinendo sine licentia, quam tamen intendit postea statim petere, aut saltem, ea non impetrata, res occultatas dimittere.

Item excusatur, si res, quas occultat Abbatissæ, de proprii Prælati licentia detinet; quia Prælati consensu interveniente, verè possidet cum licentia, in cujus usu non dependet ab Abbatissa. Ita Jo: de Lugo *D.* 3. *de just. & jur. n.* 156. ubi subdit, non excusari monialem celantem aliquid Prælato inferiori, aut officiali subordinato, quando jussu superioris Prælati visitaret cubiculum. Nam eo ipso quòd inferior utitur facultate delegata, repræsentat personam Superioris delegantis, & nomine ejusdem procedit, *l.* 1. §. *qui man-*

mandatum, ff. de officio ejus cui man. est jurisd. unde si monialis aliquid illi occultet, perinde est ac si occultet eidemmet Superiori. Sicuti neque excusatur, si Prælato successori celet res illas, quas antea cum prædecessoris facultate possidebat. Barthol. à S. Faus. *loc. cit. n.* 16.

QUÆR. X. Ad quem superiorem spectet licentiam concedere moniali.

RESP. Spectare ad Episcopum, si monasterium sit illi subditum, vel ad Prælatum Regularem, si sit exemptum, vel ad Abbatissam, nisi ex constitutionibus illius religionis, aut ex consuetudine, aut præcepto superioris Prælati arctata sit ejus facultas. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 44. Ratio conclusionis est, quia concessio licentiæ pertinet ad jurisdictionem administrationis; unde cùm jurisdictio administrationis penes prædictos superiores resideat, poterunt utique licentiam concedere. Licentia negata ab Abbatissa poterit concedi à Prælato, non è contra, quia major potestas minori prævalet. Licentia durat usque ad mortem impetrantis, nisi revocetur, unde à successore non est denuò impetranda, quia dicitur gratia facta, quæ durat mortuo concedente, vel amoto ab officio, *Cap. relatum* 19. *Cap. Gratum* 20. *de off. deleg.* quæ intellige, nisi in contrarium extet statutum aliquod Religionis.

QUÆR. XI. Ad quam quantitatem possit se extendere superioris licentia.

RESP. Varios in hac re esse de more Doctores. Putant aliqui, posse superiorem licentiam concedere expendendi decem, aut quindecim aureos singulis annis; alii duos,

vel

vel tres aureos singulis mensibus; alii totam illam summam, quam ipsemet Prælatus potest expendere; alii tandem rem hanc arbitrio prudentis remittunt pro magnitudine redituum, monasterii consuetudine, personarum, & causarum qualitate &c. Ita Sanch. *lib.7. cap.19. n.42.* ubi refert aliquos sentientes, Episcopum, vel Generalem, aut Provincialem respectu monialium exemptarum posse ratione majoris dignitatis licentiam concedere ampliorem. Hoc certè attendendum puto ex eodem Sanch. *d. lib. cap. 22. nu. 20.* scilicet, an licentia sit ad expendendum de rebus monasterii, an de rebus traditis à consanguineis; nam in primis, quia plus læditur monasterium, quàm in secundis, minor potest concedi summa, & major exigitur causa.

§. IV.

De Munerum largitione.

QUÆR. I. AN Bulla Clementis VIII. de largitione munerum sit usu recepta, & obliget in conscientia.

RESP. Dubitat valdè Filliuc. *t.2. tract. 34. cap.3. q.12. nu.* 81. Non fuisse à superioribus Regularibus usu receptam, absolutè sustinet Gratian. *t.2. discept. forens. c.202. n.17.* cui adhærent Megal. Valer. Homobon. & alii apud Dian. *t.7. in opere Coord. tr.3. res.5.* ubi dicit, se non audere condemnare religiosum, qui sequeretur usum suæ Provinciæ, vel religionis legitimè præscriptum, salvo semper &c.

QUÆR.

QUÆR. II. An monialis, quæ non acceptat aliquod donum, ſed rogat, ut alteri detur, peccet contra paupertatem.

RESP. Cum probabiliori ſententia non peccare. Non enim peccat non acceptando, quia ex vi voti non jubetur acceptare, ſed prohibetur acceptare ſinè licentia; neque peccat rogando, ut det alteri, quia ex vi ejuſdem voti obligatur nihil dare, non verò obligatur non petere ab aliquo, ut ipſe alteri donet. Neque valet, quòd in hoc caſu Monialis donet indirectè, qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Nam ut benè notant Sanchez, & Cenedo, tunc dicitur donatio indirecta, quando adeſt tacita acceptatio, donatio enim importat abdicationem alicujus juris ſibi competentis; unde cùm in hoc caſu nullum fuerit acquiſitum dominium, quia nulla intervenit acceptatio, nulla dicitur intervenire donatio, neque indirecta.

QUÆR. III. An monialis poſſit cum licentia Abbatiſſæ facere amico, vel conſanguineo Corporalia magni valoris, & recamaturas.

RESP. Cum Bonac. Scortia, Valer. & Diana poſſe, dummodò amicus, ſeu conſanguineus ſubminiſtret omnia neceſſaria; quia tunc non agitur de alienanda, ſeu donanda re, quæ ſit monaſterii, ſed tantùm agitur de non acquirendo, quo in caſu Abbatiſſa poteſt præjudicare Monaſterio, ut communiter Doctores.

QUÆR. IV. An monialis poſſit etiam donare ſupradicta ſine licentiæ Abbatiſſæ.

RESP.

Resp. Videri posse, dummodò, ut supra, subministrentur omnia necessaria. Ratio est, quia illæ recamaturæ non pertinent ad bona corporis, sed ad bona animi, sunt enim partus ingenii, & ideò non comprehenduntur sub voto paupertatis, quod de sui natura abdicat solum dominium illarum rerum, quibus quis efficitur dives, quæ sunt tantùm bona corporis, & quæ ordinantur ad sustentandam vitam, & splendorem ipsius, *l. jus alimentorum* §. 1. *ff. ubi pupil. educ. deb.* & juxta ea, quæ tradunt Abbas, Salicet. Alexand. & Socin. Neque valet, quod affert Bordonus, scilicet quòd labor, qui in hujusmodi artefactis impenditur, est pretio æstimabilis, unde monialis dando suum laborem disponeret de re pretio æstimabili, quod est contra votum paupertatis. Nam responderi potest, quòd si recamaturæ, utpote bona animi, non cadunt sub jure religionis, nec etiam cadet labor in illis efformandis, quia tanquam accessorius sequitur naturam sui principalis. Tum quia ille labor non extrahit illas recamaturas à suo ordine, sed relinquit inter bona animi, atque adeò sub dominio monialis.

Quær. V. An monialis possit sine licentia Abbatissæ, & sine voti paupertatis violatione suam pitantiam elargiri.

Resp. Posse. Quia in illis rebus, quæ unico actu consumuntur, non potest secerni usus à dominio. Ita Joannes 22. *in extra, ad conditorem* 9. Sed cui confertur unum, conceditur utrumque. Hanc sententiam tenent Sylvester, Aragon. D. Antonin. & alii pe-

penes Dianam, qui vult intelligendum esse in ordine ad pitantiam, quæ limitatè præbetur, ut sunt ova, caro &c. non verò in ordine ad ea, quæ conceduntur moniali sine taxa, & limite, ut est panis, vinum &c. Quòd si superior ex rationabili causa, ad vitandum excessum, & abusum monialium, contrarium disposuisset etiam de pitantia limitatè concessa, non debet, immò nec potest monialis, de illa disponere, & hoc ratione præcepti, & boni publici.

QUÆR. VI. An monialis de annuis reditibus ex superioris licentia ad suum usum sine restrictione concessis, possit liberè parcè vivendo aliis donare.

RESP. Posse cum licencia saltem tacita Abbatissæ, quia Clemens VIII. in sua Bulla prohibet tantùm largitiones munerum, ex quibus gravia incommoda, & mala monasteriis inferuntur; donatio autem eorum, quæ monialis parcè vivendo reservat, non affert multum damnum monasterio, ut patet. Immò ex hac opinione datur occasio monialibus, ut liberiùs frugalitati, & moderato sumptui assuescant, dum sciunt, ea, quæ sibi de necessariis detrahunt, posse aliis de se benemeritis donare, & in aliis licitis operibus expendere. Ita docent Beja, Cenedo, Valer. & Peyrin, *t.* 1. *de subd. q.* 2. *cap.* 2. §. 6.

QUÆR. VII. An monialis donans Breviarium magni valoris, vel quid simile alteri moniali ejusdem conventus, peccet contra votum paupertatis.

RESP. Negantem sententiam docere Rodriquez, quem affert, & sequitur Sanchez,

qui putat non esse mortale, quia, cùm Breviarium illud manere debeat in eodem conventu, non videtur esse graviter invitus Superior, parum enim extrahitur ab usu communi per illam donationem. Unde observat Suarez *t.* 3. *de Relig. lib.*8. *cap.* 15. *nu.* 6. majorem quantitatem requiri ad culpam gravem, quando aliquis dat aliis religiosis ejusdem conventus, cùm res illæ maneant adhuc intra eandem communitatem.

QUÆR. VIII. An monialis possit aliquid in remunerationem elargiri.

RESP. Posse, quia quando prohibetur donatio simpliciter, vel sub conditione, & sub modo, eo ipso non prohibetur donatio ob merita, quæ præcesserunt; nam donatio antidoralis, non est propriè, & strictè donatio, sed est quædam debiti compensatio, unde hac de causa non debet inter simplices donationes computari. Homobon. Valer. aliique permulti penes Dian. *t.*7. *in opere Coord. tract.* 3. *resol.* 47. §. 2. Immò non solùm potest largiri quantum satis est ad satisfaciendum obsequiis, vel muneribus acceptis, sed etiam aliquid ultra, dummodò tamen non excedat valorem meritorum, & beneficiorum in quarta parte, ut tenent Barbosa ex Navarro; & probabilem hanc sententiam vocat Sanchez apud Dianam, *loc. cit.* quia, ut ait D. Thom. 2. 2. *qu.* 106. gratitudinis lex postulat, semper plus reddi, quàm sit acceptum.

QUÆR. IX. An monialis habens ab Abbatissa licentiam generalem donandi aliquid, si illud donet ob turpem causam, peccet contra

tra votum paupertatis, & recipiens teneatur restituere.

Resp. Negativè. Quia licentia generaliter concessa in aliis materiis non censetur limitari ad solos usus, vel casus aliundè non turpes, nec illicitos; sed in iis etiam aufert malitiam, quam posset habere ex defectu talis licentiæ. Sic licentia comedendi carnes in Quadragesima est indifferens ad carnes proficuas, & nocivas, quia mens concedentis est, ut tollat omne id, quo posset violari quadragesimale jejunium. Cùm ergo Abbatissa concesserit moniali licentiam generalem donandi pro libito, non est, cur præsumatur limitasse ad causam solùm aliundè non turpem, sed potiùs voluisse auferre illud impedimentum ex parte sua, quo stante peccavisset peccato proprietatis. Ita Lugo, Diana, & plures alii, quos citat, & sequitur Bordon. *de Pauper. relig. cap.* 17. *nu.*20.

Quær. X. An monialis causa mortis possit aliquid donare cum licentia Abbatissæ.

Resp. Posse. Sanch. Layman. Tapia, & Diana *loc. cit. ref.* 65. quia potestas testandi, & potestas donandi causa mortis non sunt connexæ, nisi in eo, qui ex defectu naturali non valet testari. Unde filiusfamilias, qui ne patre quidem consentiente potest condere testamentum, tamen mortis causa, cum patris consensu donare potest. Ergo ex eo quòd moniali interdictum sit testari, non per hoc interdicitur mortis causa donare. Adde, quòd in hoc casu Abbatissa dans licentiam donat, & Monialis eligit personas, undè non disponit propriè per donationem, sed per electionem personarum.

QUÆR. XI. An in casu, quo Abbatissa promittat moniali subditæ, se ejus bona distributuram post illius mortem juxta illius donationē manifestatam, teneatur stare promissis saltem in foro conscientiæ.

RESP. Si promissio sit distribuendi alteri moniali subditæ, non teneri; sicut enim rem ei datam potest auferre, sic & potest non dare. Si verò promisit distribuere extraneis, tunc censeo teneri; quia sicuti potest oriri obligatio ex justitia inter dominum, & servum, eo quòd dominus paciscens cum servo censetur cedere juri suo, ut ex Molina, & Lessio notat Sanchez *lib.7. cap.9. nu.13.* sic, ait ipse, eadem obligatio oriri poterit inter Abbatissam, & Monialem subditam, cùm sit par ratio.

CAPUT V.

De Voto Religiosæ Castitatis.

QUÆR. I. AD quid teneantur moniales ex vi voti Castitatis.

RESP. Teneri abstinere à conjugio, & ab omni actu externo, & interno, qui sit contra castitatem, ut à turpibus cogitationibus, à delectatione morosa, à pollutione, ab omni actu venereo, à turpi cōtactu, & ab impudico aspectu, nec non ab aliis omnibus, quæ aliquo modo sunt contra virtutem castitatis. Hinc est, quòd monialis violat votum, si se exponat periculo violandi castitatem, quia periculum illud est actus in specie luxuriæ, virtuti enim castitatis opponi-

tur;

tur; undè monialis se exponens tali periculo, non est formaliter casta omnimoda castitate, atque adeò violat votum, quod importat omnimodam castitatem.

QUÆR. II. Quænam sit regula dignoscendi, quando nam monialis graviter, vel leviter peccet contra castitatis votum.

RESP. Transgressionem voti esse mortalem in illis actibus, in quibus malitia libidinis est in sæcularibus mortalis; venialis verò, in quibus illa est venialis. Ratio est, quia circumstantia voti castitatis non immutat obligationem juris naturalis, sed solùm addit circumstantiam sacrilegii, quæ circumstantia sequitur naturam actus, cui adjungitur. Lessius *de just. & jur. lib.*4. *cap.* 41. *nu.* 68. Verùm aliquando verba, gestus, & tactus, quæ sunt in sæcularibus solùm venialia, possunt esse mortalia in moniali; quia sæculares talia observantes in religiosa grave scandalum possunt concipere, maximè quia virgo Deo dicata debet esse, & apparere ab hujusmodi actibus aliena. Ad majorem tamen claritatem pro praxi sequentia quæsita subjungimus.

QUÆR. III. An peccet mortaliter contra votum monialis tangens manum, faciem, brachia, & pedes alicujus viri.

RESP. Ex Tamburino *lib.*7.*in decal. cap.*8. §. 2. si illi tactus fiant ex joco, levitate, & curiositate, nihil habent mali præter ipsum jocum, quia ut sic non aliam nisi naturalem pariunt delectationem. Si fiant ob solam delectationem non libidinosam, & ea delectatio assumatur quidem, sed non ad ullam

libidinem veneream, peccat venialiter, quia ex una parte non habemus, unde ut sic sub mortali prohibita sit; si enim esset prohibita, inde esset, quia ad generationem, quæ sit illicita, refertur. Cùm ergo illi actus, neque delectatio non referantur, non erunt mortaliter peccaminosi; & ex alia parte deordinatio nonnulla est, atque adeò venialis, iis uti actibus ob meram delectationem licèt levem. Si verò fiant animo libidinoso, clarum est peccare mortaliter.

QUÆR. IV. Quid dicendum sit de aspectibus.

RESP. Monialem aspicientem partes viri honestas ex curiositate, levitate, aut vanitate, non ulteriùs progredientem, peccare tantùm venialiter, quia in hoc non intervenit tanta inhonestas, nec provocatio tanta ad malum, sicut in tactu. Trullenc. *in decal. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 12. *nu.* 14. Si verò aspiciat vel hominem nudum, vel partes ejus inhonestas tantùm, non est dubium peccare mortaliter, quia tales aspectus multùm incitant ad libidinem, & quia id valdè repugnat cum honestate naturali, & multò magis cùm honestate Virginis Deo dicatæ, & Sponsæ Christi. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *res.* 89. Undè ob hanc rationem non liberarem à peccato mortali monialem aspicientem brutorum concubitum, vel eorum partes inhonestas turpiter commotas, non enim levis Christi injuria est, suam Sponsam, quam decet sanctitudo, in talibus occupari. Oppositum sentit Granado apud Dianam *t.* 8. *in opere Coord. tract.* 6. *res.* 19. si fiat ex levitate,

te, aut curiositate; sed in his cautè procedendum.

QUÆR. V. An monialis turpia loquens, legens, audiens, vel canens, non gratia venereæ delectationis captandæ, sed cujusdam varii solatii, vel ob aliam vanam causam, peccet graviter contra votum.

RESP. Cum D. Antonin. Navar. Graff. & aliis peccare tantùm venialiter, dummodò absit scandalum, quia illa delectatio remotè disponit ad venerem, nec vehementer naturam commovet. Quia tamen natura est valdè corrupta, sensusque nostri sunt valdè ad malum proni, caveant proinde, & diligenter caveant moniales. Quia, ut ait Augustinus *lib.* 1. *Confess. cap.* 16. per hæc turpitudo confidentiùs perpetratur. De audiente turpia idem dicendum, etiam si rideat, & simulatè gaudium præseferat, carens tamen delectatione venerea, ne inurbana habeatur, ac de hypocrisis vitio notetur. Quoniam risus ille, & gaudium, potest esse de artificioso, & lepido dicendi modo, ex quo cessat ratio scandali activi; ex alia parte absunt delectatio, & finis mortalia, solùmque intenditur liberari à molestia, & hypocrisis censura.

QUÆR. VI. An monialis scribens litteras amatorias ad vanum conciliandum amorem ob solam vanitatem, levemque delectationem, peccet mortaliter.

RESP. Sanch. *de matrim. lib.* 9. *disp.* 46. *n.* 37. non agnoscit nisi culpam venialem, quia nec delectatio, nec amor intenta eam excedunt. Acriter tamen increpent Confessarii,

quia Sponsa Christi nullum, præter eum, debet admittere amatorem.

QUÆR. VII. An peccet monialis recipiendo munera ab eo, à quo dubitat turpiter amari.

RESP. Si certò sciret, mortaliter certè peccaret, etiam si reciperet absque ulla prorsus intentione, immò cum proposito firmo non consentiendi, quia illa receptio foveret pravam voluntatem mittentis munera; si verò tantùm dubitet, peccati non damnat Tamburinus, quia cùm talia munera possint mitti etiam ex titulo honestæ amicitiæ, ex hoc potiùs, quàm ex alio, judicare debemus fuisse missa; nemo enim præsumendus est, nisi constet, delictum velle committere. Periculosa tamen sunt hæc, unde consulo, omnimodè abstinendum.

QUÆR. VIII. An monialis, quæ persuasione, vel cooperatione concurrit, ut alius adeat concubinam, peccet contra suum votum castitatis.

RESP. Negant Sanch. Castro Pal. Ariaga, & Caramuel *in Theolog. regular. num.* 986. Quia monialis non facit contra castitatem suam, sed contra castitatem tertii. Tenetur tamen explicare statum peccantis, cui fuit occasio peccandi contra sexum. At probabiliùs censeo contra suum castitatis votum peccare; nam votum castitatis religiosæ, quia est absolutum, continet omnimodam castitatem, ut communiter tradunt Theologi. In omnimoda autem castitate, continetur castitas, quæ avertit actus versantes in luxuria aliena, atque adeò votum

mo-

monialis, quod est de omnimoda castitate, includit actus versantes in luxuria aliena, unde suasio illa, vel cooperatio ad fornicationem erit contra votum castitatis.

QUÆR. IX. An monialis, quæ sine delectatione propria sensuali, & sine periculo assensus in propriam delectationem (si hoc est possibile) tactibus alium polluit, peccet contra votum castitatis.

RESP. Negant Caramuel, & Llamas, quia, sicuti potest monialis cooperari, ut Joannes, v. g. reddat debitum uxori, quin contra castitatis votum procedat, quia ipsa non vovit castitatem alterius, sed propriam; ità eadem de causa poterit cooperari, ut Joannes incidat in pollutionem, quin frangat votum castitatis, cùm ipsa non voverit vitare pollutionem alterius, sed propriam. Hæc opinio prorsùs reiicienda, sicut eam rejecit, & expunxit Tribunal SS. Inquisitionis Hispaniæ. Ratio est, quia si daretur casus, quòd monialis sine propria delectatione succubaret Mæco, adhuc tamen peccaret contra propriam castitatem, quia abuteretur membro suo ad impudicitiam mortalem: cùm ergo etiam in tactibus procurantibus alienam pollutionem aliqua sua parte abutatur, etiam si hoc sit sine propria delectatione, peccabit mortaliter contra castitatem.

QUÆR. X. An monialis, quæ antequam emitteret votum solemne castitatis, erat adstricta etiam simplici, teneatur, si fornicetur, utramque circumstantiam fateri.

RESP. Non teneri, quia solemne votum à simplici non differt specie, sed solùm ex-

trinseca, & accidentali differentia, extrinseca enim tantùm Ecclesiæ constitutione secernuntur, quatenus decernit per votum solemne, non sic per votum simplex castitatis dirimi matrimonium. Ecclesia autem rei naturam non immutat, sed robur adjungit. Sanch. *de Matr. lib. 7. disp. 25. nu. 6. & disp. 27. nu. 27.* Erit tamen diversa malitia necessariò in confessione fatenda, si voto additum sit juramentum, quia diversa ratione pertinent ad eandem virtutem. Nam votum pertinet ad virtutem religionis ob fidem Deo servandam, juramentum verò, ne Deus falsò adducatur in testem. Sanchez, *ubi supra nu. 16.*

QUÆR. XI. An tactus, cogitationes, desideria, confabulationes, nutus, & aspectus inhonesti in Ecclesia habeant diversam specie malitiam, quam debeat monialis in confessione aperire.

RESP. Negativè, quia tota sacrilegii mortalis deformitas ex loci sacri pollutione petenda est; per tactus autem, & reliqua non polluitur Ecclesia, sed tantùm per injuriosam seminis effusionem, aut sanguinis, *cap. unic. de consecrat. Eccles. in 6.*

QUÆR. XII. An seminis occulta effusio in Ecclesia sortiatur diversam specie malitiam, necessariò in confessione aperiendam.

RESP. Sortiri malitiam sacrilegii, in confessione aperiendam. Ita communiter Doctores, teste Tamburino *lib. 7. cap. 3. §. 1. nu. 8.* quia talis effusio ex eo, quòd fit occulta, non desinit esse injuriosa Ecclesiæ, per

con-

consequens non desinit esse pollutiva; nam pollutio est inducta in detestationem talis injuriæ, unde neque desinit esse sacrilega. Sicuti furtum non sacri de sacro non desinit esse injuriosum Ecclesiæ, quia occultum, & sic non desinit esse sacrilegum. Oppositum docet Vasquez, & Pontius *lib.* 10. *cap.* 10. *nu.* 25. citans alios, & dicens esse communem sententiam, quia per occultam seminis effusionem Ecclesia non polluitur, sed publica requiritur, nam pollutio non afficit re vera Ecclesiam secundùm se, quasi in se ipsa polluatur, sed tantùm afficit in opinione hominum, qui apprehendunt ejus sanctitatem quasi maculatam, juxta *Cap. Quidam.* 1. *qu.* 1. & notant communiter cum Glos. *in Cap. unic. de consecrat. Eccles. vel. altar. in* 6. Ergo causa pollutiva non potest inducere pollutionem nisi sub conditione publicitatis.

Quær. XIII. Quot peccata committat Monialis violans votum castitatis.

Resp. Præcisis circumstantiis personarum cum quibus violat votum, duo peccata committere, scilicet fornicationis, quia violat castitatem, & sacrilegii, quia ratione voti emissi talis actus opponitur virtuti religionis. Alii alias agnoscunt malitias, & volunt, peccare monialem peccato furti, quia contrectat rem alienam, scilicet seipsam invito Domino, cui se totaliter obtulit; insuper peccato adulterii, & incestus, quia monialis est sponsa Dei, qui est Pater noster, & consequenter est consanguinea nostra, cùm omnes simus filii Dei; item peccato

contra naturam, quia est peccatum cum religiosa, quæ est mundo mortua. Hæc tamen omnia metaphoricè potiùs, quàm realiter malitias diversas specie important, unde aggravare concedo, mutare speciem non admitto.

QUÆR. XIV. An superfluus ornatus in moniali sit damnandus sub gravi.

RESP. Si se ornet adhoc præcisè, ut censeatur inter pulchras, & laudetur ut pulchra, mortaliter non peccare, quia id non continet gravem deordinationem, sed ad summum vanam quandam gloriam coram hominibus. Suppono, quòd ornatus à finibus religiosi status non exeat, & quòd cesset omnis ratio scandali non solùm penes sæculares, sed etiam penes alias sorores. Cæterùm comam nutrire, prohibitum esse monialibus, quidam volunt. Consuetudini tamen standum est. Nullatenus verò permittendum uti tortis, seu comatis capillis, aut non coopertis comis. Suarez *t. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 12. nu. 4. & 5.*

QUÆR. XV. An liceat monialibus choreas inter se agere.

RESP. Non licere, quia in Clementina *de statu Monachor. cap. 2.* expressè ipsis prohibetur, ibi, *Non choreas, non festa sæcularium prosequantur*. De peccato tamen mortali non audet eas damnare Tamburinus *in decal. lib. 7. cap. 8. §. 7. nu. 6.* si fortè ex aliqua occasione puras choreas agant ob recreationis gratiam, non tamen publicè, & in præsentia sæcularium, ut indicat Baldel. *lib. 3. D. 32. num. 16.* Ob hanc quoque ra-

rationem possunt deferre larvas, dummodò cesset periculum scandali, juxta citatos Doctores.

QUÆR. XVI. An moniales peccent dimittendo habitum ad aliquam honestam repræsentationem faciendam inter ipsas in monasterio.

RESP. Mortaliter peccare docent aliqui, quos suppresso nomine refert Lezana *in Sum. t.* 1. *c.* 13. *n.* 5. Venialiter tantũ, videntur sentire Baldel. & Pellizar. Nullo modo peccare sustinet ex Sylvestro, & Passarello Peyrin. *in Comment. ad Reg. Minim. cap.* 3. §. 5. *q.* 2. *n.* 3. quia non videtur neque levis dimissio, quæ fit honestæ recreationis causa, cum dictæ recreationes sint actus virtutis Eutrapeliæ. Hinc notat Texeda *Theol. moral. t.* 1. *lib.* 2. *tract.* 1. *contr.* 6. *D.* 1. neque in excommunicationẽ incidere, etiam si coram sæcularibus repræsentent; quia illa habitus dimissio nec est temeraria, nec ad vagandum, nec ex contemptu legis ordinata. Sentio nihilominus cum Lezana, id propter naturæ imbecillitatem, & corruptionem, semper esse periculosum.

QUÆR. XVII. An liceat monialibus aliquas repræsentationes facere in Ecclesiis.

RESP. In honesta repræsentare in Ecclesia peccatum mortale est; vana, & sæcularia, non tamen multùm turpia, veniale; devota, & sacra, caret culpa. Ratio horum omnium est, quia in primo casu irrogatur Deo, & Ecclesiæ magna irreverentia, in secundo modica, in tertio nulla. Sanchez *opuscul. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 24. *num.* 18. Verùm Gavant. *in Enchir. Episc. versu repræsentatio-*

tiones sacræ num. 1. oppositum sustinet cum Barbosa etiam quo ad spiritualia, & observat, quòd S. Carolus *in Concil.* 1. *Provinc.* prohibuit, ut Passio Salvatoris nullibi agatur: Unde Zerola *in Praxi Episc. p.* 1. *verb. repræsentationes*, laudat aliquorum Episcoporum Zelum, dictas repræsentationes sine expressa eorum licentia posse fieri prohibentium.

QUÆR. XVIII. Quænam sint media apta ad tuendam castitatem.

RESP. Studeat monialis peccatorum occasiones fugere, otium omnium malorum parentem, certissimumque animarum exitium perhorrescere; virorum aspectus, & multò magis familiaritatem declinare; sensus accuratè custodire, præcipuè visum, auditum, & tactum; nam de visu asserit Isidorus, *Oculus est principium fornicationis*; de auditu subdit Tertullianus, *Bonos corrumpunt mores confabulationes pessimæ*; & de tactu scribit Angelicus, *Tactus est actui venereo cognatus, & finitimus, & modico intervallo separantur ad invicem*. Prodest insuper quàm plurimùm ad tuendam castitatem, mortis, & inferni jugis recordatio, carnis maceratio per ciborum abstinentiam, & cilicii gestationem, librorum spiritualium lectio, assidua vulnerum Domini Jesu Christi recordatio; unde dicebat D. Augustinus, *Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi: cùm me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo.*

CA-

CAPUT VI.

De Monialium ſubjectione erga ſuos Superiores ex vi Voti Obedientiæ.

§. I.

De natura Voti Obedientiæ, & obligatione ab ipſo proveniente.

QUÆR. I. QUid ſit votum religioſæ obedientiæ.

RESP. Eſſe promiſſionem, qua monialis propriam ſubiiciens voluntatem Superiori ſe obligat ad parendum in omnibus, quæ poſſunt cadere ſub objecto virtutis obedientiæ. Hinc eſt, quòd obligatio hujus voti ſe extendit tantùm ad res licitas, & honeſtas, ita ut cùm certò conſtat, rem præceptam eſſe illicitam, & malam, aut contra regulam, vel præceptum ſuperioris altioris, nullo pacto tenetur monialis obedire, etiam ſi ad hoc pœnis, vel cenſuris compellatur; quia monialis ſe obligat ad id tantùm, quod eſt materia voti, cujuſmodi non eſt, nec eſſe poteſt res illicita. D. Thom. *quodlib.* 10. *art.* 11. Item ſi Superior præciperet res concernentes tantùm utilitati temporali ſui, aut ſuorum, ut ſi præciperet moniali, quòd faceret recamaturas &c. alicui conſanguineo, aut amico, non teneretur obedire, cùm hæc non ſint ſecundùm regulam; ſicuti neque tenetur obedire, ſi præcipiat vana, vel

ad

ad regulam sive explicitè, sive implicitè non pertinentia.

QUÆR. II. An in dubio quòd res præcepta sit licita, parendum sit Superiori.

RESP. Quòd sic cum communi Doctorum, quos refert Peyrin. *t.*1. *q.*1. *cap.* 7. desumitur *ex cap. quid ergo*, 11. *q.*3. & *cap. quid culpatur* 23.*q.*1. quibus determinatur, quòd in dubiis superiori parendum. Limita, nisi urgeat in præjudicium tertii, aut honoris, vel propriæ famæ, ita Rodriq. Miranda, & Peyrin. *loc. cit.* quia nemo tenetur parere cùm gravi suo, vel alterius incommodo, nisi constet, superiorem legitimè præcipere, & habere auctoritatem tunc præcipiendi. Et ob hanc causam monialis dubia de honestate præcepti non tenetur statim obedire, si illi præcipiatur res valdè difficilis, & nimis molesta; sed potest rem maturiùs discutere, & quousque sibi non constat de honestate rei præceptæ, executionem differre, ita ex Rodriq. Peyrin. *loc. cit.*

QUÆR. III. An Moniales ex vi voti obedientiæ teneantur exequi id, quod sciunt, velle superiorem, voluntas tamen illius nullo præcepto est manifestata.

RESP. Non teneri; quia voluntas mente retenta nihil operatur. Obligantur igitur solùm, quando præceptum est intimatum, sive oretenus, sive scripto, sive alio modo.

QUÆR. IV. An moniales sine Superioris licentia possint validè aliquid vovere.

RESP. Negant Paludan. Angel. Rosel. & Valent. quia votum non fit sine volũtate, qua carent moniales, cum earum velle, & nolle, stan-

ſtante voto obedientiæ, à Superioris dependeat voluntate. Cenſeo nihilominus cum Cajet. Sot. Navar. & aliis poſſe validè, & meritoriè vovere ea omnia, quæ nec regulæ, nec Superioris præcepto repugnant, nec eas à debito illius obſequio avertunt. Quia vovere per ſe eſt opus conſilii, & aliàs non eſt religioſis prohibitum. Quare poſſunt vota perſonalia emittere de actibus poſitis ſub præcepto ſivè divino, ſivè Regulæ, ad magis obfirmandã voluntatem in eorum obſervãtia; nec non de operibus ſupererogationis, quæ nec à regula prohibentur, nec præcipiũtur; imò etiã ſi excedant obligationẽ regulæ, ut eſt tranſitus ad ſtrictiorem. Nam materia hujuſmodi votorũ eſt per ſe honeſta, & medium aſſequẽdi perfectionem. Poteſt tamen Superior prohibere monialibus, ne ipſo incõſulto voveant, quia hoc non eſt opus perfectionis impedire, ſed modũ, quo meliùs fiat, providere, Suar. *t. 2. de relig. l. 3. c. 6. n. 25.* & Bart. à S. Fauſ. *Theſur. relig. l. 2. qu. 23.* qui ſuſtinet, vota contra hujuſmodi prohibitionem facta valere, quia ad validitatẽ voti ſufficit, quòd materia ſit Deo grata, licèt vovendi modus illi diſpliceat.

QUÆR. V. Quibus Superioribus teneantur moniales parere ex vi voti obedientiæ.

RESP. Iis omnibus, quibus per tale votũ ſe ſubiiciunt, ſive immediatis, ſive mediatis, ſive regularibus, ſive non. Tenentur igitur parere Abbatiſſæ in his, quę ſpectãt ad regulã, in quibus etiã ex vi voti tenẽtur parere Sũmo Pontifici, tanquã ſupremo omniũ Religionũ Capiti, & cui per religionis votum omnes ſubduntur religioſi. Epiſcopo quoque tenentur pa-

parere, si sint illi subjectæ, quia obligatio parendi oritur à jure subjectionis. Si verò sint exéptæ, tenentur parere Episcopo, in his, quibus se habet tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, ut in observantia clausuræ; in reliquis verò parere debent Prælatis sui Ordinis, & quidem eo pacto, quo tenentur ejusdem Ordinis religiosi, cùm in utrisque votum obedientiæ sit idem.

QUÆR. VI. An monialis in spectantibus ad regimen monasterii maximis scrupulis agitata, à quibus non potest se liberare, teneatur, Superiore præcipiente, munus subire Abbatissæ.

RESP. Non teneri. Ita colligitur ex Graf. Peyrin. Rodriq. Sot. & Sanch. *in decal. lib. 6. cap. 2. n. 52.* Quia munus Abbatissæ cum tam vehementi scrupulorum anxietate esset illi nimis onerosum, & difficillimum; in moralibus autem, quod est valdè difficile, æquiparatur impossibili, ad quod nemo tenetur. Tum quia sicuti vehemens scrupulorum agitatio in persolvendo officio divino eximit à præcepto recitandi horas canonicas, Gobat. *t. 1. tract. 5. cas. 23. sect. 2. nu. 714.* ita vehemens scrupulorum agitatio in regimine monasterii eximet à præcepto subeundi munus Abbatissæ.

Insuper, nemo tenetur obedire cum suæ animæ periculo, & aliorum detrimento, ut communiter cum D. Thoma. Utrumque sequeretur, si monialis obediret Superiori præcipienti. Primum quidem, quia stante illa scrupulorum anxietate exponeretur continuis animi agitationibus, & perplexitatibus,

bus, consequenter probabili periculo labendi ex conscientia erronea in aliquam culpam. Secundum verò, quia, utpote scrupulosa, esset in custodia regulæ nimis rigida, ac in delictis, & transgressionibus monialium perquirendis nimis anxia; atque adeo, ut advertit Peyrin. *de Prælat. q.2. cap.* 3. §. 15. *nu.* 145. parum prudens, & minus misericors, unde turbaretur religiosa societas, & totius monasterii concordia.

Ex quo pariter consurgit validum aliud motivum eximens in hoc casu dictam monialem ab obedientia. Si enim suo scrupuloso regimine præberet causam turbandæ pacis, & concordiæ, jam est regiminis indigna, adeoque non tenetur, imo neque potest absque mortali peccato acceptare munus Abbatissæ; quia dignitas ita est de intrinseca natura Prælaturæ, ut neque summus Pontifex possit dispensare, ut eligatur indigna, cum sit de jure divino naturali. Peyrin. *de subdit. qu.*1. *cap.* 10.

QUÆR. VII. An Abbatissa possit præcipere monialibus in virtute obedientiæ, obligando in conscientia.

RESP. Negativa sententia traditur à Soto, & Caramuele *in Theol. regul. disp.* 38. *ref.* 5. ubi alios citat. Quia enim potestas Abbatissæ spiritualis non est, sed æconomica, domestica, & civilis, nihil imperare potest, quod monialium conscientiam valeat onerare. Nihilominus posse Abbatissam præcipere in virtutæ obedientiæ, & in conscientia obligare, docet Pasqual. *in Lauret. p.*1. *nu.* 765. cum undecim aliis ibi relatis. Ratio est,

quia

quia inter Abbatissam, & moniales adest ordo superioritatis,& subjectionis,auctorizatus à Summo Pontifice ; unde votum obedientiæ obligat moniales tanquam subditas ad obediendum Abbatissæ, quia ex vi talis ordinis est collata Abbatissæ potestas exigendi obedientiam, quæ potestas fundatur in jure superioritatis.

Neque per hoc exercet jurisdictionem spiritualem, quia quod præcipitur, supponitur jam impositum monialibus exequendum ex vi regulæ, in qua aut expresè, aut tacitè continetur, & proinde præceptum est regulæ,& Abbatissa solùm utitur jure acquisito ad exigendum ex vi voti obedientiæ, quod est in regula. Quare Abbatissa ministerialiter tantùm se habet, quia tanquam ministra conjungit in tali, & tali moniali quo ad particularia regulam cum obligatione voti obedientiæ, coarctando monialem ad exercendum votum obedientiæ circa talem rem à regula præscriptam. Undè potest Abbatissa præcipere non solùm spectantia ad æconomicam monasterii gubernationem, sed etiam concernentia spiritualem monialium profectum, quia hæc quoque sub obligatione regulæ continentur.

Quær. VIII. An Abbatissa ex voto obedientiæ ei emisso possit præcipere monialibus ea omnia, quæ potest Prælatus Regularis præcipere suis religiosis.

Resp. Non posse: quia Prælatus regularis, utpote pollens potestate spirituali, potest imponere nova præcepta spiritualia de iis, quæ non sunt in regula, concernunt tamen

ad

ad conservationem regulæ; Abbatissa verò non potest præcipere in virtute obedientiæ nisi ea, quæ sunt in regula, ut pro adimpletione uti possit obligatione voti obedientiæ. Pasqual. *loc. cit. n. 766.*

QUÆR. IX. An monialis teneatur obedire Abbatissæ præcipienti revelare secretum fidei suæ commissum.

RESP. Si secretum vergit in damnum monasterii, aut alicujus personæ, vel Abbatissæ, aut alterius superioris, etiam præciso præcepto, tenetur, dictante lege naturali, quòd bonum commune particulari bono est præferendum. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 70. *ar.* 1. *ad* 2. S. Antonin. Reginal. Navar. & alii. Si verò secretum non vergit in damnum tertii, sed solùm in damnum manifestantis, non tenetur obedire, quia jure naturæ debemus proximo fidem servare, maximè ubi adest propriæ personæ damnum, D. Thom. quodlib. 1. *ar.* 15. Sylvest. Reginal. Scot. & alii.

QUÆR. X. An Abbatissa possit cogere monialem ad acceptandum, & exercendum aliquod munus, non obstante pacto in contrarium, & soluta monasterio dote majore solito ad hunc effectum.

RESP. Posse cogere, quia ea conditio est turpis, cùm sit contra votũ obedientię, quod debet promitti simpliciter in ordine ad omnia, quæ sunt expressa in regula, ut docent omnes cũ D. Tho. quatenus igitur turpis, est reiicienda; unde prædicta monialis debet obedire sicuti aliæ ejusdẽ professionis, & muneris. Nec obstat majoris dotis solutio sub ea conditione, cùm enim ea sit turpis, sibi imputet mo-

monialis; qui enim facit, quod non debet, recipit, quod non oportet, *l. Julianus, §. offerri, ff. de act. empt.* Ita Bordon. *in miscel. Decis.* 436.

QUÆR. XI. An Superior possit imponere monialibus præceptum obedientiæ obligans sub mortali in materia levi.

RESP. Ex communi Doctorum sententia non posse; quia potestas Superioris non se extendit ultra terminos rectæ rationis, alioquin gravaret subditos injustè, quia gravaret absque necessitate. Recta autem ratio dictat, quòd præceptum accomodetur exigentiæ materiæ, quare si materia est levis, non potest præcipi sub mortali. Verum tamen est, quòd materia ex se levis potest esse gravis respectu communitatis, & ratione finis, & in tali casu potest præcipi sub gravi, undè consurget obligatio gravis, quia est obligatio ad mensuram exigentiæ finis.

QUÆR. XII. An si Episcopus in virtute obedientiæ præcipiat monialibus, ne accedant ad januam, ad evitandum aliquod incommodum, peccet monialis accedendo, quando certò scit in tali casu non adesse periculum, ratione cujus præceptum est impositum.

RESP. Peccare; quia esto non adsit periculum in illo casu, adest tamen generaliter, & ut plurimùm; & hoc sufficit, quia hæc fuit causa imponendi præceptum. Et ita docet Diana cum aliis *in opere Coord. t. 7. tract. 1. res.* 132. *n.* 2.

QUÆR. XIII. Quænam sit forma faciendi præcepta obligantia sub mortali.

RESP.

Resp. Variam esse formam, prout varii sunt ordines religionum, undè in unoquoque ordine inspiciendum est, quid quoad hoc statutum sit, aut usu inductum, illudque omninò servandum. Communiores tamen, & frequentiores formæ sunt, *In Nomine D. N. Jesu Christi, vel in virtute Spiritus Sancti, vel in virtute obedientiæ.*

Quær. XIV. An ex verbis *præcipio, jubeo, strictè præcipio, sub præcepto injungo, absolutè prohibeo*, colligatur obligatio parendi sub mortali.

Resp. Negativè cum Medina, Lorca, Vasq. Suar. & Sanch. *in decal. lib.6. cap.4. n.* 26. quia verba illa sunt indifferentia ad obligandum sub mortali, vel sub veniali, ut præceptum non furandi, non mentiendi in materia levi. Cùm igitur talia verba ex genere suo non obligent sub mortali, debent determinari vel à gravitate materiæ præceptæ, vel etiam à pœnæ impositione, ita quòd si aliquid præcipiatur sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ, violatio talis præcepti erit censenda gravis, quia additio talis pœnæ satis ostendit, mentem Superioris esse obligare sub gravi, ut in simili advertit Sanchez *ubi supra nu.* 44. Non tamen colligitur obligatio gravis, si excommunicatio sit sententiæ ferendæ. Ita Vasquez, Navar. & alii, qui addunt, observandam etiam esse consuetudinem regionis, & religionis in modo loquendi, quia ex illa satis deducitur præcipientis intentio.

§. II.

§. II.

De subjectione quoad Ordinarium.

QUÆR. I. AN, & quomodò moniales subiiciantur potestati Ordinariorum.

RESP. De jure communi, præcisis particularibus exemptionibus, & privilegiis Apostolicis, Regulares subiici originaliter Episcoporum jurisdictioni, *can. qui verè in fin. 16. qu. 1. & can. pervenit. 16. qu. 1.* De quibus per Oldrad. *cons. 274.* Intelligitur autem hæc subjectio quoad jura Episcopalia, juxta *Cap. constitut. de relig. domib.* & quoad obedientiam *cap. cum liceat de præscript.* Undè etiam moniales de jure communi subsunt Ordinariorum potestati. Modò autem ferè omnes Religiosorum Ordines obtinent de jure speciali plenariam exemptionem. Monialium verò Monasteria plurima etiam nunc plenè subsunt Ordinariorum jurisdictioni, & quoad personas, & quoad bona temporalia; alia subsunt gubernationi Prælatorum sui Ordinis, & alia sunt immediatè Apostolicæ sedi subjecta, ita tamen ut Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus in utrisque exerceat jurisdictionem in his, quæ spectant ad custodiam clausuræ, & in his ultimis exercet jurisdictionem etiam quoad gubernium spirituale, ut per Tridentinum *sess. 25. de Regular. cap. 9.* non verò temporale, ut *ex declarat. Sacr. Congreg.* quam refert Pasqual.

qual. *in Laur. p.* 1. *num.* 37. Barbos. & Tamburin.

QUÆR. II. An moniales in iis, in quibus subjiciuntur Ordinario loci, subjiciantur etiam ejus Vicario Generali, & Capitulo, sede vacante.

RESP. Subjici etiam Vicario Generali, utpote constituenti unum, & idem tribunal cum suo Episcopo. Immò Vicarius generalis potest exercere in moniales jurisdictionem competentem Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ delegato, quia delegatus Principis potest subdelegare, *cap. Pastoralis, & cap. fin. de offic. deleg.* Hæc pariter facultas transit in Capitulum Sede vacante, etiam quoad ea, quæ competunt Episcopo jure delegationis; licèt enim, universaliter loquendo, Capitulum Sede vacante succedat solùm in his, quæ competunt Episcopo ex jurisdictione ordinaria, non verò delegata, juxta ea, quæ *per text. in cap. Pastoralis de offic. ord.* resolvunt Abbas, Pavin. & Tusch. fallit tamen, quando jurisdictio ex delegatione Sedis Apostolicæ in perpetuum committitur muneri Episcopali, quia suppositâ perpetuitate hujus delegationis, talis jurisdictio competit Episcopis ex officio, & est accessoria, immò pars jurisdictionis episcopalis, & per consequens ut talis transit in Capitulum, in quod, Sede vacante, transit per viam regulæ tota episcopalis jurisdictio; ut advertit Molin. *de just. t.* 6. *tract.* 5. *disp.* 11. *sub n.* 8. *& 9.* & ex eo Barbosa *de off. & Potest. Episc. alleg.* 133. *nu.* 21. ex quo Tamburin. & Castro Pal. contra

Garziam, Azor. Breun. Dian. & alios relatos à Pasqual. ubi supra.

QUÆR. III. An moniales exemptæ ab Ordinarii jurisdictione possint ei se subiicere.

RESP. Non posse; quia privilegium exemptionis habet implicatum jus tertii, scilicet Religionis, cui subduntur, & Summi Pontificis, qui eo ipso, quòd illas eximit ab Ordinariorum jurisdictione, eas sibi subiicit, & constituit se immediatum earum Superiorem. Non possunt igitur tali privilegio renunciare, quia per hujusmodi actum jus Religionis, & Summi Pontificis læderetur. Et hoc adeò verum est, ut neque consensu totius Religionis possint inconsulto Summo Pontifice se subiicere, tum quia privilegium exemptionis est connexum cum jure Pontificis, tum quia, cùm sit papale, ipsi sine Papæ consensu renunciari non potest, *cap. cum tempore, de arbitr.* Neque de consensu, & potestate Nuntii Apostolici, aut Legati à latere, quia exemptio est de reservatis Papæ, ac propriè Apostolicæ Sedi competit, Gloss. *c. 1. v. exempti de privil. in 6. & latè* Abbas *in c. ult. n. 5. cum Apost. de confir. util. vel inutil.*

QUÆR. IV. Quibus de causis moniales exemptæ debeant à Sede Apostolica subiici jurisdictioni Ordinarii.

RESP. Ex quacunque rationabili causa, Faber. *instit. de his, qui sunt sui, vel alt. jur.* Et maximè hoc faciendum videtur, quoties apparet, Superiores adeò malè tractare illas, ut reputari possit abusus jurisdictionis. Hostien. communiter approbatus *in cap. licèt enim n. 9. de simon.* Insuper quando constat,

Præ-

Prælatos Regulares causam præbuisse dissensionibus inter moniales, & in eas sævire, Roman. *cons.* 37. *n.* 1. Vel si moniales expensis graventur, Guido Papa *decis.* 62. & Prælatorum administratio tendat in destructionem monasterii, *cap. Venerabilis*, ubi Glos. *v. suspecti de off. deleg. c.* 2. Item si interveniat scandalum exortum ex frequenti collocutione regularium cum monialibus, quę res sicuti scandalosa est, ita opportuno eget remedio, atque adeò moniales sub horum regularium cura non sunt ampliùs relinquendæ.

QUÆR. V. An moniales pro constructione novi Monasterii indigeant licentia Episcopi.

RESP. Indigere, & decernitur à Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. *de regular. in fin.* & notant Navar. Barb. Tambur. & Cesped. Ita quòd neque Vicarius generalis potest sine speciali mandato licentiam hujusmodi impertire, quia est de majoribus. Sellelius *in select. canon. c.* 9. *n.* 4. ubi refert decisum à Sac. Congreg. 11. *Julii* 1620. Vicarium verò Capitularem posse prædictam licentiam concedere, affirmat Cesped. *de exempt. regul. cap.* 1. *dub.* 21. *n.* 5. negat Pasqu. *in Lauret. n.* 506.

QUÆR. VI. An in concedenda dicta licentia debeat servari forma præscripta à Clemente VIII. & Gregorio XIII. scilicet, quòd priùs vocentur, & audiantur Prælati conventuales locorum, ubi ædificandum est monasterium, & alii interesse habentes.

RESP. Affirmant Donatus, & Tamburin. *de jure Abbatis disp.* 33. *q.* 1. *n.* 4. quia in dictis decretis præscribitur forma ad dandum con-

sensum pro novo monasterio, sive sit virorum, sive mulierum. Negant Cesped. & Lezana, quia verba decreti loquuntur de religiosis monachis &c. non de mulieribus. Distinguit Pasqual. ubi supra *nu.* 479. Si moniales non mendicent, non videntur comprehendi earum monasteria sub forma dictorum decretorum, quia non possunt religiosis præexistentibus afferre præjudicium, neque quæritando, neque divertendo concursum ab eorum Ecclesiis. Si verò quærunt eleemosynas, quia possunt præjudicium afferre per elemosynarum diminutionem, ideò sunt cæteri religiosi audiendi.

QUÆR. VII. An Episcopus, antequam erigãtur nova monasteria, debeat vocare, & audire etiam Prælatos Monialiũ exemptarum.

RESP. Affirmat Cesped. *cap.* 23. *dub.* 353. Movetur ex verbis Constitutionis, in qua, postquam Summus Pontifex præcepit non esse erigendos conventus nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, subdit: Et aliis interesse habentibus. Sed alii interesse habentes sunt etiam moniales exemptæ, præcipuè quæ ex eleemosynis vivunt; ergo ex vi Constitutionis etiam Superiores illarum sunt vocandi, & audiendi ab Episcopo, & hoc etiam in constructione monasterii virorum. Videtur tamen obstare praxis, quæ omninò servanda.

QUÆR. VIII. An Episcopus possit indulgere monialibus, ut intrà sepia monasterii servent Eucharistiam.

RESP.

Resp. Non posse, stante decreto Tridentini *sess.* 25. *de regul. cap.* 10. Putat nihilominus Rodriquez, quòd Concilium solùm prohibeat, quòd Eucharistia servetur intrà claustra, & proinde possit conservari tam in Ecclesia exteriori, quàm interiori ex privilegio Clementis VII. per quod conceditur monialibus Fratrum Minorum, quòd possint in Ecclesia interiori in loco decenti habere Eucharistiam, sicut habent in exteriori. Verùm hoc esse contra mentem Concilii, declaravit Sac. Congreg. *in Toletana* apud Pignatel. *t.* 8. *consult.* 53. *n.* 6. quæ sic habet: *Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, non in Choro monialium, sed in Ecclesia exteriori conservetur, non obstante quacunque consuetudine contraria: nec potest in fenestella illius parietis, quæ desiungit Chorum Monasterii ab Ecclesia, retineri, & ubi consuetudo inolevit, omninò tollenda.*

Quær. IX. An moniales Ordinario subjectæ subjaceant casibus, & censuris, quæ ipse Ordinarius generaliter reservat pro tota diæcesi, etiam si de ipsis Monialibus non fiat expressa mentio in Edicto reservationis.

Resp. Visum est aliquibus, quòd non, præcipuè Cespedes *cap.* 23. *dub.* 357. *num.* 3. Quia edictum reservationis in universali nihil operatur pro monialibus, cùm enim ipsæ sint communitas distincta à cæteris, & vivant secundùm speciales leges, & regulas, debet Episcopus ipsis assistere in ordine ad speciale regimen juxta exigentiam regulæ ipsarum; & ideò, quæ facit in ordine ad diæcesim secundùm universalem directionem,

non se extendunt ad moniales, quæ non subduntur ipsi, in ordine ad talem directionem, sed in ordine ad specialem. Unde ex eo quòd ferat edictum reservationis universale, quia procedit ex generali directione, non autem ex speciali, secundùm quam præest monialibus, non dat vim tali edicto in ordine ad ipsas. Adde, quòd in materia stricta, & odiosa, qualis est casuum reservatio, verba, quæ possunt accipi in genere, & in specie, debent in specie accipi, ut per Seraphin. *decis.* 853. *n.*7. Unde, licèt edictum reservationis possit accipi in genere, scilicet tam pro sæcularibus, quàm pro monialibus subjectis, nihilominùs utpotè odiosum debet pro sæcularibus tantùm accipi.

His tamen non obstantibus non est à communi sententia recedendum, quam tuentur Diana, & Bordon. *in Miscell. decis.* 419. Quia edictum reservationis est generale, & aptum comprehendere etiam Moniales; undè succedit regula, quòd, quando mens verisimilis disponentis, & subjecta materia concurrunt cum verborum indefinita generalitate, tunc veniunt omnes illi, ad quos se potest extendere dispositio, Ruin. *cons.* 127. *n.*4. Quòd autem edictum reservationis sit aptum comprehendere moniales, patet, quia reservatio pertinet ad disciplinam christianā, ut fideles retrahātur à peccatis, qua disciplina indigent etiam moniales, quare edictum debet illas quoque cōprehendere, maximè quia si etiam ipsæ communicant cum cæteris sub eodem Pastore, & capite, debent etiam in obligatione generalis edicti communicare.

QUÆR.

QUÆR. X. An etiam moniales exemptæ subdantur casibus Episcopo reservatis.

RESP. Affirmat Tamburin. *in expedit. moral. explicat. lib. 5. de pœnit. tract. de casib. reserv. cap. 3. n. 4.* innixus Constitutioni *Inscrutabili* Gregorii XV. in qua statuitur, etiam Moniales exemptas non alios quàm ab Episcopo approbatos habere posse in Confessarios; unde infert, posse Episcopum restringere dictam approbationem; & Confessarium, quem dictis monialibus concedit, limitare, ne valeat absolvere ab hoc, vel illo peccato, qua ratione jam hæ moniales subjacent reservationi Episcopi. Cum ergo hodie Episcopi semper approbent Confessarios sub restrictione ne absolvant à reservatis, quando contrarium non exprimunt, eodem modo præsumuntur approbare hos Confessarios monialium quamvis exemptarum.

In contrarium est communis sententia, quam amplector. Quia dispositio casuum reservatorum non extenditur ultra territorium, juxta communem doctrinam *in cap. ut animarum de constit. in 6.* Cum ergo monasteria monialium exemptarum tam ratione sui, quàm ratione personarum sint plenè exempta, non secùs ac si essent extra territorium, ut per Bonacin. Bordon. & alios; constatque ex diversis privilegiis Summorum Pontificum, præcipuè Sixti IV. Bul. 1. apud Confect. ad ipsa non potest se extendere episcopalium casuum reservatio.

Neque valet, quòd possit Episcopus non approbare quoad reservata confessarios monialium exemptarum, quia potest ferre judi-

cium quòd non sint idonei quoad illa, qua ratione prædictæ moniales subjacebunt reservationi Episcopi. Non valet, inquam, nam delegationem Episcopi non se extendere ad limitatè approbandum Confessarios quoad reservata suadetur. Primò, quia per Constitutionem Clementis X. *Superna*, & Sacræ Congregationis declarationes, facultas approbandi Confessarios regulares se extendit tantùm ad tempus, locum, & personas, de criminibus verò nihil disponitur; & meritò cum quo adhæc sit sufficienter provisum per reservationem, quoad sæculares quidem per reservationem Episcopi, quoad exemptos verò per reservationem sui Prælati.

Secundò quia facultas delegata Episcopis ad cognoscendum de idoneitate Confessariorum regularium non est trahenda ad subiiciendas moniales quoad reservata, concessa enim jurisdictione in certo casu, censetur in cæteris prohibita, *l. cum Prætor. ff. de judic. Riminal. jun. cons.* 516. *nu.* 20. Et delegatio est stricti juris, Rota *decis.* 18. *n.* 1. *de dol. & cuntum. in nov.* adeoque restringenda ita ut minùs, quàm fieri potest, lædat exemptionem, per regulam *ea quæ de regul. jur. in 6.* maximè quando potest in uno casu sortiri suum effectũ, Cephal. *cons.* 104. *n.* 11. *l.* 1. cum adductis à Rota *decis.* 563. *nu.* 1. *p.* 1. prout in præsẽti; potest enim Episcopus cognoscere de idoneitate Confessarii, & illum approbare, si idoneum, reprobare verò, si minùs idoneum repererit, absque eo quòd procedat cum limitatione offensiva exemptionis monialium.

At

At dato etiam citra veritatis præjudicium, quòd possit prædictos Confessarios limitatè approbare quoad reservata, in tali casu debet hanc limitationem exprimere, sicuti exprimere debet limitationem quoad tempus, locum, & personas, quando intendit limitare quo ad illa. Et ratio est, quia limitatio utpote derogativa exemptionis, atque adeo stricti juris, non præsumitur, Rota *dec.* 23. *n.* 19. *p.* 1. *recent.* Cum nimis odiosum sit auferre exemptiones, & privilegia, quæ post concessionem non dicuntur contra jus, sed de jure, *l.* 1. *ff. de constit. Princip.* Cæsar. de Graf. *dec.* 1. *nu.* 6. Gonzal. ad regul. 8. glos. 36.

Nec sufficienter deducitur limitatio quoad reservata per hoc, quòd Confessarii exemptarum approbentur sicut cæteri; atque adeo cum cæteri Confessarii approbentur semper cum restrictione ne absolvāt à reservatis, nisi aliud exprimatur, illi quoque sub eadem restrictione censentur approbati. Nam licèt verum sit, quòd cæteri Confessarii non possint absolvere à reservatis, nisi aliud exprimatur, hæc tamen restrictio non provenit à limitata approbatione, sed à lege reservationis, quæ valdè differunt inter se; prima enim respicit idoneitatem, secunda verò cadit supra jurisdictionem; unde stare potest absoluta approbatio cum restrictione facultatis in ordine ad reservata, ut patet in Parochis, qui à jure sunt absolutè approbati, & tamen absolvere à reservatis non possunt.

Et, quòd cæteri diæcesis Confessarii non approbētur cum restrictione approbationis, cōvincitur etiā ex praxi; nam quilibet illorū vir-

tute jubilæi absolvit à reservatis Episcopo absque nova approbatione, qua necessariò indigeret, si antecedenter ad jubilæum non fuisset etiam quò ad reservata approbatus idoneus; nam privilegium jubilæi requirit tanquam de forma approbationem ordinarii, atque adeo approbationem ad reservata; non enim sufficit qualiscunque approbatio, sed debet esse approbatio in ordine ad illum effectum, ad quem eligitur Confessarius: quod non verificaretur, si in antecedenti approbatione fuisset excluſus à reservatis, ut fatetur idem Tamburinus *lib. cit. cap.* 5. §. 4. *n.* 30.

QUÆR. XI. An moniales non exemptæ incidant in casum reservatum Episcopo non comedendi carnes diebus prohibitis ab Ecclesia, si in aliis diebus, in quibus ex voto, vel observantia prohibentur, carnem comedant.

RESP. Non incidere, ita Sanch. & Mazzuchel. quos refert, & sequitur Cesped. *dub.* 355. quia tunc peccant quidem contra regulam, vel contra votum; non autem contra Ecclesiæ præceptum: unde non habet locum reservatio, quia afficit comestionem carnium præcepti ecclesiastici violativam. Si verò moniales teneantur ex vi voti, & regulæ abstinere à carnibus die veneris, & Festum Natalis Domini incidat tali die, tunc comedendo carnes incidunt in casum reservatum, quia adhuc viget præceptum respectu eorum, qui in tali die tenentur ex vi voti, vel regulæ à carnibus abstinere, ut habetur *ex cap. final. de observ. jejun.*

QUÆR. XII. An Episcopus ut Sedis Apo-

sto-

ſtolicæ delegatus poſſit reſervare caſus circà clauſuram in ordine ad moniales exemptas, v. g. ne cum ſæcularibus loquantur in oſtio aperto &c.

Resp. Poſſe. Ita Baucius; quia ex vi delegationis factæ Epiſcopo circa clauſuram tàm materialem, quàm formalem, ut videbimus ſuo loco, ceſſat in illis quoad clauſuram privilegium exemptionis, atque adeo quoad hoc etiam illæ ſubduntur Epiſcopo ſicut cæteræ Moniales; ratione igitur iſtius ſubjectionis poterit Epiſcopus reſervare caſum ad materiam clauſuræ ſpectantem, quia ſuæ juriſdictionis limites non excedit. Ex quo ſequitur, quòd in caſu contraventionis, Moniales ſunt abſolvendæ ab Epiſcopo, non autem à proprio Prælato, idque ex decreto Clementis VIII. expreſsè prohibente omnibus Regularibus, ne abſolvant vi cujuſcunque privilegii ipſis conceſſi à caſibus ordinario ſpecialiter reſervatis: quod decretum, cùm loquatur indefinitè, utique comprehendit etiam reſervata Monialibus, juxta regulam generalem, Lex generaliter loquens generaliter debet intelligi. Scio, Paſqualigum, quem ſequitur Diana *t. 7. in opere coord. tract. 1. reſ. 317. num. 2.* negativæ ſententiæ adhærere, quia putant dicti Doctores, quòd delegatio conceſſa Epiſcopis à Tridentino in ordine ad clauſuram monialium exemptarum ſit ſolùm in foro externo, quod probare prætendunt ex verbis ipſius Concilii *ſeſſ. 25. de Regular.* Ego tamen à priori ſententia non recedo.

Quær. XIII. An moniales ſubdantur

Episcopo quoad officialium Monasterii electionem.

Resp. Negativè, sed electionem spectare vel ad Abbatissam, vel ad Conventum, juxta ipsarum constitutiones. Constat ex Sacræ Congregationis decreto relato à Pasqual. *in Lauret. nu.*770. Officiales hujusmodi ad nutum Abbatissæ vel Conventus possunt amoveri, ut ex Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. notant Bordon. Sigismond.& Donat. qui addunt posse etiam sine causa amoveri, hoc enim est esse ad nutum amovibiles; nam si requireretur causa, essent solùm amovibiles ex causa, non ad nutum. Immò quòd monialium procurator de triennio in triennium mutari debeat, extat speciale decretum Sac. Congreg. *sub die* 31. *Julii* 1615. ut refert Aldan. *in comp. canonic. resol. lib.*4. *tit.* 2. *n.*10. Procedit autem non de procuratore ad lites, sed de procuratore administrante bona monialium, nam inhæret decreto Concilii *d. sess.* 25. quod procedit tantùm de administrante bona temporalia. Pasqual. *ubi supra.* Advertendum ex declaratione Sac. Congr. Episc. *sub die* 22. *Augusti* 1605. non posse religiosos cujuscunque gradus eligi in administratores bonorum monialium.

Quær. XIV. An moniales, etiam exemptæ, subdantur Ordinario loci quoad bonorum suorum administrationem.

Resp. Subjacere in eo, quòd potest Ordinarius ex causa rationabili monere Prælatos regulares, ut amoveant ab administrandis bonis monialium eos, qui ad tale munus deputati sunt, ipsisque Prælatis id facere de-

tre-

trectantibus, aut negligentibus, ipsemet Ordinarius amovere potest quoties, & quando opus esse judicaverit. Subduntur etiam in eo, quòd singulis annis, adhibitis etiam Prælatis regularibus, potest à præfatis administratoribus exigere rationẽ administrationis, & ad id eos compellere juris remediis, ac, si fortè delinquentes circa administrationem reperti fuerint, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus punire. Patet expressè ex Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili*.

Quær. XV. An Regulares concionaturi monialibus exemptis ad crates teneantur benedictionem petere ab Ordinario.

Resp. In rigore loquendo videri, quòd non. Quia Concilium Trident. *sess.* 5. *c.* 2. *de reformat. & sess.* 24. *cap.* 4. & Bulla Gregorii XV. *de privil. exempt.* loquuntur de concionatoribus, & de prædicatione in Ecclesiis, atque adeò de publicis concionibus, seu sermonibus, quales non sunt sermones, qui fiunt apud moniales januis clausis; nam sunt potiùs privatæ adhortationes, & ideò non videntur sub his dispositionibus includi. Pasqual. *ubi supra n.* 625. qui citat Cesped. & Lezan. Quod etiam videtur sentire Bordonus *in cons. regul. res.* 7. *num.* 33. etiam si moniales, apud quas habentur prædicti sermones, non sint exemptæ. Nihilominus petendam esse benedictionem ab Ordinario, sive concio habenda sit ad crates monialium exemptarum, sive non exemptarum, etiam januis clausis, & nullo sæcularium audiente, expressè decernitur in Constit. Clementis X. quæ incipit *Superna*.

Qua-

Qualiter autem moniales, etiam exemptæ, subjiciantur ordinariis quoad puellarum educandarum, & Novitiarum receptionem, professionis emissionem, Confessariorum approbationem, festorum, jejunorum, censurarum, interdicti, & clausuræ observantiam, suis in locis refertur.

§. III.

De Monialium subjectione erga Prælatum Regularem.

QUÆR. I. AN potestas Prælati Regularis in moniales sibi subditas sit ordinaria, vel delegata.

RESP. Esse ordinariam, quia illi competit ex officio, & est perpetua, quæ duo constituunt potestatem in esse potestatis ordinariæ, ut notant communiter Doctores. Ex quo fit, quòd sit etiam delegabilis, ut firmat in terminis Rodriq. *t. 1. qu. 17. ar.* 10. Illa verò, quæ competit Prælato locali, reputatur communiter delegata; nam ex officio competit Generali, aut Provincialibus Ordinis, Superioribus verò localibus committitur per delegationem, ut in casibus frequentiùs occurrentibus possint opportunè providere. Unde juxta hanc sententiam non possunt locales Prælati regulares talem facultatem alteri committere, quia delegatus non potest subdelegare.

QUÆR. II. In quibus moniales exemptæ subdantur suo Prælato Regulari.

RESP. Sudi ferè in omnibus, in quibus subdun-

duntur Ordinario moniales ipsi subjectæ, unde de utrisque proportionaliter discurrendum. Et insuper subduntur in omnibus, in quibus subduntur viri religiosi, quantùm tamen patitur conditio sexus fœminei, & quantum ad ea, quæ statui monialium esse possunt proportionata.

QUÆR. III. An Prælatus regularis habeat in moniales subditas potestatem non solùm directivam, sed etiam coercitivam, & judicialem.

RESP. Affirmativè; patet ex usu, & suadetur ratione; nam omnis communitas, ut sit ordinata, debet posse dirigi in suum finem per congrua media, ut Theologi communiter cum D. Thom. 1. 2. *q.92. art.2.* Ergo debet in Prælato regulari residere potestas coactiva, & judicialis, tanquam medium congruum, & principale dirigendi monialium communitatem in regularem observantiam; attenta enim humanæ conditionis imbecillitate, parùm esset hortari moniales verbo, nisi cogerentur imperio. Ita Suar. *t.4, de relig.tr.8.lib.2. cap.9. nu.1.* docens postea quòd, quamvis Prælatus religionis ex vi talis status habeat solùm potestatem coercendi modo paterno, & juxta limites regulæ; ratione tamen jurisdictionis ecclesiasticæ habet potestatem coercitivam episcopalem, idque ex usu, & privilegiis omnium religionum exemptarum. In usu tamen hujus jurisdictionis habenda est ratio consuetudinis, cùm vi illius possit contingere, quòd tota jurisdictio sit in Prælato religioso quoad omnia delicta, vel quòd aliqua sint Episcopo reser-

servata, vel quòd in utrisque sit cumulativè.

QUÆR. IV. An moniales regularibus subjectæ subdantur casibus in religione reservatis.

RESP. Quòd sic; tum quia sunt pars ejusdem Ordinis, & subduntur Prælato regulari tanquam capiti, sicuti subduntur cæteri religiosi; tum quia moniales subiiciuntur omnibus constitutionibus, & ordinationibus factis à Prælatis regularibus, quando monialibus earum materia potest accomodari. Mirand. *q.5. art.3. de Monial.* Ergo etiam subiiciuntur casuum reservationi. Cesped. & Bordon. *conf. regul. ref.37. n.43.& 44.* ubi etiam advertit, & probat ex decreto Clementis VIII. & declaratione Sac. Congreg. 7. *Julii* 1617. quòd, sicuti Prælati regulares quoad religiosos non possunt sibi reservare casus, neque censuras nisi de consensu capituli, ita neque poterunt sine prædicto capituli consensu casum aliquem, aut censuram reservare quoad moniales subditas, quia sicuti istæ eodem modo ipsis subiiciuntur ac viri, ita eodem modo debent ligari.

QUÆR. V. An Prælatus regularis de bonis monialium sibi subditarum possit disponere in casibus aliàs permissis, etiam contradicentibus monialibus.

RESP. In contractibus gravioris momenti non posse; si enim Abbatissa, cui immediatè bonorum monasterii cura incumbit, indiget in his casibus proprii capituli consensu, à fortiori indigebit Prælatus regularis, cui minùs proximè præfatorum bonorum incumbit

bit administratio. Maximè quia hujusmodi consensus inductus est favore monasterii, atque adeò favore publico ; quando autem consensus respicit favorem publicum, requiritur pro forma actus, ut tradunt communiter scribentes in *l. si quis mihi §. jussum de acquir. hæred.*

QUÆR. VI. An Abbates habentes usum baldachini possint illud erigere in Ecclesiis monialium sibi subjectarum iis vicibus, quibus conceditur.

RESP. Quòd sic; nec possunt ab Episcopis impediri; ita Cesped. & Squillan. quos refert, & sequitur Pasqualig. *ubi supra nu.* 396. Quia declaratio Sacræ Congregationis habet, quòd possint uti in suis Ecclesiis propriis : Ecclesiæ autem monialium subjectarum sunt propriæ ipsorum, cùm ibi habeant jurisdictionem; unde non extenditur jus baldachini extra locum jurisdictionis.

§. IV.

De subjectione quoad canonicam Visitationem.

QUÆR. I. AN Prælati monialium teneantur eas visitare, & quando.

RESP. Teneri, & quidem singulis annis; patet ex *Clement. 2. Attendentes de stat. monac.* ubi statuitur, quòd monasteria monialium Papę immediatè subjectarum visitari debeant ab Ordinario loci Apostolica auctoritate; non exempta à proprio Ordinario, sed

sed propria potestate, exempta verò à propriis Prælatis regularibus. Hæc facultas competit per speciale mandatum etiam Vicario generali, nec non capitulo, Sede vacante, quia, ut superiùs diximus, in his, in quibus moniales subiici possunt, possunt pariter visitari.

QUÆR. II. Quid observare, quid cavere debeant Prelati in monialium visitatione.

RESP. Quàm maximè attendere debent, ut omnia paterna charitate fiant, suaviter curando ipsarum vulneribus mederi, & vitia omnia ab illis dulciter evelli, quod habetur *in cap. licet plerumque dist.* 5. Item debent de tempore visitationis præmonere moniales, ne eas imparatas invadant, nisi aliud suadeat necessitas, vel rationabilis causa. Jo: Andre. & Fusch. *de visit. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 4. Abstineant à juramento exigendo (nisi ex particularibus religionum statutis aliud servetur) *cap. Romana Ecclesia* §. *sanè de cens.* Advertunt tamen Spatharius, & Resta *in direct. Visitat.* quòd, ubi opus fuerit, poterunt moniales præcepto, & excommunicationis pæna ad aperiendam veritatem compelli. Crimina occulta nullatenùs interroganda, nisi de illis infamia aliqua, vel probabilis suspicio præcedat. Non prohibetur tamen de meritis, seu demeritis monialium, qui eligi possunt in Abbatissas, perquirere, etiam nulla præcedente infamia. Caveant insuper, ne ex his, quæ in hac generali inquisitione deferuntur, procedant ad pœnam, sed tantùm delinquentes moneant, ut corrigantur; terreant minis, ut cautiùs agant;

quia

quia in hoc casu Prælati non se habent tanquam judices ut puniant, sed tanquam Patres ut corrigant; & fructus visitationis est potiùs emendatio, quàm punitio, ut notatur *in cap. inquisitionibus de accus.* & ex Angelo notat Lezana *qq. regular. t.* 1. *cap.* 27. *n.* 3. Ingredientes ad visitandam clausuram non introducant sæculares extra necessitatem in monasteria, *cap. ut juxta de offic. ordin.* munera quantumvis minima nec ipsi, nec suorum quisquam recipiant, Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 3. à quibus abstinere etiam debent finita visitatione, dum à monasteriis visitatis discedunt, Genuens. *cap.* 35. *nu.* 5.

QUÆR. III. An moniales exemptę possint resistere ordinario loci volenti eas quoad clausuram visitare.

RESP. Non posse, ita ex communi praxi colligitur, & habetur ex decisione, quam ex Galletto adducit Barbosa *de offic. Episc. allegat.* 102. *num.* 7. Immò potest ordinarius non tantùm visitare moniales exĕptas quoad clausuram, quoties expedire judicaverit, sed etiam illas de spectantibus ad clausuram interrogare, Sac. Congreg. 25. *Februarii* 1583. Nec possunt ipsi regulares, quibus subsunt moniales, impedire, etiam si aliàs monasterium illud nunquam fuerit visitatum; eadem, Sac. Congreg. 24. *Novembris* 1617. Ita quòd monialibus, aut regularibus visitationi obstantibus potest Episcopus resistere frangendo fores monasterii, & vim vi repellendo, Fuscus *lib.* 2. *de visitat. cap.* 19. Immò tam moniales, quàm alii impedientes incidunt in excommunicationem latam *in d.*

Cle-

Clement. Attendentes. Ad eam tamen incurrendam requiritur præsumptio, cùm in textu adhibeatur verbum *præsumpserint*, & præcedere debet monitio ex vi dicti textus, ibi, *Nisi moniti resipiscant*. Nec sufficit, quòd dicta monitio fiat antequam apponatur impedimentum, sed debet ipsum subsequi, Bonac. *disp.2. de cens. particular. q. 2. p.4. n.* 4. monens *nu.* 2. requiri triplicem monitionem, vel unam pro triplici, quia hoc est de stylo juris canonici, nisi aliud necessitas suadeat. Et talis monitio fieri debet ab ipso monialium visitatore, qui impeditur, aut ab ejus superiore, quia debet esse juridica. Supradicta excommunicatio afficit etiam impedientes visitationem à Prelatis regularibus intentatam.

QUÆR. IV. An Episcopus possit visitare sæculares, seu regulares exercentes curam animarum personarum sæcularium in Ecclesiis monialium exemptarum.

RESP. Posse juxta decretum Concilii Trident. *sess.25. de regular. cap.* 11. & Gregorii XV. *constitut. de exemp. privil.* in iis enim, quæ ad curam spectant animarum, vel in dependentibus ab illa, subsunt Episcopo, ut docent Campanil. & Barbosa; unde si, dum Episcopus ingredi voluerit ob causam prædictę visitationis, renuant exempti, vel exemptæ moniales ostium claudendo, licebit illi ostiū infringere, Innocent. Abbas, Campanil. & Fuscus; & contra hujusmodi impedientes in actu illatæ violentiæ, nulla præmissa monitione, excommunicationem ferre, Genuen. Campanil.

QUÆR.

QUÆR. V. An moniales in actu visitationis de regulari observantia à Prælato interrogatæ teneantur sub mortali respondere.

RESP. Teneri ex Texeda relato à Diana *in opere coord. t.* 7. *tract.* 1. *res.* 302. Quia Prælatus in visitatione tenetur sub mortali culpa interrogare de constitutionum observantia, quia tenetur sub mortali promovere bonum commune, ad quod promovendum prædicta observantia est maximè necessaria. Tenebuntur igitur eodem modo etiam moniales veritatem Prælato interroganti aperire, quia ad ipsas quoque spectat bonum commune promovere, cùm tamquam partes teneantur bono totius cooperari.

Neque valet, quòd regulæ, & constitutionum transgressio est quid leve, quia ut plurimùm regula, & constitutiones vel ad nihil obligant, vel tantùm obligant ad veniale; quare moniales cęlando hujusmodi transgressiones Prælato, quamvis juridicè interroganti, non peccabunt mortaliter; mentiuntur enim in re levi. Respondeo, quòd licèt regulæ, & constitutionum transgressiones in se sumptæ leves sint, attamen si spectentur in ordine ad bonum commune, dicendæ sunt graves, quia gravitas culpæ non semper, & absolutè à gravitate, & nobilitate materiæ metienda est, sed etiam à gravi, & necessaria exigentia finis pensanda.

QUÆR. VI. In quibus casibus excusentur moniales à criminibus in visitatione generali denunciandis.

RESP. Excusari, quando peccatum est emendatum, quia delictum non quæritur nisi

ad

ad delinquentis emendam, qua intervenien-te cessat finis denunciationis. Ex quo sequi-tur non esse denuntianda delicta à multis an-nis commissa, quia ex lapsu multis tempo-ris, quale est spacium trium annorum ex Mascardo, præsumitur emendatio, nisi aliun-de constet de reincidentia. Item excusantur, si criminum notitia sit ex auditu à levibus personis, quia talis notitia nullam generat fidem. Neque tenentur cum proprio, vel personæ denunciandæ detrimento in casibus, in quibus lex naturalis excusat ab obedientia; neque si sciant sub secreto naturali, nisi delictum in publicam monasterii perniciem ver-geret; neque si ipsis constet, vel quòd Præ-latus nullum apponet remedium, quia nemo tenetur ad opus inutile, vel quòd alii, à quibus audierunt delictum, denunciave-rint, quia cessat finis denunciationis. Ne-que si delictum sit occultum, & nulla præ-cedat vel suspicio probabilis, vel infamia, quia sicut Prælatus non potest interrogare, neque moniales tenentur denunciare; nisi velint manifestare peccatum Prælato ut Pa-tri secretè, ad emendationem: semper ta-men præmittenda est correctio fraterna, si sit opportunitas, & spes emendæ, quia illa est de jure divino, Lezana *qq. regular. t.* 1. *cap.* 27. *nu.* 2.

§. V.

§. V.

De subjectione quoad pœnas.

QUÆR. I. AN Moniales subiiciantur pœnis jure communi latis contra regulares, seu religiosos ecclesiasticos.

RESP. Subjacere in materia ipsis monialibus proportionata, quia sub sexu masculino comprehenditur fœmininus, etiam in materia odiosa, & pœnali, ut aliis relatis probat Sanch. *in decal. lib.6. cap.16. num.89.* Quòd si moniales sint exemptę, subjacent etiam pœnis latis contra religiosos ordinis, sive pœnæ latæ sint jure pontificio, sive jure ordinis proprio, quia verè sunt subditæ, & membra illius. Non tamen subjacent pœnis latis ab ordinario, quia sunt extra sphæram ejusdem jurisdictionis, nisi dictas pœnas ferat tanquam sedis Appostolicæ delegatus, & ex speciali facultate ad hunc effectum commissa.

QUÆR. II. Quibus excommunicationibus, & quibus in casibus subjiciantur.

RESP. Subjiciuntur excommunicationi majori Pontifici reservatæ appellantes ad judices incompetentes, sive ad competentes in casu non permisso, *ex Bulla Clementis VIII. in ordine* 110. Apostatantes à religione, ex specialibus ordinum privilegiis, *ex Bulla Pii V. anno* 1563. Procurantes abortum *ex Constit. Sixti V.* sive abortum alterius procurent, sive etiam proprium, contra Avilam, Naldum, & alios. Inducentes aliquem ad promittendam electionem sepulturæ apud

ipsas,

ipsas, *ex Clement. cupientes de pœnis*. Petere, vel exigere quoquo modo præsumentes in novitiarum receptione, sive ante, sive post, prandia, seu cœnas, jocalia, aut alia, etiam ad usum pium deputata, vel deputanda, *ex extravag. sanè de Simon.* se invicem percutientes, *ex can. si quis suadente diabolo* 17. *qu.* 4. idque sive sint professæ, sive novitiæ, sive conversæ, & etiam si se ipsas injuriosè, & ex ira percutiant, secundùm aliquas, quod negant alii cum Navar. *cap.* 27. *nu.* 78.

Item subduntur excommunicationi majori, non tamen reservatæ, cogentes fœminam ad ingressum religionis, aut ab ipso retrahentes, *ex Concil. Trident. sess.* 25. *de regular. cap.* 18. Temerè habitum deponentes, *ex cap. ut periculosa ne cler. vel monach. in* 6. Violantes interdictum, aut cessationem à divinis, *ex Clement.* 1. *de sent. excom. in* 6. Indebitè sibi usurpantes decimas, earumve solutionem impedientes, *ex Clement.* 1. *de decimis*, oppositum sentit Bonacina *de censur. in part. disp.* 2. *q.* 8. *p.* 12. *nu.* 8. Post professionem matrimonium contrahentes, *ex Clement.* 1. *de consang. & affinit.* Recipientes novos conventus sine licentia Papæ, aut receptos alienantes, *ex cap. unic. de excess. prælat. in* 6. Indebitè alienantes bona monasterii prohibita alienari, *ex Bulla Pauli II. Ambitiosæ*. In electionibus non abstinentes ab iis, quæ gignere possunt discordias, *ex cap. indemnitatibus de elect. in* 6.

Item subduntur excommunicationi ferendæ vacantes negotiationi jure communi Ecclesiæ

cleſiaſticis prohibitæ, *ex cap. ſecundum ne cler. vel monac.* & inſuper amittunt privilegium immunitatis ab oneribus in ſe, & bonis propriis, exemptionem ſcilicet à tributis, & gabellis, *ex cap. fin. de vit. & hon. cler.* Quod tamen non habet locum niſi poſt trinam monitionem ex Sylveſtro, & ſolùm quandiu non deſiſtitur à negotiatione. Neque ſupradictis pœnis ſubjacent exercentes ſemel, aut iterùm negotiationem, parvitate materiæ excuſante; neque exercentes per alios, quia ceſſat periculum peccandi, quod eſt ratio prohibitionis, ex Tabiena, Armilla, & aliis penes Filliucium, qui ſentit oppoſitum, niſi paupertatis, aut neceſſitatis ratio excuſet.

QUÆR. III. An moniales ſubjaceant ſuſpenſionibus, & quando.

RESP. Subjacere, non quidem quibuſcunque, ſed illis tantùm, quæ juxta conditionem ſtatus, & ſexus poſſunt ipſis adaptari. Quare ſuſpenduntur ab officio ad arbitrium Ordinarii Abbatiſſæ, ipſum de profeſſione facienda à novitia non præmonentes, *ex Concil. Trid. d. ſeſſ. 25. c. 17.* Suſpenduntur pariter ab officio Præſidentes monaſterio concedentes bona conventus ad vitā dantis, aut recipientis, vel ad certū tempus, *ex Clement. 1. de reb. eccl. non alien.* Suſpenduntur ab omni actu capitulari recipientes aliquid ex pacto, & capitulariter pro profeſſione, *ex extrav. ſanè de Simon.* Item ſuſpenduntur à receptione religioſarum in eodem Ordine admittentes ad profeſſionem ānо probationis nondum expleto, *ex cap. non ſolùm de regul. in 6.*

QUÆR. IV. Quibus aliis pœnis subjaceant.

RESP. Subiici privationi vocis ad biennium, si contra Concilium Tridentinum delinquant circa paupertatem, *ex eod. Concil. d. sess. 25. cap. 2.* & si sint proprietariæ, privantur ecclesiastica sepultura, *ex cap. ad monasterium de statu monac.* & communione altaris, *ex cap. monachi eod. tit.* Subjacent privationi vocis & aliis pœnis, si dent expectativam loci primò vacaturi puellæ ad religionem recipiendæ, *Sac. Congreg. decreto relato* à Quaranta *in Bullar. par.* 462. Privantur officiis, & dignitatibus, si indebitè alienent *ex extravag. Ambitiosæ*. Puniuntur item pœna perpetui carceris, si post religiosam professionem permittant se violari, *ex cap. impudicas 27. q. 1.*

§. VI.

De subjectione quoad Confessarium.

QUÆR. I. A Quo monialium Confessarii eligi debeant, & approbari.

RESP. Nequaquam posse eligi ab Universitate, neque ab ipsis monialibus, sed electionem, & approbationem ad Episcopum spectare; Sacra Congreg. *in Lauretana 20. Septemb. 1602. in Tusculana 25. Octob. 1601.* Approbatio debet esse specialis pro monialibus, ita quòd generaliter approbati non possint vigore illius approbationis confessiones monialium audire, sed egent speciali appro-

ba-

batione; & approbatus ad audiendas confessiones monialium unius monasterii non potest audire confessiones monialium alterius monasterii, Sac. Congreg. apud Pignatel. *t.* 6. *conf.* 85. *nu.* 238.

QUÆR. II. A quo debeant eligi, & approbari Monialium exemptarum Confessarii.

RESP. Confessarios monialium exemptarum proponendos, & præsentandos esse à propriis Prælatis Episcopo, vel Ordinario, Tamburin. *de jur. Abbatiss. disp.* 16. *qu.* 3. *nu.* 3. approbandos verò esse ab eodem Episcopo, vel Ordinario, aliàs confessio est nulla *ex constitut. Gregorii XV. Inscrutabili, cum declarat. Sacræ Congregat. Concil.* Imò quòd neque Generalis possit confessiones monialium sui ordinis audire absque Episcopi speciali deputatione, censuit eadem Sac. Congreg. 13. *Novembr.* 1627. quæ pariter interrogata à nonnullis regularium superioribus, an stante dicta constitutione Gregorii XV. Prælatus regularis, cui monialium cura commissa est, possit aliquibus ex ipsis monialibus facultatem concedere ad plures annos, seu indeterminatè duraturam, confitendi Sacramentaliter peccata sua Sacerdoti, qui ordinarius, seu extraordinarius non sit totius monasterii? Item an stante d. constitutione quælibet monialium regularibus subjecta, sentiens se non gravatam mortali culpa, possit de venialibus validè confiteri cuicunque Sacerdoti, etiam non approbato ab Ordinario, & hoc absque licentia, immò & renuente superiore ejusdem mo-

nialis? respondit *Non posse in utroque casu, die 9. Junii 1657.*

QUÆR. III. Ad quot annos eligi debeant monialium Confessarii.

RESP. Ad triennium, quo elapso non possunt ampliùs audire confessiones in eodem monasterio per aliud triennium absque licentia Sacræ Congregationis, aliàs declarantur suspensi ab audiendis confessionibus, eadem Sac. Congreg. *in Comensi 4. Martii 1591. in Ragusina 2. Octob. 1626. & die 27. Martii 1647.* Quod habet locum etiam in confessario conservatorii puellarum, vel aliarum quarumcunque mulierum, eadem Sac. Congr. *18. Martii 1649.* Confessarii verò Dominicani, vel Cassinenses non possunt durare in hujusmodi officio audiendi confessiones monialium nisi per biennium ex eorum Constitutionibus, eadem Sac. Congr. *17. Novemb. 1645.* Si contingat, quòd quis deputetur in confessarium Ordinarium monialium ad aliquot menses per modum supplementi, is poterit in generali deputatione confessariorum, quæ posteà fiet, ab Ordinario eligi in confessarium ejusdem monasterii ad integrum triennium, quia prohibitio Sacræ Congregationis de non eligendo monialium confessarium ultra triennium, cùm sit odiosa, benignè, & in mitiorem partem est interpretanda, ita ut intelligatur de electione confessarii ordinaria, non autem de ea, quæ fit per modum supplementi.

QUÆR. IV. An, si expleto triennio confessarius ex dispensatione eligatur ad aliud triennium, possit rursus expleto secundo trien-

triennio absque alia dispensatione eligi ad tertium triennium.

Resp. Videri posse ex Diana, Naldo, Bordono, & aliis, quia interstitium vacationis intelligendum est via ordinaria, sicut jure ordinario præscriptum est; nam statuta, & leges non comprehendunt ea, quæ rarò contingunt, & per accidens, *l. nam ad ea ff. de legib.* Sicque privilegium in præsenti casu intercipiens vacationem non est spectandum, sed vacatio fingitur habere suum effectum. Oppositum nihilominùs sustinendum puto. Quia gratia, & privilegium concedit quidem id, quod aliàs confessarius non posset habere, nam ex prohibitione Sacræ Congregationis expleto triennio non potest ampliùs eligi in confessarium: at non alterat naturam rei concessæ; & ideò cùm munus confessarii, quando est expletum, requirat vacationem ab officio, dum conceditur pro tempore, in quo non posset conferri, censetur concessum absque alteratione suæ naturę,& ideò cum fuerit expletum, requiret, quòd subsequatur vacatio. Advertendum tamen, ordinarios in aliquibus locis sinere confessarios aliquorum monasteriorum durare ultra triennium, & quidem ad plures annos, necessitate id suadente, quia valdè difficile est, confessarios idoneos pro talibus monasteriis reperire.

Quær. V. An moniales possint recusare confessarium sibi ab Episcopo, vel Prælato regulari deputatum.

Resp. Posse, justa causa interveniente. Bordon. *in miscell. decis.* 166. Quia is com-

paratur Parocho, quem ex justa causa populus recusare potest, *arg. eorum, quæ dicuntur, cap. ut circa electiones 4. de elect. in 6.* Causæ legitimæ repellendi esse possunt, si sint expertæ, confessarium esse nimis rigidum, pervertisse moniales, quibus ingerit diversos scrupulos, si non sinat eas confiteri suo modo, sed præcipiat, ut paucis, & præcipitanter se expediant, si sit inimicus consanguineorum aliquarum monialium &c.

QUÆR. VI. Quinam prohibeantur eligi in confessarios monialium ordinarios,

RESP. Prohiberi Vicarium generalem, quia moniales de ipso non confiderent, sac. Congreg. *in Sorana* 23. *Julii* 1587. Neque Curatum, si exinde cura notabiliter pateretur, eadem Sac. Congreg. *in Venetiarum* 26. *Julii* 1594. *& in Parmensi* 7. *Maii* 1652. Neque Minores Conventuales, quia id prohibitum fuit à Pio V. eadem Sac. Congregat. *in Ortonensi* 30. *Junii* 1599. Neque Observantes Provinciæ reformatæ S. Antonii Lusitaniæ, quibus prohibitum fuit à Sac. Congreg. *die* 7. *Novemb.* 1653. & generaliter Regulares non solùm non possunt esse confessarii ordinarii, sed neque capellani monialium Ordinario subjectarum. Sac. Congr. *in Pistorienſi* 16. *Maii* 1653.

QUÆR. VII. An Canonicus Pœnitentiarius possit eligi in ordinarium confessorem.

RESP. Regulariter loquendo non posse. Quia, licèt remittatur arbitrio Episcopi, quo tempore interesse debeat fidelium confessionibus excipiendis, ut tradit Ugolin. *de off.*

off. Epiſc. cap. 33. *nu.* 6. cum aliis; attamen controverti non poteſt, quòd audiendo monialium confeſſiones diebus feſtis ſolemnioribus, admodùm difficile, & forſan impoſſibile eſt, poſſe eodem tempore confeſſiones audire in Eccleſia Cathedrali, dum ad illam multitudo confluit hora miſſarum, & divini officii, ſicut ex ſuo munere tenetur, ut per Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 4. *nu.* 122. ubi refert declarationem Sac. Congreg. Concil. Dixi regulariter loquendo non poſſe eligi, ſecus autem ſi Epiſcopus aliter judicaverit. Nam re vera Canonicus Pœnitentiarius nullam habet prohibitionem à jure ſubeundi munus confeſſarii monialium; & propterea id ſolùm conſiderandum eſt, an valeat utrique muneri ſatisfacere.

QUÆR. VIII. Ex quo loco debeant confeſſarii monialium audire confeſſiones.

RESP. Ex ſede confeſſionali collocata non quidem in Sacriſtia, aut alio ſimili loco, ſed in ipſa Eccleſia exteriori; habetur ex declaratione Sac. Congregat. 7. *Martii* 1617. his verbis: Confeſſionalia monialium è Sacriſtiis, & locis occultis amoveantur, ac in exterioribus Eccleſiis collocentur. Ex neceſſitate tamen licitum erit audire confeſſiones etiam ex alio loco, ita tamen diſpoſito, ut mutuus confeſſarii, & Monialis vitetur aſpectus.

QUÆR. IX. Quale ſtipendium tradi debeat confeſſariis monialium.

RESP. Confeſſario ordinario non eſſe ſubminiſtrandum victum dietim, nec utenſilia, vel lineam ſupellectilem, ſed tantummodò

annuam provisionem, Sac. Congreg. *in Bonon.* 19. *Junii* 1601. *in Ravenaten.* 19. *April.* 1624. Quæ non excedat duos julios pro quolibet die, eadem Sac. Congreg. *in Neapolitana* 27. *Septemb.* 1652. Quæ merces non solvitur ex capitalibus, sed ex fructibus, *in Narnien.* 27. *Septemb.* 1652. Nec pro ea sequestrandi fructus omnes, sed accipienda paulatim, in Assisien. 6. *Septemb.* 1652. Ultra prędictum stipendium nihil aliud subministretur, eadem Sac. Congreg. 29. *Novemb.* 1615. Hoc tamen decretum non videtur esse in usu, quia praxis est in contrarium. Unde Scortia, & Diana *in opere coord. t.* 7. *tract.* 3. *res.* 50. asserunt, quòd si confessarius serviat cum magna charitate, patientia, & assiduitate, potest illi Abbatissa aliquid ultra taxatum stipendium subministrare, quia hoc non est propriè donum, sed beneficii remuneratio, & laboris compensatio.

§. VII.

De Officio Confessarii Monialium.

QUÆR. I. QUomodo se gerere debeat monialium Confessarius in confessionibus excipiendis.

RESP. Omissis, quæ de hac materia tradunt Polaccus, & Tamburinus *de jur. Abbatis. disp.* 16. *q.* 9. quia apud ipsos videri possunt; Curabit confessarius, ut in suo munere patientiæ, charitatis, mansuetudinis, & humilitatis exempla adhibeat. Nugas, inepta, & importuna vitabit. Omnibus idem erit, nullo

lo habito discrimine, nisi aliqua majori indigeat auxilio. Dum monialis narrat superflua, aut suas querelas, aut negotia domestica, confessarius peritè sermonem divertat. Quando aliquid grave, & reprehensione dignum occurrit, monialem non statim arguat, nec signum præbeat admirationis, antequam confessio compleatur, ne monialis turbata, aut territa, reliqua peccata vel præ rubore, vel præ confessione sileat. Si monialis absque necessitate attingat aliarum graviora crimina, discretè illam moneat, ut sileat, & sua tantùm peccata exponat. Si interroganda sit in materia luxuriæ, utendum verbis honestis, ac pudicis, paulatim à cogitationibus ad verba, à verbis ad actus progrediendo; ne monialis ex confessario ea peccata discat, quæ ante ignorabat.

QUÆR. II. Quomodo se gerere debeat confessarius cum moniali, quę pridie alicujus magni diei festi, in quo omnes aliæ solent communicare, accedit ad confessarium onusta maximis delictis, quæ ad eundem ferè diem se perpetrasse confitetur; & nisi communicet, nullam justi impedimenti excusationem prætendere valens, manifestam honoris jacturam incurret. Et econtra confessarius valdè ambigit, an illam tunc absolvere possit, cùm probabiliter existimet, illam facilè, ac illicò peracta communione, in eadem delicta esse relapsuram, etiam si firmiter proponat, ac spondeat se non ampliùs peccare, de quo tamen etiam ipsa dubitat, attenta consuetudine, & occasione proxima.

RESP. Si concurrant aliqua requisita;

scilicet vera pœnitudo præteritorum, verum propositum non peccandi, cùm se invenerit in occasione, & aliqua rationabilis causa non se separandi ab ea, potest illam absolvere, etiam tertia, & quarta vice, juxta illud *Non septies tantùm, sed & septuagies septies.* Navar. *in Manu. cap.* 3. *nu.* 15. Sed si vicibus prædictis nulla emendatio, neque inchoatio ejus existat; & ex concurrentibus circumstantiis nulla speretur correctio, non est absolvenda. Ita Navar. *ubi supra*, Naldus *Annotat. practic. Jur. Pontif. pag.* 82. Extra occasionem proximam, loquendo de sola consuetudine peccandi inveterata, neque est absolvenda, non præcedentibus signis veræ pœnitentiæ, & emendationis vitæ, quia Sacramentum Pœnitentiæ esset ejusmodi Moniali non remedium, & salus, sed mors, & perditio.

QUÆR. III. An Confessarius possit absolvere monialem pertinaciter existentem in occasione proxima peccandi, si ex concurrentibus circumstantiis coniiciat, illam quoad hoc esse in bona fide, quia invincibiliter credit, permanentiam in dicta occasione non esse peccaminosam, & aliàs idem confessarius moraliter certus sit, præfatam monialem ex propria fragilitate non recessuram à dicta occasione, si id ei præcipiat, sicque se nullum emendationis fructum consecuturam ex tali admonitione, immò potiùs ei injecturum laqueum novi peccati.

RESP. Dubium hoc movet Pellizar. *de Monial. cap.* 10. *sect.* 3. *nu.* 191. ubi affirmativè concludit, motus doctrina Theologorum

sustinentium, quòd si confessarius inveniat suum pœnitentem laborare ignorantia invincibili sive facti, sive juris tàm humani, quàm divini, aut naturalis, & alioquin prævideat, ignorantiam ablatam redundare debere in novum peccatum ipsius pœnitentis, qui prosequetur facere cum peccato id, quod antea licitè faciebat, debet dissimulare, dummodò non interrogetur, non autem auferre ei præfatam ignorantiam. Ego verò absolutè censeo, dictam monialem non esse absolvendam, quia non potest prudenter præsumi propositum efficax non peccandi cum volitione libera, & pertinaci manendi in occasione proxima peccandi; quia eo ipso quòd aliquis vult esse, vult etiam id, quod consequitur ad esse; atque adeo monialis, quæ liberè vult occasionẽ proximam peccandi, vult etiam peccatum, quod consequitur ad occasionem. Licèt enim permanentia in occasione, utpotè conjuncta cum bona fide, & invincibili ignorantia obligationis deserendi occasionem, desinat esse in se formaliter culpabilis, non tamen desinit esse liberè volita, & per consequens non potest conjungi cum proposito non peccandi. Undè optimè ait Dicastil. *de Pœnit. disp. 6. dub. 16. num. 336.* quòd vix crederet alicui quantumvis affirmanti propositum, & magnum dolorem, si simul cum possit, nolit à tanto periculo se liberare, nec dignus est cui credatur. Et ita censent plerique docentes, eum, qui vult manere in periculo morali labendi, non censeri habere verum propositum.

QUÆR. IV. Quomodò se gerere debeat

confessarius, qui reperit monialem in præteritis confessionibus coram ipso factis invalidè fuisse confessam.

Resp. Sive confessiones fuerint invalidæ ex defectu doloris, sive examinis, sive quia aliquod peccatum sacrilegè tacitum est, semper debet confessarius admonere monialem, ut eas confessiones repetat saltem in genere, ita quòd aliquam peccatorum cognitionem habere possit; cùm enim confessarius sit judex, qui pœnam injungere debet pro peccatis invalidarum confessionum & judicium ferre de illis in hac posteriori confessione, quia illæ priores fuerunt nullæ, debet habere illarum notitiam saltem confusam, ut rectum judicium formare possit. Ita Paludan. Divus Antonin. & alii, quos citat Faustus *de Sac. Pœnit. t.* 1. *lib.* 4. *qu.* 22. Quòd si confessarius notitiam aliquam habeat in confuso, sufficit, quòd monialis dicat, accuso me de peccatis in illis prioribus confessionibus recensitis; supplendo defectum contritionis, v. g. vel accusando se de peccato voluntariè omisso. Ratio est, quia jam confessor hoc modo resumere potest distinctam cognitionem status pœnitentis, & ex vi hujus distinctæ cognitionis jam factæ sacramentalis, absolvere.

Non desinam adnotare, quòd Diana *par.* 4. *tract.* 14. *res.* 51. probabilem putat sententiam Granadi asserentis, satis esse, monialem in tali casu se accusare generatim de peccatis eidem confessario aliàs confessis, & de sacrilegiis commissis in confessionibus invalidis, & tunc confessarium validè, & licitè.

tè illam absolvere posse, quamvis nec confusam notitiam habeat, nec pœnitentiæ recordetur. Ratio est, quia nulla ratio nos cogit ad imponendum tam grave onus moniali in materia adeò difficili, qualis est ad confessionem accessus, qui, quantùm fieri potest, facilis reddi debet. Patet assumptum, quia illa repetitio in specie non requiritur ad hoc, ut verum sit, monialem omnia peccata confessam esse; nam supponitur jam confessa in præteritis confessionibus, ex quibus, quamvis invalidis, confessarius habuit illorum notitiam. Neque requiritur, ut confessarius pœnitentiam proportionatam injungat, quia pœnitentia non est cum tanto rigore proportionanda peccatis, ut non possit rationabiliter minui, ut certè suadet ratio in hoc casu, ne confessio reddatur tam onerosa; maximè quia pœnitentiæ improportio per consecutionem alicujus Indulgentię plenarię suppleri potest. An hæc sententia sit tuta, videant alii.

Quær. V. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum moniali, quæ aliam contumeliis affecit.

Resp. Examinet dignitatem personæ convinciantis, & conviciatæ, imò & qualitatem contumeliæ. Quia licèt contumelia ex suo genere peccatum mortale sit, eo quòd honorem intendit deprimere, nihilominus ex circumstantiis potest esse tantùm veniale; & sic tale erit quandoq; ex levitate materiæ se tenentis ex parte honoris, si non intendat nisi parum inhonorare, & modicum credit, aliam contristandam; aliquãdo ex parte intentionis, ut si ex nimia loquacitate, aut ira prorumpit

in

in verbum contumelioſum, non ex intentione, & conſenſu dehonorandi; aliquando ex dignitate perſonæ convinciantis; ſi enim Abbatiſſa appellet monialem obſtinatam, duram, torvam &c. non multùm illam lædit; non enim intendit illam dehonorare, ſed carpere.

E contrà levis contumelia poteſt fieri gravis ratione perſonæ offenſæ, ut ſi tendat ad inhonorandam Abbatiſſam, vel alium Superiorem; & in tali caſu induit etiam novam malitiæ ſpeciem contrà virtutem obſervantiæ Superioribus debitæ. Ad inducendam tamen novam ſpeciem requiritur non quæcunque gravis culpa, ſed illa quæ fit contra Superiorem, ut Superior eſt. Tamburin. *Method. Confeſ. lib.2. cap.6. §. 2. nu.* 11.

His prudenter examinatis, Confeſſarius obligabit monialem ad reparandum honorem per contumelias ablatum, quod ex Doctoribus poteſt pluribus modis præſtari; nempè per reverentiæ exhibitionem, extraordinariæ benevolentiæ oſtenſionem, honorabilem ſalutationem, vel per veniæ petitionem; hic tamen modus neceſſarius non eſt, niſi quando aliter non poteſt fieri compenſatio; ita Ledeſma, Cajet. Leſ. Bonac. & alii; qui omnes aſſerunt non eſſe obligandam Abbatiſſam, quæ contumeliis ſubditas affecit, ad veniam illis petendam; idem dicendum de magiſtra reſpectu diſcipularum, & de monialibus velatis reſpectu converſarum; quia alio modo ex ſupra enumeratis arbitrio prudentis Confeſſarii poſſunt ſuæ ſatisfacere obligationi.

Po-

Potest tamen contingere, quòd moniales excusentur ab honoris læsi, vel etiam famæ reparatione; ut, si duæ se invicem conviciis affecerunt, vel infamarunt: quia quando jura sunt æqualia, censetur utraque pars satisfacta, & tacitè se invicem compensasse. Les. Sylvest. & Malder. apud Dian. *par.* 3. *tr.* 5. *resol.* 30. Altera tamen restituente, tenetur altera restituere, &, si infamiæ fuerunt inæquales notabiliter, excessus debet ab altera eo meliori modo, quo potest, compensari.

QUÆR. VI. An Confessarius possit absolvere monialem, quæ injuriam passa ab alia consorore illam recusat salutare, dum omnes sibi occurrentes salutat.

RESP. Negant ferè omnes Doctores, quia talis omissio est lethaliter peccaminosa, cum salutatio sit signum aliquod commune charitatis, quod tuta conscientia negari non potest. Ita Sylvest. *in sum. v. Charitas qu.* 6. Filluc. Azor. & alii, qui à fortiori tradunt, teneri in conscientia adversariam resalutare, si ab hac in salutatione præveniatur. Nam non resalutando adversariam, præbet occasionem existimandi, velle illam contemnere, ac gravi injuria afficere, præcipuè spectata circumstantia temporis, loci, ac personarum; adeoque mortaliter peccat, cum ex hoc regulariter sequi soleat grave scandalum.

Oppositum sustinent Lorca, Valer. & alii relati à Diana *in oper. coord. t.* 7. *tract.* 5. *res.* 31. Quia omissis salutationis, aut resalutationis, etiam debitæ titulo honoris per se, seclu-

cluso odio, & contemptu formali, non est regulariter peccatum mortale, cum opponatur affabilitati, quæ non est tantæ obligationis, nisi fortè ex circumstantia personę,& aliis cederet in magnam injuriam, vel propter scandalum; quod tamen rarò fit, quia non tam de facili suspicãdum est inter personas religiosas odia foveri. Tum quia talis omissio fieri potest non in odiũ, sed in significationẽ proprii gravaminis,& injuriæ, quod non est lethale.

Poterit igitur Confessarius impendere absolutionem moniali salutationem, aut resalutationem exhibere recusanti, dũmodo agnoscat, nullam ex tali omissione foveri causam odii ex parte offensæ, nullamque præberi occasionem inflãmationis odii ex parte adversariæ, & cessare præterea in consororibus rationem scandali; Reginal. *in praxi l.17.n.125.* Ubi etiam notat, posse Abbatissam in pœnã monialis delinquentis, & in exemplum aliarum, illam non alloqui quantum temporis juxta concurrentes circumstantias videtur expedire. Non tamen per hoc potest hujusmodi pœnam quantum voluerit extendere; & si ex nimia austeritate nimio temporis spatio alloqui nolet, non esset absolvenda, quia cum aliarũ scandalo præberet motivum sũspicandi, odium, rancoresque fovere.

QUÆR. VII. Quomodo se gerere debeat Cõfessarius cum moniali, quam deprehẽdit scripsisse superioribus contra aliquẽ litteras cęcas.

RESP. Interroget monialem contra quẽ litteras scripserit, quia si fuerint scriptæ contra Abbatissam, nova inducitur species malitiæ contra virtutem observantiæ, ut diximus supra.

pra. Item an illas malo animo scripserit;& dicitur malus animus, quando directè animo infamandi fecit, vel quando advertit id,quod scribit, tẽdere in alterius infamiam, & nihilominus non desistit. Sot.*l.3.de just.& jur.q.*10. *ar.*2.Rursum an vera scripserit,an falsa;& hoc ratione reservationis, quæ hujusmodi litterarũ scriptioni in aliquibus diœcesibus solet esse annexa, quando continent falsa crimina.

Licèt monialis prædicta graviter peccaverit, non videtur tamen ad restitutionẽ famæ obliganda. Quia tam ex Doctorũ sententia, quàm ex jure civili,& canonico *in c.Inquisit. §.Ad hæc accus.*nec nõ ex stylo Romanæ Curiæ,de quo testatur Peyrin. *Formul. Præl. lit. P. cap.16.n.* 19. nulla fides talibus litteris est adhibẽda. Cum igitur litterę hujusmodi tales sint, ut nullo modo reputentur idoneæ fidem facere, nullus omninò cõsurgit ex his effectus infamiæ,ut habetur expressè *in l. unica in fin. C. de lib.fam.c.fin. in fin.* 5.*q.*1. ubi Geminianus asserit tales litteras nullam lædere opinionem eorum, contra quos fiunt. Si ergo nulla oritur infamia,nulla quoque oritur restituendæ famæ obligatio, ut de infamatore nullius fidei communiter fatentur Doctores.

Et hoc verum est, etiam si monialis malo animo eas scripserit, quia restitutionis obligatio oritur ex facto,non ex nocendi intẽtione; sicut fur non tenetur ad restitutionẽ,quãtũcũque conetur ad furtũ,nisi de facto sequatur. Quòd si fortasse superior fidẽ aliquã adhibuerit, adhuc monialis à restitutione videtur libera, quia causa infamiæ non fuit littera cæca,sed imprudens Superioris credulitas, &

in-

injusta. Les. & Tambur. in decal. *l. 9. c. 3. §. 2. n. 5.* & quidem quænam major imprudentia, & injustitia, quàm fidem utcunq; minimam præstare talium litterarum scriptoribus, qui infames reputantur, & intestabiles? per *tex.* & *glos. in cap. 1. 5. q. 1.*

At non possum dictam monialem à famę restitutione excusare, si Superior fidem adhibuit litteræ cæcæ. Licèt enim læsio ortum habuerit à superioris credulitate, non per hoc tollitur, quòd littera cæca non dederit causam hujusmodi imprudentiæ, atque adeo lęsionis famæ ex ipsa sequutæ; quidquid enim est causa causæ, est causa causati, *l. manumissiones ff. de just. & jur.* Maximè quia talis læsio fuit directè, & ex proposito intenta, cum ad hunc finem ordinata fuerit littera cæca. Tenetur ergo restituere, quod præstare debet, scribendo aliam litteram prioris retractativam, Ita ex Sylvest. Graffius de casib. reser. *lib. 1. cap. 19. nu. 30.* & quidem eodem charactere conscriptam, ut Superior ex characteris identitate possit se certificare, quòd idem fuerit detractor, & retractator detractionis.

Quær. VIII. Quomodo se gerere debeat confessarius, qui ex aliarum monialium confessionibus novit, aliquam monialem tale crimen perpetrasse, ipsa autem interrogata negat; habenda ne erit fides aliis, vel moniali pœnitenti.

Resp. Habendam esse fidem moniali, quia in hoc judicio creditur pœnitenti pro se, & contra se. Quòd si aliunde constaret evidenter confessario, talem monialem delictum com-

commisisse, neque alieno confessam esse, tunc non debet absolvere, quia clarè ipsi constat, non esse ritè dispositam. Sed quia rarissimè contingere potest, quòd adsit hujusmodi indispositionis evidentia, nam contingere potest, quòd monialis habeat tacendi causam rationabilem, ad evitandum, v.g. suum, vel alterius damnum, vel habeat opinionem aliquam probabilem pro se, suaque actione, ideò regulariter absolvenda. Megala 1. *p. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 12.

QUÆR. IX. An monialis, quæ proprio confessario confiteri non potest, sine salutis, vel famæ periculo, si petat licentiam confitendi cum alio Sacerdote, & injustè denegetur, possit hoc non obstante validè, & licitè confiteri.

RESP. Affirmativam sententiam tradunt Paludan. & sex alii, quos refert Diana *in opere coord. t.* 1. *tract.* 3. *res.* 39. *nu.* 2. Quia licentia jure petita, & injustè denegata videtur jure concessa, & defectum Episcopi negantis suppleri ipso jure, aut ex præsumpta Summi Pontificis voluntate. Sed hæc sententia omninò est repellenda, quia remanet damnata in propositione tertiadecima in ordine inter proscriptas ab Alexandro VII. & clarè desumitur *ex cap. omnis utriusque sexus* ubi habetur, quòd, si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam priùs postulet & *obtineat*, cùm aliter illum non possit absolvere. Et ita tenet Layman. *in Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 13. *nu.* 3. ubi citat Alensem, Sotum, & alios. Ut autem licentia injustè negata habeatur

pro

pro concessa, necessarium est, quòd supponat facultatem seu potentiam ad actum faciendum, & quòd pro executione tantùm requiratur licentia; at quando licentia non supponit facultatem, sed tribuit, si negetur, non habetur pro concessa. Pignatel. *t.6. consult.98. n.41.* In præsenti autem casu non supponitur facultas absolvendi, cùm hæc dependeat à conditione approbationis Episcopi. Monialis igitur in hac circumstantia potest se gerere, ac si non haberet copiam confessarii, quare vel se conterat, & communicet, ut notat Villalob. relatus à Diana *ubi supra*, vel confiteatur aliqua leviora peccata, ita ut directè absolvatur ab illis, indirectè verò à cæteris, semper tamen cùm onere subdendi clavibus nondum directè absoluta, data opportunitate, ut volunt alii apud Tamburinum.

QUÆR. X. An monialium confessarius possit illis injungere sub pœnitentia opera aliàs debita ex regula.

RESP. Posse, ita Turrian. Suar. Vasq. & alii relati à Diana, quia illud opus ut impositum à confessario elevatur, ut sit satisfactio. Immò expedit aliquando opus aliquod debitum ex regula monialibus injungere, ut majorem diligentiam in tali opere exequendo teneantur adhibere.

QUÆR. XI. An abstinentiam à communione possit confessarius sub pœnitentia monialibus injungere.

RESP. Cum Serio, Leandro, Lugo, & Diana contra Baucium, & Sancium, posse injungere, quia Eucharistiæ privatio est delicti

licti punitiva, unde à jure canonico quibusdam in casibus in pœnam prohibetur communio, ut videre est *in cap.Latorem,cap.admonere* 33. *q.2. & aliis*.

QUÆR. XII. Quam communionis frequentiam possint, & debeant confessarii suis monialibus indulgere.

RESP. Bis, vel ter in hebdomada, & etiam frequentiùs juxta devotionis mensuram. Favet Concilium Trident. *sess.* 22. *de sacrif. Missæ cap.*6. Consonat textus *in cap. quotidie de consecrat.dist.*1.*& cap. non iste,de consecrat. dist.*2.Hortantur Sancti Patres videndi apud Nogueiram *disp.*1. *de Sacram. qu.*4. Et suadet ratio. Nam laici curis sæcularibus implicati possunt octavo quoque die ad communionem admitti ex communi Theologorum apud Dianam *t.* 2. *in opere coord. tract.* 2.*res.*37.Ergo monialibus à mundo sejunctis, & Deo sacris poterit frequentiùs, & sic bis, vel ter in hebdomada Eucharistia indulgeri. Si enim Sacræ Virgines ratione sui status tenentur tendere in ultimum finem specialiori modo, indigent pariter frequentiùs quàm laici hujus cibi spiritualis auxilio, quia per ipsum nutrita anima augmento gratiæ magis in suum finem elevatur; sicut enim gratia est promotio, & elevatio in finem supernaturalem, ita gratiæ augmentum est major promotio, & elevatio.

§. VIII.

§. XIII.

De Confessario quoad absolutionem à reservatis.

QUÆR. I. AN Monialium confessarius possit eas, utpotè perpetuò impeditas, à casibus Papæ reservatis absolvere.

RESP. Affirmativam sententiam tradi ab Henriquez, Soto, & aliis relatis, & approbatis à Pasqualig. *in Lauret. num.* 1468. & in terminis de monialibus Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *nu.* 15. Quia in jure impedimentum perpetuum, & articulus mortis æquiparantur, textus est *in cap. ea nos de sent. excom. in* 6. & tradunt Dicastil. Bertrand. Loth. & alii. Negativæ tamen sententiæ adhæreo cum Ugolino, Vasq. Bonacina, & Duardo. Quia in decreto Clementis VIII. *de casib. reserv.* expresè statuitur, quòd Sacerdotes inferiores non possint absolvere, *Nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in articulo mortis*. Et Doctores pro affirmativa adducti contendunt, Decretum Clementis procedere de absolutione absoluta, qua tollitur omnis obligatio, quæ consurgit ex reservatione; non autem de sola absolutione à peccato, relicta obligatione comparendi: nihilominus quia verba Decreti sunt clara, & absoluta, non est recedendum à sententia negativa.

QUÆR. II. A quo in prædictis casibus debeat

beat confessarius impetrare facultatem absolvendi Moniales.

Resp. Communiter Doctores, quorum triginta enumerat Verricel. *de Missione.tract. 9. qu.*146. affirmant, absolutè posse impeditos, atque adeò moniales, à casibus Pontifici reservatis absolvi per Episcopum; etiam si Episcopus sit tantùm electus, & confirmatus, quamvis non consecratus, neque Sacerdos. Diana *p. 7. tract. 2. res.* 1. Rasle-rus *de pœnit. cap.7. num.* 22. quia Episcopus non consecratus, neque Sacerdos dicitur verus Episcopus, quoad omnia, quæ pertinent ad potestatem jurisdictionis. Et hoc potest præstare, licèt adsit Nuntius, vel aliàs pollens facultate absolvendi, quia existente impedimento recurrendi ad Pontif. restituitur Episcopo ordinaria potestas, quæ ex Sanch. *in decal. lib. 2. cap.* 11. *nu.* 4. transit etiam in Capitulum Sede vacante, quia hæc competit Episcopis ex generali facultate à jure ipsis concessa, ut colligitur *ex cap. ea nos, cap. quod de his de sent. excom. in 6.* & tradunt communiter Doctores.

Quær. III. An moniales ratione perpetui impedimenti possint etiam à casibus Bullæ cœnæ per Episcopum absolvi.

Resp. Posse. Non quidem ex vi Tridentini *sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. cùm tali privilegio per dictam Bullam sit derogatum, sed ex facultate Episcopis competente ex vi juris communis per textus supra citatos, qui à pluribus Doctoribus, teste Gobat. *t.* 1. *tract. 7. nu.* 385. extenduntur etiam ad casus contentos in Bulla cœnæ, quia jura ob identitatem

tem rationis, præſertim quando continent favorem, trahuntur ad caſus ſimiles, in quibus militat eadem ratio, *cap. cum dilecta*, ubi Abbas, & Decius, *de confirmat. util. vel inutil.* Neque repugnat, quòd facultas una via negata, altera concedatur, quando oritur à diverſa cauſa, ut in caſu noſtro; nam facultas conceſſa per jus commune ratione perpetui impedimenti oritur à neceſſitate, ne quis perpetuò in excommunicatione permaneat, & contingat inabſolutum decedere. Facultas verò conceſſa per Tridentinum non datur ex neceſſitate, ſed ex privilegio dignitatis Epiſcopalis; vel quia delictum mitiori pœna cenſetur dignum.

QUÆR. IV. An Epiſcopus in vim ſupradictæ facultatis poſſit abſolvere moniales etiam ab hæreſi occulta.

RESP. Abſolutè non poſſe, contra Mallett. Pellicion. & Verricel. & hoc propter hæreſis gravitatem, & rigoroſam ipſius reſervationem. Unde non venit in generali conceſſione abſolvendi omnes caſus contentos in Bulla cœnæ, quia eſt ſpeciali nota digna, ut docent viginti Doctores relati à Diana *t. 9. in opere coord. tract. 7. reſ.* 158. & tollitur omnis dubitatio per declarationes Gregorii XIII. Clementis VIII. & Urbani VIII. ac Innocentii X. qui omnes declaraverunt, in Jubilæis, conceſſa facultate in omnes caſus Bullæ cœnæ, non cenſeri comprehenſam facultatem abſolvendi à crimine hæreſis, niſi expreſsè, & ſpecificè declaretur.

QUÆR. V. An moniales regularibus ſubjectæ

ctæ possint per suos Prælatos absolvi à casibus occultis contentis in Bulla cœnæ.

Resp. Negativè cum Sigismundo à Bononia, Tamburino, Naldo, & aliis relatis à Diana *t.7.tract.1.res.299.*contra Suarez,Rodriq. Peyrin. Pontel. Vega. & alios. Ratio est, quia fundamentum sententiæ affirmativæ innititur privilegio Pii V. tribuenti Prioribus Dominicanis, ac proinde omnium religiosorum Prælatis erga suos subditos in foro conscientiæ tantùm, & per se ipsos omnem facultatem absolvendi, & dispensandi, quam habent Episcopi vigore Tridentini; Cùm ergo Episcopi, ut vidimus supra, nullam habeant facultatem in casibus Bullæ cœnæ erga suos subditos, nullam pariter habebunt Prælati regulares in prædictis casibus erga suos. Quod modò tanquam indubitatum tenet Diana *par.8. tract.7. res.* 50. stante Decreto Sac. Congreg. *sub die* 17. *Novembris* 1628. Urbano VIII. approbante, in quo revocantur in ampla forma omnium regularium privilegia absolvendi à casibus Bullæ cœnæ. Et licèt contendat Bordonus ex Peyrino decretum loqui tantùm de regularibus in ordine ad pœnitentes sæculares, hoc tamen est falsum, attenta generalitate verborum ipsius decreti, quod ita habet: *Nec intra, nec extra Italiam &c. posse quemquam absolvere ab iisdem casibus Bullæ cœnæ*. Virtus enim dictionis *quemquam* est universalis omnia comprehendens, etiam quæ aliàs non venirent, Aymo *in cons.* 294. *num.* 1. & ideo in præsenti casu facit,

ut comprehendantur sub prohibitione etiam subditi religiosi. Quare facultas absolvendi moniales ab aliquo ex dictis criminibus, erit impetranda vel à Sacra Pœnitentiaria, ut vult Thesaurus *de pœnis p.* 1. *cap.* 24. *ampliat.* 3. vel à Legato, aut ab Episcopo, ut tradunt Sanchez & alii apud Dianam.

QUÆR. VI. An Moniales fruantur aliquo privilegio quoad absolutionem à reservatis Papæ.

RESP. Si moniales subsint immediatè jurisdictioni Prælatorum regularium Ordinis, tunc possunt absolvi ab omnibus iis reservatis, à quibus possunt viri religiosi ejusdem Ordinis vigore suorum privilegiorum. Quare poterunt præcipuè absolvi à quinque casibus specialiter reservatis à Clemente VIII. in decreto edito 9. *Januarii* 1601. si vera est declaratio illa Sac. Congreg. quam admittunt Bordon. Vecchius, & Naldus *in Sum. v. reservatio*, scilicet, quòd per supradictum decretum adimatur facultas regularibus respectu sæcularium pœnitentium tantùm, non regularium, in quinque casibus supradictis. Si verò subsint immediatè Ordinario, & immediatè confiteantur apud Sacerdotes non regulares, inspiciendum est, an concessio privilegiativa sit facta regularibus tanquam pœnitentibus vel tanquam confessariis; si primo modo, possunt absolvi à quocunque ad earum confessiones deputato, secùs autem si secundo modo. Nullatenus tamen moniales, sive exemptæ sint, sive non, uti possunt quoad absolutionem à reservatis privilegio Bullæ Cruciatæ, ut constat ex variis

sum-

ſummorum Pontificum declarationibus adductis à Paſqualig. *in Lauret. n.* 1456. & præcipuè ex motu proprio Urbani VIII. *die* 19. *Julii* 1630.

QUÆR. VII. An moniales, utpote impeditæ adire Epiſcopum, poſſint per proprios confeſſarios abſolvi à caſibus Epiſcopo reſervatis, non impetrata ad id peculiari facultate.

RESP. Affirmant plures, & quidem graves Doctores, quos refert, & ſequitur Paſqual. *ubi ſupra n.* 1466. & tanquam probabile admittunt Dicaſtil, & Diana. Quia ſi ratione impedimenti adeundi Pontificem pro abſolutione, deſcendit facultas abſolvendi in inferiores, ſcilicet in Epiſcopos; ratione pariter impedimenti adeundi Epiſcopum pro abſolutione deſcendet facultas abſolvendi à reſervatis Epiſcopo in inferiores, ſcilicet in monialium confeſſarios. Non enim debet ſtrictiùs obligare Epiſcopus in ſuis reſervationibus, cùm debeat conformari intentioni Eccleſiæ, quæ non intendit obligare ad moraliter impoſſibile, ut conſtat ex rationibus, ob quas conceditur, impeditas abſolvi poſſe ab Epiſcopo. Neque tenentur mittere confeſſarium pro impetranda facultate, quia, ut notant Sanchez, Caſtro Palao, & Tamburinus *in Meth. expedit. confeſ. lib.* 3. *cap.* 9. §. 4. *nu.* 17. reſervatio eſt onus pœnitentis, non confeſſarii. Unde Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 17. admonet Sacerdotes, ut *id unum perſuadere nitantur, ut ad Superiorem, & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant*. Non dicit, quòd confeſſarii accedant

Superiorem pro facultate, sed quòd suadeant pœnitẽtibus accessum pro absolutione. Tum quia irretitus aliquo crimine Pontifici reservato non tenetur mittere nuncium, vel Epistolam pro impetranda facultate, ut observant Navar. Enriquez, Ugolin. & alii, quia impedimentum restituit Episcopo jurisdictionem, quæ fuerat per reservationem ablata; ergo neque moniales tenebuntur mittere confessarium, sed impedimentum etiam ipsi confessario restituet facultatem, quæ fuerat per reservationem adempta.

Cæterùm opposita sententia tanquàm tutior,& probabilior in praxi est sequenda cum Alterio, Filliucio, & Vasquez, quos adducit, sed non sequitur Pasqual. *loc. cit.* Etenim Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 7. statuit, Sacerdotes inferiores extra mortis articulum nihil posse in reservata, exceptio autem firmat regulam in aliis casibus. Neque est eadem ratio de reservatis Papæ, quia de his sunt jura concedentia hanc facultatem Episcopis, cùm non potest Pontifex adiri; quod in casibus Episcopo reservatis non invenitur, cùm recursus ad Episcopum sit facilior, quàm ad Pontificem. Erit igitur onus confessarii obtinere à Superiore facultatem, cùm enim sit monialium Parochus, tenetur ex officio earum spiritualibus indigentiis providere, atque adeò pro facultate ad rectè suum munus exequendum necessaria Superiorem adire. Sicuti, casu denunciationis occurrente, tenetur ipse hujusmodi oneri se subiicere.

QUÆR.

QUÆR. VIII. An Confessarius possit à reservatis absolvere monialem ignaram reservationis.

RESP. Affirmant plures Doctores relati, & approbati à Philippino *de Privil. ignor. n.* 158. quia omnis reservatio est pœna, ut asserit aliis relatis Diana *par.6. resol.* 42. & odiosam illam vocat Sanch. *in Sum.l.*1.*c.*10.*n.*74. Nulla autem pœna incurritur ab ignorante. Navar.Sylvest.& alii apud Sanch.*de matrim. lib.9. disp.*32.*n.* 20. Quare excusari etiam à reservatione invincibiliter inadvertentem ad reservationem, tradit Quarti *de cas. reserv. sect.* 2. *cap.* 3. *qu.6. vers. Colligitur* 1. cum ignorantia, & inadvertentia æquiparentur in jure. At resolvendum censeo, nullatenus ignorantiam, aut inadvertentiam à reservatione excusare. Nam reservatio non est pœna pœnitentis, sed limitatio jurisdictionis; quod patet, quia reservatio est talis naturæ ut resistat absolutioni non solum subditi illius Superioris per quem est inducta, sed etiam advenæ, ut expressè habetur ex Constitutione Clementis X. *Superna.*Non potest autem resistere absolutioni quatenus pœna pœnitentis, quia sub hac ratione non potest afficere advenam, lex enim non afficit nisi subditos, *cap. à nobis. de sent. excommunic.* Resistit ergo absolutioni quatenus limitatio jurisdictionis, cum sub hac tàntum ratione afficiat subditum, ipsum scilicet Confessarium.

Imò dato etiam quòd reservatio esset pœna, vel medicina pœnitētis, adhuc afficeret ignorantē. Quia ex allegata Constitutione reser-

vatio dieceſis, in qua Cõfeſſarius debet impẽdere abſolutionem, ligat etiam confluẽtes ex alia diæceſi, & tamen ipſis non innoteſcit, cum ipſis non fuerit promulgata. Ergo ex mente Pontificis reſervatio quocunque modo ſumpta ſemper afficit ignorantem. Et ideo hanc ſententiam tenent communiter Doctores quos refert Gobat. *t.* 1. *de Sacram. tract.* 7. *nu.* 360. ubi admittit ignorantiam ſolos illos caſus à reſervatione excuſare, qui annexam habent reſervatam excommunicationem; quia, dicit ipſe, tunc intelligitur, reſervationem in pœnam delicti eſſe impoſitam.

QUÆR. IX. An Confeſſarius dubius de reſervatione peccati, vel cenſuræ poſſit monialem abſolvere.

RESP. Poſſe; quia reſervatio eſt odioſa, atque adeo ad caſus, & cenſuras certas tantùm reſtringenda. Ita Sanch. Trullenc. & alii, quibus ſubſcribit Anton. à Spiritu Sancto *direct. Conf. t.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 15. *ſect.* 7. *num.* 943. qui pariter *ſect.* 8. *n.* 46. cum Leandro, Lugo, & Dicaſtil. docet, monialem cum dubio ſupradicto à Confeſſario abſolutam, ſi poſteà deprehendat, peccatum illud certò fuiſſe reſervatum, non teneri iterum ſubdere Sacerdoti habenti facultatem circa reſervata. Quia ſtante tunc tali dubio fuit directè per Confeſſarium abſoluta; nam dubium reſervationis non admit juriſdictionem abſolvendi, cum reſervatio, ut diximus, ſolùm ad caſus, & cenſuras certas extendatur.

QUÆR. X. An in aliquo caſu poſſit validè, & licitè confeſſarius Monialem abſolvere à reſervatis.

RESP.

Resp. Quando concurrat necessitas communicandi, ita ut absque nota infamiæ, & gravi periculo scandali communio non possit omitti, tunc confessarius non solùm potest, sed etiam debet absolvere, directè quidem à non reservatis, indirectè verò à reservatis. Quia positiva lex de confessionis integritate cedit juri naturali tuendi famam propriam, & præcepto charitatis vitandi scandalum. Ita Doctores adducti à Layman. *lib.*5. *tract.* 6. *cap.*12. *nu.*10. ubi addit, idem esse dicendum, etiam si excommunicatio sit annexa reservationi. *Et nu.* 12. ampliat conclusionem, asserens, quòd confessarius ingressus ad audiendam confessionem monialis infirmæ, si inveniat illam reservato crimine irretitam, poterit supradicto modo absolvere, quamvis in probabili mortis periculo non existat; partim quia aliqualis urget necessitas, siquidem monialis ægro animo ferret privationem absolutionis, cùm ex sua parte benè sit disposita; partim quia graves Doctores absolutè docent, quòd Sacerdos pœnitentem, qui peccata reservata habet, absolvere possit cum onere, ut ea sola Superiori posteà confiteatur, & ab aliis directè absolvatur. Interim tamen debet confessarius in supradictis casibus procurare facultatem reservatorum à legitimo Superiore, ut vigore illius monialem modo dicto absolutam, directè à reservatis absolvat.

Quær. XI. An confessarius obtinens licentiam absolvendi certam monialem à reservato, possit uti pro alia.

Resp. Negativè cum Bordon. *in Miscell.*

decis. 146. & Beja *p.* 3. *casu* 10. contra Moronum. Quia Superior licentiam concedens intendit gratiam facere juxta petitionem, nam Princeps, aut Superior solet se accomodare precibus porrectis, *ca. inter dilectas §. cæterum de fid. instrument.* ubi Glos. *v. petitio* ait, responsum conformari petitioni. Cum ergo petitio fuerit pro una moniali præcisè determinata, pro illa tantùm censetur concessa. Sed quid dicendum, si monialis pro qua obtenta fuit facultas absolvendi illam à reservato, & fuit ab alio absoluta, si, inquam, iterùm incidat in illum casum, absolvi ne poterit virtute illius prioris facultatis, qua pro illa usus non fuit confessarius in prima vice? Non potest; quia facultas illa ex mente concedentis, & intentione petentis emanavit limitatè pro casu incurso, non incurrendo.

QUÆR. XII. An, quo jure, & quando moniales possint absolvi à reservatis etiam non obtenta, immò negata facultate à proprio earum Prælato.

RESP. Si moniales sunt exemptæ, & subduntur Prælato regulari, possunt absolvi licentia non obtenta, dummodò tamen fuerit petita, idque ex indulto Clementis VIII. Regularibus facto, & per Urbanum VIII. postea innovato, quod sic habet: *Quòd si regularium confessariis casus alicujus facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice pœnitentes regulares absolvere, etiam non obtenta à Superiore facultate.* Ubi duo notanda; primum, quòd possunt absolvi, etiam si licentia fuerit justè negata, quia Pontifex loquitur univer-

sali-

saliter, nec distinguit de negatione licentiæ justa, vel injusta. Juniper. à Drepano *p. 1. disp. 7. q. 8. cap. 2. n. 10.* Secundum, quòd ly *illa vice* non facit sensum quòd semel tãtùm possint absolvere, nam non esset sufficienter religiosorum conscientiis provisum, cùm sæpiùs in eadem peccata prolabi possint; sed facit sensum, quòd facultas absolvendi transeat in confessarios limitatè, & pro illa tantum vice, ita ut, occurrente iterùm casu, non possit in vim primæ petitionis negatæ absolvere, sed debeat iterùm petere; quòd si fuerit quoque negata facultas, poterit etiam pro illa secunda tantùm vice absolvere, & sic deinceps. Colligitur hæc doctrina ex iis, quæ tradunt Alphonsus de Leone, Diana, & Naldus, *v. indulgentia nu. 4.*

Si verò moniales subdantur immediatè Episcopo, non possunt absolvi, licentia non obtenta; quia prædictum decretum, utpote emanatum occasione casuum à Superioribus regularibus reservatorum, declarat, de quibus Superioribus Pontifex loquatur, & proinde coarctat usum talis privilegii ad casum, in quo licentia fuerit negata à Superiore regulari, juxta doctrinam Surdi *decis. 124. nu. 8.* Unde non est extendenda concessio ad casum facultatis negatæ ab Episcopo, quia juri Episcopali præjudicaret, & gratia Papæ semper ita est intelligenda, ut alteri præjudicium non inferat; ut communiter Doctores.

§. IX.

De Confessario Monalium quoad Sigillum Confessionis.

QUÆR. I. QUa diligentia debeat confessionis sigillum à monialium Confessario custodiri.

RESP. In sigilli custodia major à monialiū Confessario diligentia, quàm in sæcularium confessionibus excipiendis, est adhibenda; cum enim moniales sint ex sexus fragilitate suspicaciſſimæ, & ob familiarem, ac diuturnam inter seipsas consuetudinem cujusque genium, mores, & defectus agnoscant, facillimè ex minimo etiam nutu, gestu, aut verbo, quæ inter sæculares essent indifferentia, possunt peccata ab aliis confessa deprehendere. Confessarius igitur sedulò, ac diligenter advertat, ne suo dicto, aut facto ostendat aliquid, ex quo sivè directè, sive indirectè possit contingere fractio sigilli.

QUÆR. II. Quænam cadant sub sigillo.

RESP. Cadere ea omnia, ex quorum revelatione potest reddi onerosum, & odiosum Sacramentum. Quare celari debent hoc sigillo non tantùm mortalia, sed etiam venialia; cum hac tamen differentia, quòd mortalia nec in genere, nec in particulari sunt manifestanda; venialia verò, licèt in particulari manifestari non possint, ne unum quidem quantumvis minimum, quia ex communi Doctorum sententia materia hujus sigilli parvitatem non admittit; possunt tamen

in

in genere; & sic non frangit sigillum Confessarius si dicat talem monialem confessam esse venialia, nam sine his non potest impertiri absolutio. Secùs si dicat, monialem plura, vel gravia peccata venialia fuisse confessam, quia occultum est, illam plura, vel gravia venialia perpetrasse. Hurtad. *de pœnit. disp.* 12. *diff.* 4. Malder. de *sigil. cap.* 12.

Cadunt pariter sub sigillo non solùm peccatorum circumstantiæ, & quæ utilia sunt, & conducunt ad explicanda peccata, verùm etiam ea, quæ nec utilia sunt, nec necessaria, ut sunt defectus, qui ad famam pœnitentis pertinent, ut se esse illegitimam, rudem, hebetis ingenii &c. dùmmodo à pœnitente ad peccata explicanda ordinentur. Diana *part.* 5. *tract.* 11. *ref.* 5. Imò etiam si non ordinentur, sed referantur incidenter. Granad. & Malder. Quod non admittit Hurtad. *loc. cit.* quamvis consulat ab illarum manifestatione abstinere; nisi sint hujusmodi defectus passim noti.

Item cadit sub sigillo pœnitentia imposita, si illa sit signum culpæ mortalis certæ, aut dubiæ, aut peccatorum venialium specialium quoad numerum, vel quoad speciem. Secùs si pœnitentia sit ita levis, ut ex illa colligi nequeat nisi quòd pœnitens confessa sit venialia. Granad. 2. 2. *contr.* 7. *tract.* 11. *disp.* 6. *num.* 5.

Dona verò, & virtutes alicujus monialis, sicuti etiam propositum alicujus puellæ educandæ de religione capessenda, vel matrimonio ineundo, non spectare ad religionem sigilli docet Malderus; quia quasi nunquam ma-

nifestantur ad explicationem peccati; potest tamen pœnitens ad hæc celanda sub naturali sigillo Confessarium obligare.

QUÆR. III. quibus locutionibus possit frangi sigillum.

RESP. Frangi si Confessarius dicat, se audivisse in monasterio peccatum grave, etiam si non nominet monialem: vel sæpè recurrere ad Superiorem pro reservatorum facultate. Diana *loc. cit. ref.* 35. Item si dicat non absolvisse monialem aliquã, nihil addẽdo. Imò etiã si addat non absolvisse ob confessionem nondum perfectã propter superveniens impedimentũ, Granad. Fagund. & alii relati à Diana *loc. cit.* Nam tales locutiones statim offendũt audientium aures, & malam opinionem de statu monialis ingerunt, nisi alioqui probatæ ac perspectæ virtutis esset, & conscientiæ.

Item frangit sigillum si dicat non absolvisse monialem de peccato certè cognito ab illis cum quibus loquitur, quia obligatio sigilli est per se, scientia verò aliarum est per accidens; quod à fortiori dicendum est, si addat, non absolvisse de peccato publico, & notorio, quia scandalo publico non satisfecit. Quia peccatum quidem publicum est, sed quod accesserit ad confessionem sine vera pœnitentia, quod certè indicat factum negatæ absolutionis, aliis non innotescit. Diana *ubi supra ref.* 42. Hinc fit, quòd Confessarius, dum audivit confessionem alicujus monialis, cui non debuit absolutionẽ impertiri, si interrogetur à Sacristana, utrum præparare debeat fenestellam pro illius communione, debet respondere, quòd interroget pœnitentem, an debeat communica-

nicare. Henricus, & Trullenc. *in praxi Sacram. lib.4. cap.8. dub.4. nu.9.*

Frangit insuper sigillum dicendo talem monialem sibi occultè, & extemporaneè fuisse confessam, quia clandestina, & extemporanea confessio ingerit gravioris criminis suspicionē. Reginal. Navar. & Mercer. apud Dianam *loc. cit.* qui pariter asserit cū Lugo, Granado, & aliis, frangi sigillum si dicat, monialem suis impertinentiis, & næniis sibi caput obtundere, vel esse scrupulosam, simplicem, irresolutam, obstinatam &c. si hujusmodi defectus solùm cognovit ex confessione. Potest enim hæc manifestatio Confessarii moniali displicere, & aliquando obesse ne eligatur in Prælatam, vel ad alia officia, ut optimè advertit Tamburinus.

QUÆR. IV. An per omissionem possit frangi sigillum confessionis.

RESP. Affirmativè ex Sancio, Bassæo, & Antonio à Spiritu Sancto de *Sacram. Pœnit. tract.5. disp.19. sect.6. n.1546.* Nam in aliquibus circūstantiis ex omissione dicti alicujus, vel facti potest oriri vel suspicio de mala conscientia pœnitētis, vel ipsius confusio, aut verecundia. Unde frangit sigillum Confessarius si interrogatus an absolverit monialē criminosam, non respondeat: an monialis aliqua sit honestæ vitæ, & digna quæ eligatur in Abbatissam, & taceat. Quia ex taciturnitate Cōfessarii arguitur in primo casu eam nō absolvisse, adeoque modo quodam confuso datur intelligi status dictæ monialis; in secūdo verò ingeritur gravis suspicio de illius honestate, ac probitate. Ita Doctores citati. Item frangit,

si ex

si ex pluribus monialibus sibi confessis alias laudet de bona cõnscientia, alias verò non. Prębet enim occasionem suspicandi, istas tam bonam conscientiam non habuisse. Perez *disp.* 54. *sect.* 4. *n.* 3. Tamburin. *Method. expedit. confes. lib.* 5. *cap.* 3. §. 1. *n.* 2. Secùs dicendum si de aliquibus seorsim loquatur, quia tunc nulla videtur fieri comparatio, aut exclusio aliarum, de quibus non occurrit tunc occasio loquendi. Tancredi *tract.* 1. *disp.* 4. *q.* 11. Antonius à Spir. Sancto *loc. cit. n.* 1522. qui pariter sustinet *nu.* 1574. frangi sigillum si Confessarius, qui semel, aut iterum monialem inabsolutam dimisit, vocatus tertiò ire nolit, ne ultra tempus cum illa insumat, dummodò tamen pœnitens ad priores cõfessiones accesserit animo confitendi peccata, licèt indisposita, quia v. g. ab occasione proxima, quam tenetur, & potest dimittere, non vult abstinere.

Si verò priores confessiones instituit animo tantùm simulandi, ut satisfaceret præcepto Prælati, vel ad removendum scandalum, non frangitur sigillum, quia ex illis confessionibus non fuit orta obligatio sigilli, cum neutra illarum confessio fuerit, sed confessionis simulatio, cui Confessarius cooperari non debet. Hinc neque fractor sigilli dicendus est, si vocatus, non pergat ad audiendam monialem, quæ in priori confessione eum sollicitavit ad turpia, quia provocatio illa ad malum non est sub sigillo, cum non sit peccatum, quod pœnitens confiteatur, sed quod committit in illa confessione. Lugo *disp.* 23. *nu.* 116. Perez. *disp.* 54. *sect.* 13. *n.* 12. Dicastil.

disp.

disp.12. nu.171. docens, Confessarium delinquere contra sigillum, si omittat consueta humanitatis, & charitatis officia erga monialem, quæ illi confessa est murmurationem aliquam contra ipsum; multò magis si se duriorem,& asperiorem exhibeat, quia in utroque casu sequeretur confusio, & displicentia pœnitenti. Graf. Reginald. Trullenc. & alii relatis à Christophoro à S. Joseph. *v. Confessio in append. ad 3. part. de sigil. dub.5. n.14.*

QUÆR. V. An sine fractione sigilli possit Confessarius extra confessionem cum moniali loqui de errore in confessione commisso.

RESP. De pœnitentis licentia posse, sine licentia non posse. Ita communiter Doctores, quorum aliqui limitando sustinent, licentiam non requiri, quando Confessarius advertit errorem statim post impertitam absolutionem, antequam monialis surgat; censetur enim moraliter perseverare eadem confessio,dum adhuc monialis est genuflexa. Dicastil. *cit. disp. n. 95.* qui addit, in sequenti etiam confessione de errore in præcedenti commisso posse loqui sine licentia; necessarium enim est ad meliorem instructionem, nec pœnitens conqueri potest, cum locutio sit intra idem Sacramentum, & sub eodem sigillo.

In cæteris casibus ad loquendum sive cum pœnitente, sive cum alio semper requiritur licentia, quæ debet esse formalis, & expressa; nam præsumpta, tacita, interpretativa, aut virtualis, etiam in bonum ipsius pœnitentis, non sufficit. Fagund. *par.2. lib.6.* Sicuti ne-

neque sufficit, quòd sit quocunque modo obtenta, sed requiritur libera, ac spontanea, non vi, dolo, injuria, vel per preces importunas, aut metum reverentialem ipsius Confessarii extorta, Henriq. & Fagund. *loc. cit.* Non est opus quòd semper ea licentia detur verbo, sed sufficit, quòd detur facto, v. g. quòd pœnitens extra cõfessionem incipiat loqui cum Cõfessario de dictis in confessione, tũc enim Confessarius potest prosequi; quia factũ equivalet expressæ concessioni. Aversa, Trullenc, & Tamburinus admonens cum Vasquez cõtra Suarez, licentiam pœnitentis ad loquendũ cum alio extra confessionẽ non se extendere ad corripiendũ complicem, quamvis ad hunc effectum fuisset expressè concessa; quia sigillum non tam est in favorem pœnitentis, quàm complicis, & sic universa causa, quæ examinatur in confessionis tribunali, est strictissimo sigillo absolvenda. Neque confessio est instituta ad redargutionem complicis, sed ad correptionem pœnitentis.

QUÆR. VI. Utrum Confessarius uti possit scientia habita in confessione ad bonũ finem.

RESP. Negativè quoties periculum est revelationis directe, vel indirectæ, tam alicujus peccati in confessione auditi, quàm eorum, ex quibus pudor, aut damnum pœnitenti resultet. Ita Doctores, quos plena manu congerit Anton. à Spir. Sancto, *loc. cit. nu.* 1548. Si enim hoc intelligeretur esse possibile, redderetur pœnitentiæ Sacramentum omnibus formidabile, & daretur animabus occasio amittendi spirituale solatium, minùs fidenter, ac frequenter ad confessionem accedendo.

Hinc

Hinc sequitur, non posse monialium Confessarium ex scientia confessionis dicere, monialem aliquam pro tali officio non esse aptam, nec puellam pro admissione ad habitum, nec Novitiam pro professione. Neque monere Prælatum, aut Abbatissam, ut mutet claves, attollat muros, fenestras claudat, ad crates invigilet &c. etiam si hoc esset in bonum pœnitentis, quatenus scilicet ex claviũ mutatione, & parietis elevatione tolleretur ipsi occasio ruinę spiritualis. Fagund. *p.* 3. *lib.* 6. *c.* 3. *nu.* 9. Neque sugerere Concionatori, ut vitium aliquod in particulari reprehẽdat, multo minus ipse in exercitiis spiritualibus reprehendere. Malder. *de sigil. cap.* 24. Neque colloqui cum confessario extraordinario de peccatis alicujus monialis, quæ utcũque ex confessione cognovit, etiam si hoc ordinaretur ad bonũ regimen animæ monialis prædictæ. Bassæus *v. confessio*, 7. *n.* 20. Ratio horum omnium est, quia hujusmodi locutionibus coniiceretur, eum loqui ex notitia confessionis; quod est contra sigillum.

Hoc tamen non violaretur, si Confessarius speciali humanitate, & solertiori cura adjuvaret monialem, quam ex scientia in confessione habita deprehendit, tacuisse peccatum aliquod in præteritis confessionibus propter ruborem, & pusillanimitatem. Quia præcipua ratio sigilli est, ne confessio difficilior, & gravior reddatur pœnitenti, quod non accidit in hoc casu; nam monialis ægrè ferre non potest, quòd humaniter excipiatur. Perez *supra n.* 7. Trullenc, Lugo, Bassæus, & alii.

QUÆR. VII. An pœnitẽs teneatur ad sigillũ.

RESP.

Resp. Negativè, sed tantùm teneri sub secreto naturali non revelare aliquid de confessione, quo se sine justa causa infamet, vel Confessarii bonæ existimationi detrahat, vel aliud damnum accidat. Anton. à Spir. S. *loc. cit. nu.* 1517. Unde non licet moniali dicere suo amasio, sibi à Confessario interdictam fuisse cum eo amicitiam, & familiaritatem, quando Sacerdoti indè crearetur periculum. Hinc quando est periculum alicujus talis incommodi ex parte monialis, potest ab illa Confessarius exigere secretum, ut cum ipsa in negotiis suæ conscientiæ liberiùs valeat tractare. Ita cum Maldero, Fagundez, Sylvest. & aliis Bassæus *sup. nu.* 11. ubi cum Suario, Soto, & Henriquez contra Palud. & Navar. docet teneri tantùm sub secreto naturali observare ea, quæ Confessarius sub tali secreto ei aperuit.

§. X.

De Confessario quoad sollicitationem.

Quær. I. An monialis teneatur, confessarium sollicitantem Episcopo, vel Inquisitori denunciare.

Resp. Teneri ex Constit. Gregorii XV. quæ incipit *Universi*, etiam si sollicitationi consenserit; ita tamen, ut sollicitationem, ac verba, & actus turpes confessarii denunciet, taceat verò suum consensum, quem non tenetur propalare, neque respondere, licèt super hoc esset ab Episcopo, vel Inquisitore interrogata. Quòd si dubitet, consen-

sum

sum posse propalari, monenda est, confessorem de hoc interrogari non posse; sique id ex se fateatur, nullatenus esse scribendum.

QUÆR. II. An monialis sollicitata satisfaciat denunciando per epistolam ad Episcopum, vel Inquisitorem missam.

RESP. Videri quòd sic; quia cùm sit impedita personaliter adire, denunciando per epistolam, facit quantum in se est. Nihilominus cum communi Doctorum oppositum tenendum est, ex declaratione Urbani VIII. in litteris ad Cardinalem Borromæum datis 27. *Septemb.* 1624. in quibus traditur forma servanda, scilicet quòd denunciet per confessarium, qui de licentia, & juridica commissione Ordinarii, vel Inquisitoris extra confessionem medio juramento juridicè recipiet in scriptis talem denunciationem, expresso nomine, & cognomine tam personæ sollicitatæ, quàm confessarii sollicitantis, & eam mittet ad judicem, à quo priùs licentiam recipiendi talem denunciationem obtinuerat. Hodie tamen in similibus casibus consulitur Sac. Congr. Generalis Inquisitionis, quæ licentiam concedit recipiendi prædictam denunciationem sine Notario: ita vidi observatum in praxi. Instructio confessarii pro recipiendis hujusmodi denunciationibus exhibetur à Pignatel. *t.* 1. *consult.* 104.

QUÆR. III. Quomodo se gerere debeat confessarius cum moniali recusante denunciare.

RESP. Admoneat de obligatione, quæ illi incumbit, denunciandi, & quidem sub mortali, nec non de majori excommunicatio-

tio-

tione, in quam incidit omittendo denunciationem, immò quòd toties in idem peccatum mortale, eandemque incidit excommunicationem, quoties moraliter potens, negligit denunciare. Lupus ex Bonacina. Ante oculos exhibeat grave animæ periculum, in quo versatur, & explicet, quibus, & quot bonis privetur innodata excommunicatione. Ostendat Inquisitorum prudentiam, & dexteritatem in excipiendo denunciationem, sigillum secreti in reticendo denunciantem, & benignitatem in puniendo denunciatum. Suadeat, quòd denunciationis finis nihil aliud est quàm salus ipsius delinquentis, & zelus catholicæ Religionis, pro qua tuenda non tam ruborem, humanosque respectus tenemur vincere, quàm sanguinem ipsum, si opus sit, effundere. Hæc, & his similia suggerat confessarius, prout muneris sui partes, monialis imbecillitas, & charitatis ratio videbuntur postulare.

QUÆR. IV. An supradictæ moniali denunciare recusanti possit confessarius protrahere terminum ultra tempus vi edicti præfixum ad denunciandum.

RESP. Non posse, quia nullam habet jurisdictionem super legem Superiorum, ad quorum prudentiam spectat examinare protractionis necessitatem. Putant tamen Sayrus, Freitas, Achuna, & alii apud Dianam *p.* 1. *tract.* 4. *res.* 27. solummodò posse concedi tempus consulendi peritiores, quod tamen prestetur absque longa temporis dilatione, & interim, data fide denunciandi, absolvi posse; sicuti enim qui ob legitimam

cau-

causam differt restituere, aut se judici præsentare, potest pro illa saltem vice absolvi, supposito firmo proposito restituendi, vel se præsentandi, ut primùm poterit: ita à pari discurrunt citati Doctores.

QUÆR. V. An Confessarius sollicitatus à moniali sit denunciandus, si in sollicitationem consentiat.

RESP. Negant Peyrin. Bonac. Portel. Castropal. Hurtad. & alii apud Leandr. *tract.* 5. *de pœnit. disp.* 13. *q.* 20. quibus assentitur Bord. Boss. Delben. & probabile putat Diana *par.* 1. *tract.* 4. *ref.* 10. Primò, quia Constitutiones Pontificum loquuntur de Confessariis sollicitantibus, unde tanquam odiosæ non sunt extendendæ ad casum Confessarii sollicitati. Secundò, quia in præsenti hypotesi cessat præsumptio in qua fundantur dictę Constitutiones, scilicet quòd Confessarius malè sentiat de fide; cum enim mulieris activa sollicitatio efficacissima sit ad inducendum in lapsum, ex facto ipso consurgit evidens argumentum, quòd ex fragilitate potiùs, quàm ex mala credentia consenserit. Tertiò, quia cum rarò contingat casus mulieris sollicitantis, de hoc non censetur à Pontificibus dispositum, quia leges humanæ de his, quæ frequenter accidunt, tantùm disponunt.

Neque dici potest de hoc esse apertè dispositum in Constitutione Gregorii XV. per illam clausulam, *aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones sive tractatus habuerint*: Confessarius enim consentiens sollicitationi, propriè dicitur habere inhonestos ser-

sermones, seu tractatus prætextu confessionis. Nam responderi potest, quòd, cum verba illa, *aut cum eis illicitos sermones, seu tractatus habuerint*, subsequantur immediatè ad verba *sollicitare vel provocare tentaverint*, ab his debent recipere interpretationem. *l. Hæres palam. §. sed si notam. ff. de testam.* & notant Glos. Bartol. Surd. & Mantic. quos refert, & sequitur Pasqual. *in quæst. moral. jurid. qu.* 217. *n.* 8. Cum igitur verba illa *sollicitare & provocare* importent inductionem, & provocationem activam, verba quoque subsequentia, scilicet sermones, & tractatus inhonesti debent intelligi cum inductione, & provocatione activa, unde non possunt adaptari ad casum Confessarii sollicitati, & potiùs fuerunt addita ad majorem explicationem, quàm ad diversificandam dispositionem, quia dictio alternativa aut posita post genus, non inducit dispositionem diversam à priori, sed resolvitur in expositivam, seù declarativam. Rota *part.* 1. *decis.* 300. *n.* 26. *recent.*

His tamen non obstantibus sentio cum Leandro *loc. cit.* Fagundez, & aliis dictum Confessarium esse denunciandum tanquam expressè comprehensum sub clausula illa, *aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sivè tractatus habuerint*. Ita interpretante consuetudine, & praxi Tribunalis S. Inquisitionis punientis hujusmodi Confessarios, cui interpretationi standum est, quia interpretatio ex subsequuta observantia magis attenditur quàm quælibet alia, sicuti pluries firmavit Rota apud Pignatel. *tom.* 1. *consult.* 82. *nu.* 18.

nu. 18. Ita pariter sit adenteratione, nam consensus ille expressus illicitus est, & inhonesti tractatus complementum.

QUÆR. VI. An in prædicto casu sit denunciandus Confessarius, si ad Monialis sollicitationem nihil respondeat.

RESP. Si nullum signum approbationis exhibeat non esse denuntiandum, quia tacens neque assentiri, neque dissentiri videtur *ex regul. jur.* 44. *in* 6. Imò in odiosis, & præjudicialibus taciturnitas habetur pro dissensu. Flor. *l. invitum de ser. urb. præd.* Sicul. *in c. cura de jur. pat.* Neque potest inferri consensus per hoc quòd ex officio, & ex circumstantiis loci, & actus Sacramentalis, quem exercet, teneatur monialem reprehendere, non verò tacere. Nam illa taciturnitas potest oriri vel à timore, vel à pusillanimitate, vel ab horrore, vel à confusione, quod sufficit ad excludendam præsumptionem consensus in sollicitationem, quia in conflictu boni, & mali lex favet exclusioni delicti, & in dubio possibilis honesti, & possibilis inhonesti, semper capienda est interpretatio possibilis honesti, per tradita à Sperel. *decis.* 175. *nu.* 1. *decis.* 174. *nu.* 46.

Eoque magis cessat in moniali obligatio denuntiandi, quia per necesse cogeretur suam turpitudinem detegere. Cum enim, adhoc ut judex possit judicium suum efformare, debeat monialis allegare in denunciatione dictum aliquod, vel factum, aut signum inductivum sollicitationis, in præsenti nihil aliud esset allegabile nisi sola taciturnitas Confessarii. Hæc autem non potest in-

du-

ducere sollicitationem, aut aliquod inhonestum præcisè, & de per se considerata, cum sit indifferens, sed tantum ut conjuncta cum prævia monialis sollicitatione, unde ad effectum procedendi contra Confessarium deponi deberet cum hac qualitate, quia sub hac tantum ratione esset criminosa. Ad hoc autem non tenetur monialis, quia non tenetur se ipsam prodere, *cap. cum deceat, de elect. in 6.* & Doctores communiter.

QUÆR. VII. An monialis monasterii regularibus subjecti teneatur denunciare suum Generalem, si ab ipso fuerit sollicitata.

RESP. Videri quòd non, quia in delictis inferentibus suspicionem hæresis non tenetur filius patrem denunciare. Bordon. *in manual. Consultor. sect.* 18. *n.*40. alios referens. Ergo neque monialis suum Generalem, qui patri æquiparatur in jure; & ideo pari punitur pœna subditus delinquens in proprium Superiorem, ac filius delinquens in patrem naturalem; *authent. ut cum de appellat. cognos. §. causas autem vers. vitæ parentum*. Quare optimè procedit argumentum à patre ad Superiorem, per ea quæ tradit Gratian. *discept.* 436. *n.*2. Imò fortiùs urget, quia parentes spirituales magis venerandi sunt quàm carnales, *cap. ita diligere*, & *cap. Pitacium* 30. *qu.*3. *ubi Glos. versu multo magis*. Rursus cessat in conjuncto obligatio denunciandi conjunctum suspectum de hæresi, si exinde notabile familiæ damnum vel in bonis, vel in honore timeretur. Ita citati à Carena *par.* 2. *tit.* 9. *nu.* 12. Cessabit igitur etiam in moniali, quia denunciatio cederet in gravissimum

mum dedecus non unius tantum familiæ, ſed univerſi Ordinis, cujus monialis eſt membrum, ſi caput ejuſdem detegeretur tale crimen perpetraſſe.

Hæ tamen futiles, & inanes rationes facilè corruunt, ſi attendantur Conſtitutiones Gregorii XV. & Alexandri VII. in quarum prima expreſsè diſponitur eſſe denunciandos *Regulares cujuſcunque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio munitos*. In ſecunda verò ſtatuitur, religioſos *teneri, & obligatos eſſe accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquiſitoribus locorum quoſcunque, etiam Confratres, ac Superiores, etiam primarios ſuos ejuſdem ordinis, & religionis, quos noverint eſſe de fide quomodolibet, etiam leviter ſuſpectos.* Unde monialis prędicta ad ſuũ Generalem denunciandũ abſolutè eſt obliganda.

Solum à Doctoribus controvertitur à quo judice ſit procedendum in cauſa. Bordonus *in Sac. Tribun. c. 27. n. 27.* innixus diſpoſitioni *Cap. Inquiſitores 16. in 6.* ſuſtinet, accepta denũciatione non poſſe Inquiſitores ad ulteriora procedere, ſed admonita Apoſtolica Sede expectandum eſſe quid decernat. Poſſe verò abſolutè procedere docent alii cum Freita, & colligũt ex Conſtit. Gregorii XV. Media via incedit Diana, concedit poſſe ſed non debere niſi Supremo Tribunali prius conſulto.

Quær. VIII. An ſit denunciandus Confeſſarius, qui confeſſionis prætextu intra clauſuram vocatus à moniali ſe infirmam ſimulante, & provocatus ad turpia ſollicitationi reſtitit, & ſollicitantem objurgavit; ſed quia monialis minata fuit ſe exclamaturam

vim sibi inferri, nisi consentiret, infamiæ metu consensit.

Resp. Affirmat Carena *par.* 2. *tit.*7. §. 19. *nu.*24. Quia verè habuit tractatus inhonestos occasione confessionis; neque considerandus est timor, quia levis est, utpote illatus à fœmina. Negant absolutè Sancius, Acugna, Peyrin. Trullenc. Freit. quos refert, & sequitur Leander. *loc. cit. qu.* 23. quibus subscribit Januar. *de cas. reserv. ref.*38. Ratio est, quia consensus ad inhonesta non fuit voluntarius, sed infamiæ metu extortus; hic autem metus gravis est, nam viro probo gravior est ipsa morte honoris jactura, ex allegatis à Sanch. *lib.*4. *de matrim. disp.* 15. *nu.* 11. & cadit in constantem virum, licèt sit illatus à fœmina, quia quando agitur de minis exequendis per verba, mulier promptior, & efficacior est ipso viro, Bordon. *loc. cit. nu.*245. Neque obstat, quòd sicut metus non excusat à peccato, ita nec à pœna; ut habetur *in c. sacris de iis, quæ vi metusve causa.* Nam hoc procedit in foro poli, in quo quis necem potiùs tenetur subire, quàm peccatum admittere, ut per Glos. & Doctores *in cit. c. Sacris.* Secùs autem est in foro fori, & respectu pœnæ temporalis, ut distinguendo advertit Menoch. *de arbitr. jud. causa* 354. *n.* 18. *&* 21.

Censeo nihilominus cum Diana *par.* 10. *tract.* 14. *res.*40. denunciandum esse, sed absque abjuratione dimittendum, extraordinaria pœna imposita; quia metus attenuat quidem culpam, sed non prorsus excludit, ut *in d. cap. Sacris*, adeoque licèt excuset à quota pœna, non excusat

tamen à tota, Thesaur. *qq. forens. lib. 3. qu. 46. num. 4.*

QUÆR. IX. An confessarius sollicitans monialem in confessionario, sed extra confessionem, neque occasione confessionis, & sine prætextu, aut simulatione confessionis, sit denunciandus.

RESP. Divisos esse de more in hac difficultate Doctores. Negant Lupus, Bonacina, Lezana, & Bordon. *in Miscel. decis. 422.* quia extra occasionem confessionis in quovis loco, ut confessarius sit denunciandus, necessaria est simulatio confessionis, ut colligitur ex verbis Bullæ Gregorianæ, ibi: *Sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocunque, ubi sacramentales confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire.* Nam hæc ultima clausula *simulantes ibidem confessiones audire* refertur ad quemcunque locum, sive sit confessionale ordinarium, sive deputatum, aut electum pro confessione, ut probatur ex generali regula, quòd clausula ultimo loco posita refertur ad omnia præcedentia, *cap. inquisitioni 7. de appellat.* Maximè quia si clausulæ præcedentes regulantur ab eodem verbo *audire*, debent quoque cadere sub eadem dispositione simulationis. Affirmant alii, præcipuè del Bene *de off. Inquisit. dub. 137. sect. 11. in Petit. nu. 5.* Bordonus *in Manual. Consult. sect. 25. n. 49.* ubi priorem sententiam retractavit, & Naldus *in Summa v. sollicitatio in fin.* ubi testatur sic servari in sanctissima Generali Urbis Inquisitione. Alii verò me-

dia via procedentes distinguunt. Si confessionale indifferens sit tam ad urbanè loquendum, & de aliis tractandum, quàm ad excipiendas confessiones, ut moris est in pluribus monasteriis, tunc confessarius sollicitans in tali loco indifferenti non est denunciandus ob rationes prioris sententiæ, dummodò tamen absit confessionis simulatio. Si verò confessionale nullatenus nisi ad confessionis finem aperiatur, vel si etiam ob alium finem solet aperiri, sollicitatio tamen fiat in diebus pro confessione designatis, tunc est denunciandus, quia semper ex circumstantiis intervenit confessionis simulatio, licèt in confessario desit animus simulandi. Ita Sancius *in select. disp.* 11. *n.*68. *in fine*.

Nihilominus à secunda sententia non est recedendum, stante Sacræ Congregationis decreto de mandato Pauli V. emanato 10. *Julii* 1614. quod ita habet: *Facta relatione, quòd multi confessarii tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, decrevit, ut contra hujusmodi confessarios procedatur in sancto officio*. Neque valet, quod ait Bonacina *de matrim. q.* 4. *punct.*16. *prop.* 5. scilicet, decretum intelligendum esse ex præsumptione fori externi præsumentis ex loci circumstantia sollicitationem factam esse in confessionario confessionum audiendarum occasione; neque quòd prædictum decretum utpote ante constitutionem Gregorii emanatum explicari debeat juxta terminos ejusdem constitutionis requirentis simulationem confessionis; decretum absolutè loquitur,

tur, & ideò absolutè intelligendum, & quatenus etiam versaremur in dubio, possessio stat pro decreto. Præter quam quòd etiam Constitutio Gregorii comprehendit hujusmodi casum, ut advertit Bordon. *in Manua. loc. cit.* Advertit tamen ex Eminentissimo Albitio Dandinus *de suspect. de hær. cap.* 3. *sect.* 3. *subject.* 5. *nu.* 5. quòd ex sollicitatione in confessionario, vel alio loco ad confessiones audiendas deputato, extra occasionem, & simulationem confessionis, non oritur nisi suspicio de levi, etiam attenta praxi Sanctæ Romanæ Inquisitionis, quia in tali casu non intervenit veri Sacramenti abusus, ut notat Hurtad. *resol. moral. tract.* 4. *cap.*8. *res.* 34.

§. XI.

De Confessario quoad Moniales scrupulosas.

QUÆR. I. QUid generaliter observare debeat confessarius cum monialibus scrupulosis.

RESP. Assuefaciat illas, ut sibi tanquam directori pareant obedientia cæca, & firmiter credant, etiam contra gravissima, quæ habere possunt, argumenta peccandi. Sit unica earum ratio auctoritas confessarii docentis. Nec est necesse conscientiam scrupulosam deponere, cum conscientia propriè non sit, sed vana quædam apprehensio; sed satis est quòd putent, se, etiam stante suo judicio, non peccare; & certè de facto coram Deo non peccant, quia sequentes sui confessarii

dictamen, quod probabile est, sequuntur, atque adeò prudenter operantur. Vasq. Less. Coninch. & alii.

Dubitationes illarum in mitiorem partem semper interpretetur. Interrogationes minutiores, & fortasse necessarias pro aliis ad cognoscendas species peccatorum, non inculcet. Unde expedit aliquando, cum illis confessarium pactum inire, ut nihil ex se confiteantur, sed tantùm respondeant interrogationibus faciendis ab ipso confessario, qui eas interrogare poterit de his, in quibus secundùm earum statum potuerunt peccare, & ipsæ moniales per *est* vel *non est* respondere.

Non permittat suos scrupulos tanquam peccata confiteri, neque confessiones generales instituere, nisi certissimè constet de necessitate, quia experientia compertum est, hoc esse mentem potiùs turbare, quàm conscientiæ fluctus componere. Quare suadeat, ut à peccatorum præteritorum memoria perinde ac à dœmonum suggestionibus abhorreant. Si aliquando quosdam scrupulos audire velit confessarius, judicans id ad curationem, & illarum consolationem conferre, id faciat, protestando tamen se non ad confessionem, sed ad consilium audire.

Consulat, ut nihil judicet esse mortale, nisi manifestè, & absque formidine cognoscat, & aliquando etiam nisi jurare possit esse mortale. Vasq. *p. 2. disp. 67. cap. 72. nu. 8.* & alii. Immò hæc regula fallit in aliquibus ita scrupulosis, ut quidquid eis in mentem venit, etiam medio juramento judicent admisis-

misisse. Unde efficacior medicina erit, secundùm aliquos Neotericos apud Bassæum *v. conscientian.* 32. nulla peccata interiora habenda esse à scrupulosis ut talia, nisi quando prodeunt in actum externum, cùm pro illis favorabilis est præsumptio, ipsas cogitare in crimen consensisse, cùm longè à committendo distabant.

QUÆR. II. Quas Doctorum opiniones ad sedandam conscientiam scrupulosam possit eligere.

RESP. Ex Navar. Man. *cap.* 27. *num.* 287. Meroll. *t.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *nu.* 385. posse eligere quamcunque opinionem probabilem benigniorem, & favorabiliorem. Exempli gratia, Vota dubia an sint emissa, & præcepta an sint imposita non obligare, quamvis major sit in obligationis partem propensio. Sanch. Rebel. Castro Pal. Confessiones absque dolore sufficienti non ex industria factas, vel dimidiatas, non esse repetendas. Merol. *loc. cit.* Non peccare eum, qui legem observat juxta communem sensum bonorum, licèt is sensus laxior videatur. Leges civiles de facto, vel rarò, vel certè non frequenter obligare sub mortali; ecclesiasticas item nec multò frequenter. Non enim debet existimari legislator tam rigidus, ut hominibus bonæ voluntatis peccata adscribat, pœnamve decernat; neque Deum, aut Ecclesiam suis præceptis efficere velle, ut homo in stultitiam cadat, quod scrupulosis facilè contingere potest. Ita ex S. Antonin. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. §. 4. Peccata dubia pro scrupulosis censenda non esse peccata.

Lugo *de Pœnit.* atque adeò non eſſe ſub obligatione confeſſario aperienda, multò minus numerum dubium, vel dubias circumſtantias, Suar. & Granado.

QUÆR. III. Quomodo ſe gerere debeat confeſſarius cum moniali ſcrupuloſa dubitante præteritas confeſſiones integras non feciſſe.

RESP. Prohibeat omninò ne confiteatur peccata ante ultimam confeſſionem commiſſa, quia ſcrupulus hoc illi ingerit, & præſumendum eſt, omnia peccata fuiſſe confeſſam; tum quia, ne ipſius ſcrupuli foveantur, à tali confeſſione eſt excuſanda, ut poſt Gerſon. Tamburin. & Reginald. *lib.* 2. *num.* 128. de qua re iterum *nu.* 131. ubi advertit, debere confeſſarium in hoc inſiſtere, ut dictam ſcrupuloſam capacem reddat, quòd ſufficit mediocris diligentia in conſcientia examinanda, qua adhibita, non debet aliud metuere, cùm in diligentiori examine adſit periculum faciendi odioſam confeſſionem, tum periculum damni ipſius pœnitentis, tum ſumma difficultas, quæ eſt moralis impoſſibilitas; unde præſtat, aliqua potius omitti, quàm intolerabilia hæc damna ſubire, Tamburin. *in Method. exped. confeſ. lib.* 2. *cap.* 10. §. 1. *num.* 22. Immò, ſi ſæpè ſolet confiteri, debet injungere, ut nullum conſcientiæ examen præmittat, tum quia, ſi peccaſſet realiter, ob oculos certè peccatum ſemper haberet, tum quia tota ſcrupuloſorum vita conſcientiæ examen eſt. Molina *tract.* 4. *diſp.* 13. *in fin.*

QUÆR. IV. Quomodo ſe gerere debeat con-

confessarius cum moniali scrupulosa, quę sæper hæsitat, an in præcedentibus confessionibus, vel in præsenti habuerit verum dolorem, firmumque propositum non peccandi.

Resp. Suadeat, dolorem sufficientem in instanti haberi posse. Layman. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 4. & satis esse in quolibet gradu, etiam remisso. Suar. & Layman *ibidem*, nec requiri cordis quandam teneritudinem, aut lacrymarum compunctionem, vel dolorem alium sensibilem. Gerson, quem sequitur Reginaldus *loc. cit. n.* 127. Item sufficere in scrupulosis desiderium doloris, vel dolorem de non habendo dolorem, quia in illis desiderium intensioris doloris est indicium veri doloris. Layman. *loc. cit.* Quò ad propositum verò ad moneat, non necessariò requiri explicitum, sed implicitum satis esse, hoc est illud, quod involvitur in ipso actu detestationis, & displicentię; non enim quis vult committere, quod ipsi displicet. At quia etiam scrupulis angi potest, an hoc propositum habeat, quia prævidet, immò certò sibi persuadet, se propter fragilitatem suam relapsuram, munus confessarii erit animum illius erigere, ostendendo, quòd potest consistere dubium, ac prævidentia relapsus in peccatum cum firmo proposito non peccandi; quia illud est actus intellectus, hoc autem posterius est voluntatis. Sylvest. *v. confes.* 1. *q.* 21. Insuper, ut quantum fieri potest omnis scrupuli occasio tollatur, quando prædicta monialis non habet mortalia, eam inabsolutam dimittat, & communionis sumptionem præcipiat.

Quær. V. Quomodo se gerere debeat

confessarius cum moniali infidelitatis, & blasphemiæ scrupulis vexata.

Resp. Scrupulos hujusmodi minùs esse metuendos, magisque contemnendos, Granad. 1. 2. *tract.* 12. *disp.* 5. *n.* 8. quia malum illud, in quod prolabi distamus, minus timoris incutere consuevit. Unde infidelitas, & blasphemiæ, sicuti utpote spiritum respicientes non tantum delectant, ita minus periculi ingerunt. Monialem igitur scrupulis hujusmodi vexatam exprobrare expediet, quòd parùm fidat, divinam potentiam præstò esse omnibus nolentibus fidem deserere. Moneat, quòd tantum abest, ut ex rebus divinis dubitationem nec minimam concipiat, quin potiùs ex angoribus animi, & voluntatis reluctantis afflictione desumatur violenta præsumptio firmitatis fidei in ipsa.

Quær. VI. Quomodo se gerere debeat confessarius cum moniali scrupulosa, quæ dubitat, consensum cogitationibus inhonestis præstitisse.

Resp. Suadeat, ut cum talibus cogitationibus non disputet, nihil illis respondeat, illaque despiciat; horror enim erga illas, & displicentia sunt sufficiens argumentum, consensum non præstitisse. Quare non sinat monialem nimis descendere ad particularia, neque permittat de istis cogitationibus confiteri, nisi, ut supra diximus, adeò certa sit de consensu, ut etiam jurare possit. Caveat confessarius moniali hujusmodi imponere, ut, quando à dictis cogitationibus agitatur, signo crucis in corde, capitis agitatione, tunsione pectoris, vel alio corporis gestu illas

las conetur depellere, quia experientia docuit, talium actuum frequentiam plurimas ad insaniam, nullas verò ad conscientiæ tranquillitatem adduxisse. Unde consultius erit, ut diximus, quod parvipendat. Ad quod obtinendum juvabit, modò asperis, modò blandis verbis suadere monialem, ut firmiter credat, quòd confessarius, qui rationem de ea reddere debet, non parvipenderet, si illas gravia esse peccata cognosceret.

QUÆR. VII. Quomodò se gerere debeat confessarius cum moniali scrupulosa in horarum canonicarum recitatione.

RESP. Jubeat absolutè, ut abstineat à reiteratione officii, vel aliquam ejus partem, quam reliquisse putat, etiam si hic scrupulus obrepat, dum recitat officium, sed audacter ad sequentia pergat, Navar. & Reginal. quia semper minor illi tranquillitas ex secunda, & tertia recitatione, quàm ex prima. Suggerat, ne sit nimis circa attentionem sollicita, quia ipsa attentio ad distractionem vitandam, distractionem parit. Nam ut optimè advertit Cajet. 2. 2. *q.* 83. *ar.* 17. dum scrupulosi volunt esse attenti, habent potiùs attentionem ad intentionem habendam, taliter quòd intentio sit objectum tantum suæ attentionis, quàm ad verba distinctè, & reverenter dicenda. Doceat itaque attentionem externam satis esse, unde & posse voluntariè distrahi. Coninch. Layman. Hurtad. & alii. Quòd si ista non juvant, sed adhuc scrupulis, & anxietatibus premitur, potest confessarius præcipere, ut ab officii recitatione tantisper supersedeat, donec à suis an-

xietatibus sit libera; Gobat. *t.* 1. *tract.* 5. *cas.* 23. *sect.* 2. *nu.* 714. Quia graves scrupuli juncti magnis anxietatibus sunt re vera magnū malum, tam animi, quàm corporis, & verè majus quàm nonnullæ ex iis infirmitatibus, quas magni nominis Doctores admittunt pro excusantibus.

QUÆR. VIII. Quomodo se gerere debeat confessarius cum moniali scrupulosa reconfitente peccata venialia.

RESP. Ex Gerson. & Rodriq. optimum remedium esse, quòd non curet, peccata hæc saltem particulariter confiteri, nisi aliqua, quæ videntur graviora, reliqua omnia breviter, & succinctè in confessione aperiat. Nimia enim talium peccatorum solicitudo animam turbat, non sedat, ideò melius est dimittere conscientiam suam in pace super his, recogitando, quòd in præsenti statu naturæ lapsæ, secundum communem Theologorum sententiam, moraliter impossibile est, sine speciali gratiæ privilegio omnia peccata venialia vitare. Prædicta igitur monialis bono animo sit; attendat suam vilitatem, & miseriam, attendat simul & pietatem Dei, atque immensam misericordiam, quæ animæ verè pœnitenti, & ab omni peccato plenè aversæ non potest non succurrere, atque ignoscere.

QUÆR. IX. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum moniali scrupulosa pluries ad ipsum revertente priusquam ad communionem accedat.

RESP. Moneat quòd tam anxia sollicitudo versutia diaboli est, qui, dum suggerit sæpiùs re-

reverti, distrahit animam à devotione, & sub majoris munditiæ prætextu surripit tempus illud, quod ad tanti Sacramenti præparationem deberet impendi. Quare talis anxietas, & inquietudo, ne dum non juvat, sed impedit Dei in nobis operationem per suã gratiam; nam ut rectè notat Gerson *in tract. de diver. diab. tentat. lit. B.* immoderata illa puritatis cura, ac peccati nimius timor ei non placet, quia quandiu Deum ita timemus, non videmur eum satis diligere, habentes illum de nimia severitate suspectum. Unde fit, ut inani metu concepto minuatur fiducia accedendi ad communionem nobis tantoperè necessariam.

Ostendat igitur moniali, majorem pro Eucharistia suscipienda dispositionem oriri mandatis confessarii obediendo, quàm in scrupulosa suæ conscientiæ repurgatione immorando. Nemo enim per suam diligentiam quantumvis summam absque speciali Dei revelatione potest eò pertingere, ut certò sciat quòd sit in gratia. Unde ad Sacramentum illud omni veneratione dignissimum fructuosè sumendum sufficit certitudo moralis, seù quòd tantam diligentiam impenderit in repurganda conscientia, quantam adhibuisset in opere faciendo, ex quo maximum lucrum speraret. Item exponat, quod ex repetito ad Confessarium accessu non solum non fit animus quietior, sed ut ipsa experitur, magis, ac magis perturbatur.

Quare Confessarius monialem hanc graviter arguat, & revertentem expellat; & si fortè asserat peccata venialia habere, quæ cla-

clavibus subdat, salutare erit proponere quòd ex Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. venialia taceri possunt in confessione sine culpa, neque impediunt effectum gratiæ Sacramentalis, ut testantur plurimi cum D. Thom. 3. *par. q.* 79. *ar.* 8. Præterquam quòd possunt multis aliis modis extra confessionem deleri, nempè digna Eucharistiæ sumptione, aquæ benedictæ aspersione, orationis dominicæ recitatione, & devota pectoris tunsione. Hostien. *in sum. tit. de Pœnit. & remis.* §. *de quibus peccatis*.

Quær. X. Quomodo se gerere debeat confessarius cum moniali dubitante de sua salute, quia se carere dulcedine spirituali in omnibus actibus experitur.

Resp. Ostendat confessarius, quòd dulcedo spiritualis, & sensibilis cordis mollities non sunt efficacia, & infallibilia signa charitatis, neque reddunt hominem perfectiorem. Multoties motus naturæ sunt, & proinde etiam in peccatoribus reperiuntur. Neque è contra ariditas signum peccati est, aut reprobationis argumentum. Item, quamvis dulcedo illa, sensibilisque devotio juvent ad bonum, & perfectionem; tamen propter nostram fragilitatem sæpè fiunt occasiones periculi, & præsumptionis; ariditas verò animam collocando in spiritu humilitatis, Deo, qui humilia respicit, magis approximat. Immò gratior est illi anima in tali desolatione, quàm si magna devotione afflueret; quia in pressura non ita facilè quis se ipsum, vel sua quæ-

rere

rere potest, sicut in sensibili devotione. In hac namque sæpè se natura immiscet, & dum immodicè anima delectatur, maculam contrahit.

§. XII.

De Confessario quoad moniales habentes Visiones, revelationes, & apprehensiones supernaturales.

QUÆR. I. QUomodo se gerere debeat Confessarius cum moniali dictos favores experiente.

RESP. Benignè illam excipiat, ne austeritate occasionem tacendi præbeat, patienter audiat, & solerter interroget, ut benè, & exactè spiritum illius, omnesque cordis affectus valeat penetrare. Non per hoc quòd videt in illa aliquam imperfectionem, statim eam de malo spiritu condemnet, ut advertunt S. Theresia *manss.6. cap.* 1. & Planes *in exam. revelat. lib.*3. *cap.* 23. §. 1. Neque tamen revelationes, aut visiones statim approbet. Jubeat potiùs, quòd de talibus favoribus non curet; ostendendo illi, quòd virtus in his non consistit, sed in operibus bonis, & in augmento gratiæ, & charitatis. Quia revelatio aliquando facta est malis hominibus, ut Balaam, Caiphæ, & aliis; augmentum verò gratiæ solis justis conceditur.

Quare ostendere debet se propter tales favores illam non æstimare, nec reputare ut Sanctam; imò potiùs ex quacunque levi occa-

sio-

cisione eam reprehendat, & humiliet, adeò ut concipiat directoré illam parvi pendere, & de suo spiritu dubitare. Planes *loc. cit.* §. 5. Prudenter tamen in hoc se gerat Confessarius, ne nimiam afflictionem moniali ingeneret, & ne ad desperationem adducat, juxta monitum Pauli *ad Thessalonic.* 5. *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere, quod bonum est tenete.*

QUÆR. II. Quomodo possit distinguere revelationes, & visiones veras à falsis.

RESP. Ad orationem recurrat, & fidenter gratiam discretionis spirituum à Deo petat, qui maximè solet illam concedere his, quibus ex officii, & dignitatis ratione animarum incumbit cura, Delrius *disq. magic. lib.* 4. *qu.* 3. *sect.* 1. *litt. E.* Assiduis precibus piam diligentemque Sacræ Scripturæ considerationem adjungat, ex illa enim effulget cognitio discernendi à falsis veras visiones, & prophetias. Sanctorum Patrum quoque, & historiæ ecclesiasticæ lectio plurimum conferet. Humilitas præ omnibus directori est necessaria, quia Deus abscondit hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelat ea parvulis. Denique prudenti, & multiplici mentis scrutinio res tota examinanda. Ad quod juvabit sequentia perpendere; scilicet, personam revelantem; qualitates monialis cui fiunt revelationes, & visiones; res revelatas; & effectus ex revelationibus, & visionibus resultantes.

QUÆR. III. Quid examinare debeat ex parte personæ revelantis.

RESP. Examinet quos motus causet in anima,

ma, quia bonus Angelus in principio hortatur ad bona, & perseverat in eis; sed malus in principio tendit in bonum, sed postea instigat ad malum; ita D. Thom. *ad 2. Epist. D. Pauli ad Chorint.cap.*11. Item bonus Angelus quamvis in principio terreat, statim consolatur, & confortat; malus autem stupefacit, & desolatum relinquit. Perpendat insuper, in qua figura appareat; quia si se exhibet in forma bestiarum, & monstruosa, vel si apparet in forma humana, aliqua tamen præsefert vel curiosa vel deformia, ut si corpus sit atrum, fætens, gibbosum, nares simæ, aut nimium aquilinæ, oculi inflammantes, & similia, tunc Angelus malus est judicandus.

QUÆR. IV. Quid examinare debeat ex parte monialis, cui fiunt revelationes, vel visiones.

RESP. Examinandam esse corporis constitutionem, an redundet atra bili, vel melancholia, quia talibus humoribus laborantes solent vehementis esse imaginativæ, atque adeo eorum mentes multis, & fixis phantasmatibus sigillantur. Considerandum, quanam valetudine gaudeat, an corporis habitus sit plus æquo inedia difformatus, an cerebro læsa, an immaginationis turbidæ, quia similes ex nativa læsione, vel ab extrinseco accidenti hujusmodi visa experiri possunt, quod solet phreneticis, & epilepticis accidere; ætatis quoque consideratio habenda, nam si senex, suspicari possumus à capitis debilitate delirium, si juvenis, à cordis levitate periculum.

Juva-

Juvabit etiam inclinationem bene scrutari; quia, ut ait S. Leo, *diabolus causas quærit nocendi, ubi quemque viderit occupari*. Unde si monialis, cui accidunt hujusmodi visiones, affecta sit ad has apprehensiones, regulariter procedunt vel à se ipsa, vel à dæmone; quod ut dignoscatur, debet Confessarius ei præcipere, ut de talibus non curet; nam si hoc mandato tristatur, & in Confessarium invehitur, signum est vel à se ipsa, vel à dœmone visiones hujusmodi esse confictas; qui enim Spiritu Dei aguntur, non tristantur ex Directoris mandato, sed conformantur.

Refert insuper considerare qualis sit, ac fuerit dicta monialis, qualiter erudita, quibus assueta, cum quibus conversata, quibus delectata; an singularia quædam affectet pœnitentiæ, ac devotionis signa, per Superiores ecclesiasticos non approbata; utrum sit in spirituali exercitatione veterana, an verò novitia tantùm, quia, ut ait Gerson, novitius fervor citò fallitur, si caruerit regente, præsertim in adolescentibus, & fœminis, quarum est ardor nimis avidus, varius, effrænus, ideoque suspectus. Unde attendendum est, an si adhuc imperfecta & adhuc in via purgativa, præcipitet se per unitivam, aut statim ac orare incipit, sine præparatione idonea præsumat se habere tantum passivè, nihilque ex sua parte operans influxum divinum expectet.

Observandum præcipuè an obediens sit suo Superiori, Confessario, ac Directori; si enim in hoc deficit, exponit se manifesto pericu-

riculo errandi, quia separat se à gubernio capitis sui, & impedit medium, per quod Deus vult suam lucem communicare. Item an suas revelationes, aliaque dona revelet pluribus, an suo Confessario tantùm intra Sacramentum confessionis; nam si eas divulgat, signum est non dari ibi Spiritum Dei, sed spiritum vanitatis, & superbiæ. Planes *lib.* 3. *cap.* 16. §. 2. Item si cum Confessario, vel Directore continuis collocutionibus intendat sub prætextu nunc crebræ confessionis, nunc longæ narrationis visionum, & apprehensionum suarum, nunc alterius cujuslibet confabulationis. Expertis credite, nominatim Augustino, & Bonaventuræ, inquit Gerson, vix est altera pestis vel efficacior ad nocendum, vel insanabilior.

QUÆR. V. Quid examinare debeat ex parte ipsius revelationis.

RESP. Examinare debet primò an aliquid contineat falsitatis; si enim aliquid habuerit, quantumvis minimum, non est Dei revelatio, sed dœmonis, vel à propria imaginatione ficta. Quia in Spiritu veritatis non datur locus alicui, etiam minimæ falsitati. Ad cognoscendum autem an veritas integra in revelatione reluceat, videndum est, an sit conformis Sacræ Scripturæ, an contineat aliquid contra fidem, aut bonos mores, & veram Theologiam, traditiones Ecclesiæ, & doctrinam communem Sanctorum Patrum. Nam si in aliquo ex his cõtravenerit, talis revelatio falsa est, & illusio. Plan. *cit.* *cap.* 10. §. 1. Secundò ponderandum, an talis revelatio sit necessaria, & de materia gravi,

vi; quia revelationes quę docent res inutiles, leves, & quæ non sunt ad rem, sunt illusiones. Debet etiam adverti, an afferat verba adulationis, quia Spiritus Dei adulator non est. Tertiò revelatio quæ detegit culpas, & peccata proximi est valdè suspecta, pręcipuè si aliqua vox sive interior, sive exterior prædicta peccata propalans audiatur: quæ jubet reprehendere delinquentem, si inde persona, cui fit revelatio, cōcipiat despectum illius de qua facta est revelatio, maximè si reprehensio fieri debeat alicui Prælato, vel Sacerdoti, aut personæ, cui specialis debetur reverentia. Planes *lib.* 3. *c.* 11. qui pariter valde suspectam reputat revelationem, quę exhortatur ad rem aliquam in se quidem bonam, sed singularem, ut si suaderet monialem ad quotidie in communitate jejunandum in pane, & aqua; singularitas enim illa non posset transire sine scandalo; nisi tamen accederet Superioris, aut Confessarii approbatio. Idem affert de revelatione suadente opus bonum, quod esset alteriùs melioris boni impeditivum.

Quær. VI. Quid observare debeat Confessarius ex parte effectuum resultantium ex ipsis visionibus, & revelationibus.

Resp. Inspiciat an hujusmodi communicationes excitent in anima facilitatem ad virtutem, & bona opera, desiderium efficax, & determinationem patiendi pro Christo, propositum dimittendi consolationes sęculi, contemptum sui, & cognitionem propriæ miseriæ. Quando enim Deus alicui communicatur, magis homo cognoscit suam nihilitatem, & miseriam. Quamvis etiam aliquando dia-

bo-

bolus falsam inspiret humilitatem,& aliquando lachrymas excitet sensibilis devotionis, ut postea suos imprimat pernicioſos effectus, qui certè dignoſci possunt,si moveãt voluntatem ad hujusmodi internas cõmunicationes plurimi estimandas,eis tenaciter adhærendo.

Item, an relinquant pacem,lucem,& certitudinem; nam malus spiritus,licèt à principio causet certitudinem, hæc statim perit, & intrat turbatio. An post hujusmodi favores Dei amorem cum summa ipsius reverentia experiatur. Si enim hæc in se sentit signum est esse à Deo, secùs si anima inveniatur arida, & ad vanitatem propensa. Discutiat insuper an hæc dona sint cum cruce, & mortificatione conjuncta,vel antecedenter,vel concomitanter, vel consequenter. Nam donantur ad manifestationem fidei, & utilitatem Ecclesiæ;fides autem manifestatur in mortificatione, & patientia christiana, his enim crescit maximè christiana religio.

Denique inspiciat an occupet animam magnus Dei timor, & tremor,quo mediante roboretur, ne in aliquo etiam minimo delinquat, & fiat cautior, & vigilantior circa proprias obligationes, ne Deo displiceat. Hic optimus effectus est, quia conformis illi monito Apostoli *ad Philip.*2. *In timore, & tremore salutem vestram operamini*. E contra verò si consurgat magna fiducia, & facilitas absque circumspectione, & timore, à malo spiritu est operatio; malus enim spiritus aufert ab anima timorem Dei, ut ad peccatum inducat, prout egit cum Eva illis verbis, *Nequaquam morte moriemini*.

QUÆR.

QUÆR. VII. An ad experiendum prædictæ monialis spiritum possit Confessarius illam, Eucharistiam petentem, decipere, porrigendo hostiam non consecratam pro consecrata.

RESP. Negativè per tradita à Suarez, Pace Jord. Reginald. & aliis apud Dian. *in opere coord. t. 2. tract. 2. resol.* 31. & desumitur *ex cap. de homine de celebrat. missar.* ubi Pontifex loquens de Præsbytero ad evitandum scandalum celebrante, & fictè consecrante, decernit, *falsa esse abiicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora*. Et quidem in nostro casu fieret periculum idololatriæ; si enim monialis esset fortasse bono spiritu destituta, crederet hostiam sibi porrigi consecratam, adeoque pani puro exhiberet cultum debitum soli Deo. Et quamvis respectu monialis, ratione ignorantiæ, idololatria illa esset materialis, respectu tamen Confessarii esset formalis, quia prævisa, & voluntaria; sicuti esset formale, & culpabile homicidium respectu aliquem inebriantis, si prævidisset ebrium exponendum esse probabili periculo illud perpetrandi, quamvis ex parte ipsius ebrii esset tantùm materiale. Quare prædictam fictionem non esse licitam, absolutè sustinendum, maximè stante Decreto Innocentii XI. damnantis in propositione quinquagesima simulatam Sacramentorum administrationem, adeoque simulationem in administratione Sacramenti Eucharistiæ, prout advertit Cardenas *ad prop.* 50. *disert.* 20. *cap.* 3. *nu.* 27.

§. XIII.

§. XIII.

De Confessario Monialium extraordinario.

QUÆR. I. A Quo eligi, & approbari debeat confessarius extraordinarius monialium, etiam regularibus subjectarum.

RESP. Confessarius extraordinarius pro monialibus Episcopo subjectis, ab eodem Episcopo eligitur, & approbatur. Et toties approbari debet, quoties deputatur, nec sufficit, quòd sit semel approbatus, nisi pro iis, quæ obtinuerint indultum S. Pœnitentiariæ eligendi ex approbatis pro monialibus semel tantum. Pro monialibus verò regularibus subjectis approbatur ab Ordinario juxta resolutiones dubiorum S. Congreg. super constitutione Gregorii XV. attamen deputatio, regulariter loquendo, debet fieri à superiore regulari; nam Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 10. *de regular.* statuit deputandos esse ab Episcopo, & aliis superioribus respectivè ad monasteria sibi subjecta. Nec per Constitutionem Gregorii XV. aut aliunde est ipsis talis facultas adempta; & ideò si Episcopus absque justa causa non approbaret, peccaret mortaliter, Pasqual. *in Lauret. num.* 39. Quia indirectè jurisdictionem regularium impediret. Non per hoc tamen confessarius sic injustè reprobatus posset cõfessiones monialium audire, ut habetur ex propositione 13. in ordine inter damnatas ab Alexandro VII.

Dixi

Dixi deputationem in monasteriis exemptis fieri debere à superiore regulari *regulariter loquendo*, quia in aliquibus casibus potest Episcopus deputare confessarium sęcularem, & regularem, etiam alterius religionis, monialibus exemptis; quando scilicet nulla ratione induci possunt, ut peccata sua regularibus confiteantur, Sac. Congreg. *in Regien.* apud Pignatel. *t.8. consult. 53. nu.5.* vel si injustè denegetur confessarius à proprio Prælato regulari, eadem Sac. Congreg. ex Naldo, *v. Episcopus nu. 13.* Verùm advertit Pignatel. *loc. cit.* debere Episcopum uti prædicta facultate cum magna discretione, & ubi de animarum periculo agitur, ne detur causa monialibus liberiùs agendi contra suos superiores.

Quær. II. Quot vicibus in anno debeat concedi monialibus confessarius extraordinarius.

Resp. Ex Trident. *loc. cit.* bis, aut ter in anno debet offerri. Et hoc etiam si occasione alicujus jubilæi fuerit alia vice concessus, quia privilegium, & gratia principis debet aliquid operari; nihil autem operaretur, si in illis tribus vicibus computaretur concessio facta virtute jubilæi. Neque Prelatus in alicujus criminis pœnam potest pro prædictis tribus vicibus confessarium denegare, cùm hoc illis competat virtute Tridentini; privilegium autem à superiore concessum non potest per inferiorem neque tolli, neque restringi, nisi de ipsius superioris interpretativa voluntate, quæ in præsenti casu non potest præsumi, tum quia non desunt aliæ pe-

næ,

næ, quibus monialium delicta corrigantur; tum quia ordinariè loquendo, non omnes solent esse in delicto participes, atque adeò delinquentium pœnam portare non debent insontes.

QUÆR. III. An Episcopus possit per plures vices, quàm ter in anno, confessarium extraordinarium Monialialibus concedere.

RESP. Ex Bordon. & Diana *p.* 6. *tract.* 8. *res.* 28. posse. Quia omne id censetur concessum, quod non reperitur expresè prohibitũ, maximè quando versamur in materia animæ favorabili, *cap. consuluisti*, 2. *q.* 5. Neque Tridentinum statuendo quòd bis, vel ter in anno offeratur confessarius extraordinarius, limitat ad tres vices tãtùm Superioris facultatem, sed tantùm indicat, quòd per paciores vices non debeat, non autem quòd per plures non possit.

QUÆR. IV. An Episcopus possit deputare confessarium extraordinarium pro moniali particulari.

RESP. Universaliter loquendo non posse, Sac. Congreg. Episc. *in Panormitana* 27. *Maii* 1603. Neque perpetuum, neque ad tempus; eadem Sac. Congreg. *in Januensi*, 27. *Aprilis* 1657. Nisi per Sacram Pœnitentiariam pro una vice tantùm, vel de licentia Sac. Congreg. ut declaravit *die* 1. *Septemb.* 1645. Verùm Bordonus *in Miscel. decis.* 154. sustinet, debere quandoque Episcopum concedere certæ moniali petitum confessarium, ut liberiùs suæ conscientiæ possit consulere, maximè si monialis rarissimè illum petit, & petitus confessarius est vitæ spectatæ.

Censetur enim justa causa expurgatio propriæ conscientiæ cum majori libertate, quod præcipuè attendendum est respectu monialium, quæ ex verecundia solent sæpè ea peccata reticere, quæ sine verecundia commiserunt. Hinc colligit idem Bordon. *decis.* 47. posse à fortiori concedere specialem confessarium moniali laboranti in extremis, quia, cùm in tali periculo animarum saluti omnibus mediis sit succurrendum, talis ingressus est rationabilis, juxta exigentiam *cap. uni de statu Regul. in* 6. & necessarius, juxta Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. Immò potest concedere, etiam si monialis illum petat, non pro peccatorum confessione, sed pro animæ suæ solatio, quia tale periculum consolatione indiget.

QUÆR. V. An Moniales possint recusare confessarium extraordinarium à Superiore oblatum.

RESP. Si loco ipsius alium petant, non possunt recusare, nisi allegata causa recusationis, ut diximus, cùm de confessario ordinario; Si verò illum recusent nullum alium loco ipsius petendo, possunt sine causa recusare; quia confessarius extraordinarius inductus est in earum favorem, quisque autem juri suo potest sine causa renunciare. Bordon. *ubi supra decis.* 166. Hinc sequitur, non teneri singulas moniales eidem confiteri, cum verba illa Concilii, *qui omnium confessiones audire debeat*, non imponant obligationem; nam verbum *debet*, quando respicit personam, de cujus favore agitur, non importat necessitatem, ut notant Felin. &

Tusch.

Tusch. relati à Pasqual. *loc. cit.* solùmmodò prædicta verba innuunt, quòd extraordinarius non possit deputari pro aliquibus, & non pro cæteris, sed pro omnibus sit deputandus, ita ut omnes, si velint, possint confiteri. Ex præcepto tamen Sac. Congreg. Episc. tenentur omnes coram confessario extraordinario se præsentare, ne discerni possit, quænam sint, quæ ipso indigent, & quæ non.

QUÆR. VI. An moniales tempore Jubilæi possint eligere in confessarium Sacerdotem non approbatum in specie ad audiendas monialium confessiones.

RESP. Non posse, firmant Molfesius, Alphons. de Leon, Faustus, & Polac. quos refert, sed non sequitur Bordon. *Miscell. dec.* 21. Ratio est, quia vigore Jubilæi non possunt eligi ad confessiones monialium nisi approbati ab ordinario; sed qui generaliter approbati sunt ad confessiones sæcularium, nequaquam censentur approbati ab Ordinario ad confessionem monialium, ut expressè statuitur *in Constit. Clementis X.* quæ incipit, *Superna*: Ergo qui generaliter sunt approbati ad confessiones sæcularium, non possunt virtute Jubilæi eligi od confessiones monialium. Quod patet etiam ex declaratione Sac. Congregat. missa ad Episcopum Abulensem *anno* 1593. & relata ab Arauxo *in Select. tract.* 1. *qu.* 8. *sect.* 3. *num.* 15. in qua habetur, quòd approbatus ad audiendas confessiones certi generis personarum, vel in certa Ecclesia, non censetur approbatus simpliciter, ac proinde quòd non potest virtute Jubilæi eligi ad audiendas confessiones aliarum

rum personarum, aut extra ecclesias ipsi designatas.

QUÆR. VII. An monialibus, quæ ratione infirmitatis confessarium extraordinarium adire non potuerunt, ubi convaluerint, teneatur Episcopus confessarium extraordinarium concedere.

RESP. Non teneri, contra Pellizarium; quia Concilium nihil aliud disponit, nisi quòd confessarius extraordinarius omnibus offeratur; quotiescumque autem exhibetur communitati, quæ omnes moniales repræsentat, pro omnibus exhibetur. Neque obstat, quòd prædicta dispositio non possit sortiri suum effectum quoad infirmas, utpote adire confessarium impeditas. Nam finis Concilii fuit consulere quidem singulis monialibus, sed non uti singulis, & divisivè, sed ut unum corpus constituentibus, & collectivè. Cum enim verba illa, *qui omnium confessiones audire debeat*, ita debeant accipi, ut confessarius sit deputandus pro omnibus, non pro singulis, ut ex Pasqualigo supra retulimus, clarè patet, quòd mens Concilii fuit providere pro omnibus collectivè, non divisivè. Quod etiam declaratur ex praxi, nullibi enim, quod ego viderim, pro hujusmodi monialibus, ubi convaluerint, confessarius extraordinarius deputatur; praxis autem est optima cujusvis dispositionis interpres; *l. si de interpretatione, ff. de legib.* Mantica, & alii apud Gonzalez *super Regul. Cancell.* §. 1. *num.* 40. Præter quam quòd dispositio potest sortiri suum effectum etiam quoad infirmas, quia infirmitatis impedimentum, est rationabilis,

& ne-

& necessaria causa concedendi confessario ingressum in clausuram.

QUÆR. VIII. Quibus temporibus, & ad quot dies Prælati monialium debeant confessarium extraordinarium deputare.

RESP. Cùm Tridentinum nihil determinet neque circa tempora, in quibus fieri debet deputatio, neque circa dies pro audiendis confessionibus concedendos, utrumque à Prælatorum pendet arbitrio. Praxis tamen ferè communis quoad primum est, ut dicta deputatio fiat in unoquoque quadrimestri, quare cujusque diœcesis servanda consuetudo, cùm hæc vim habeat legis. Ex quo fit, quòd si moniales tribus primis mensibus anni peterent confessarium extraordinarium pro illis vicibus, quibus ipsis conceditur à Concilio, non tenentur Prælati illarum annuere petitioni. Quoad secundum verò non una in omnibus diœcesibus servatur regula; nam alicubi determinantur quindecim dies, alibi laxior dierum indulgetur mensura, & aliquibus in locis nulla fit temporis præfinitio. In hoc, crederem, monasteriorum habendam esse rationem, & juxta perfectionem, & regularum observantiam, nec non majorem, vel minorem monialium numerum, tempus esse indulgendum, adhoc ut confessarius majori diligentia, & monialium utilitate possit suum munus obire.

QUÆR. IX. An tempus, v. g. quindecim dierum concessum ad audiendas monialium confessiones incipiat currere à die expeditæ licentiæ, vel à die incepti exercitii

confessionum; & an illi quindecim dies debeant esse continui, vel possint sumi interpolati.

Resp. Quando non obstet vel consuetudo, vel statutum aliquod particulare, incipere à die cœpti exercitii. Quia tempus respiciens actum incipit cum ipso actu, ut tradunt Glos. *in cap. Anteriorum init.* 11. *qu.* 6. Imola, Baldus, & alii. Unde cùm tempus quindecim dierum respiciat exercitium confessionum, debet incipere ab ipso exercitio. Non tamen per hoc quindecim dies debent sumi interpolati, sed continui, quia, licèt concessio sit facta quoad exercitium, attamen quo ad durationem coarctat exercitium tali tempori; unde exercitium semel inchoatum sequitur naturam temporis; tempus autem de sui natura dicit continuitatem, præcipuè quando est determinatum à lege, vel statuto, *l. Genero, ff. de his, qui nat. infam.* & observant Lappus, Albert. Vela, & Bordon. Verum quidem est, quòd tempus quindecim dierum non est ita strictè sumendum, ut ad decem, & septem non possit extendi, ob regulam illam juris communiter receptam, dies termini non computantur in termino, quæ in præsenti materia, utpote favorabili animæ, est admittenda.

Quær. X. An confessarius extraordinarius elapso termino possit absque nova licentia audire monialis confessionem tempore habili incœptam, quæ vel ratione alicujus casus reservati, vel ratione majoris discussionis, non potuit intra præfixum tempus compleri.

Resp.

Resp. Posse, & ita tenere debent Enriq. Rodriq. Sanch. Bossius, & alii relati à Pasqual. *de Jejun. decis.* 160. *num.* 5. quatenus asserunt, quòd, quando durante Jubilæo confessio Sacramentalis est incœpta, si confessarius non potuit absolvere pœnitentem, quia habet casus indigentes discussione, potest absolvere à reservatis elapso Jubilæo, etiam si prius non abstulerit reservationem, quia, quando causa est cœpta, partes acquirunt jus ad terminationem ipsius, non obstante quòd deberet expirare jurisdictio delegati, *cap. licet undique*, *cap. gratum*, *cap. relatum*, *de offic. de leg.* & notat Sanctarel. *de jubil. cap.* 8. *dub.* 7. alios citans. Cùm igitur etiam in nostro casu acquisitum sit jus ad confessionem complendam, eo ipso quòd est incœpta debito tempore, poterit compleri, quia censetur prorogari tempus, donec confessio compleatur. Quod etiam potest præsumi ex benigna Superioris voluntate.

Quær. XI. An Confessarius extraordinarius possit absque speciali licentia celebrare in Ecclesia monialium, ad quarum confessiones audiendas est deputatus. Immò & iis ministrare Eucharistiam, & concionari, durante facultate ad confessiones.

Resp. Videri, quòd sic; quia cùm confessarius ordinarius monialium sit illarum Parochus, & earum Ecclesia dicatur quasi parochialis, Bordon. *Miscel. decis.* 129. confessarius quoque extraordinarius, durante illius munere, censendus erit pro illo

tempore Parochus, cùm succedat in locum, & jurisdictionem Ordinarii. Unde poterit in Monialium Ecclesia, tanquam in sua parochiali, celebrare, Eucharistiam ministrare, nec non coram illis concionem habere, cùm hæc omnia ad munus pastorale pertineant. Nihilominus, nisi concurrat consuetudo, & ex circumstantiis possit præsumi voluntas Superioris, oppositum sustinendum puto, quia celebrationis, communionis, & concionis actus sunt diversi ab exercitio confessionis; à diversis autem non fit illatio. Et hoc præcipuè attendi debet quoad actum concionandi, ut optimè advertit Tamburin. *de jur. Abbatis. disp.* 16. *q.* 9. *nu.* 1. Tum quia praxis communis est in contrarium, tum quia ex reprehensione facta alicujus defectus inter concionandum, alicui moniali minùs prudenti, & plus æquo suspicaci, potest suspicionem ingerere, se loqui ex notitia habita in confessione, cujus rei cavenda est etiam quælibet remotissima suspicio, ne moniales neque in minimo possint diffidere de sigillo. Vide Pignatel. *t.* 8. *consult.* 62. *nu.* 33.

CA-

CAPUT VII.

De Monialium obligatione quoad Clauſuram.

§. I.

De Clauſura in communi.

QUÆR. I. QUid veniat appellatione clauſuræ.

RESP. Venire totum illud ſpatium monaſterii, ad quod liber eſt acceſſus ipſis monialibus, & non ſæcularibus perſonis. Clauſura conſiſtit in indiviſibili, quare ſi monialis ad unum, vel duos pedes exeat, quamvis ſtatim regrediatur, clauſuram violat. Item ſi ambobus pedibus ſe transferat extra januam limites clauſuræ terminantem, etiam ſi ſit intra illius ſpatium, quod eſt intra monaſterii portam clauſam, & inter aliam ſæcularibus patentem. Ita Rodriq. & Sanchez, *in Sum. cap.* 15. *num.* 7. *lib.* 6. Item ſi appenſo fune ex liminari oſtii clauſuræ monaſterii, eaque manibus apprehenſa ſe toto corpore à terra elevatam agitet motu reciproco modò intra clauſuram, modò extra. Item ſi aſcendat arborem poſitam in horto monaſterii, & procedat ad ramum omninò prominentem extra murum clauſuræ. Neque excuſari poteſt præfata monialis ratione parvitatis materiæ, quia clauſura, ut diximus, certis terminis definitur, quos æquè

excedit is, qui à monasterio longè recedit, ac qui ad duros pedes egreditur. Ita Bonac. *tract. de Claus. q.* 1. *punt.* 4. *nu.* 2. Contrarium docent Naldus, *v. clausura, nu.* 1. Graffius, & Merolla, quod non admittit Sanch. *lib.* 6. *cap.* 16. *nu.* 30. ubi tantùm concedit materiæ parvitatem in ingressu, vel egressu semiplenо, nempè quando pars corporis est intra, pars extra, ita ut non referat, si major pars sit intra, aut extra; nam cùm totum corpus non est intra, aut extra, perfectus exgressus, aut ingressus non datur. Quare non violat clausuram monialis, si ascendat murum Monasterii, eique virili more quasi equitans insideat.

QUÆR. II. An limen ostii sit intra, vel extra clausuram.

RESP. Asserunt aliqui apud Sanch. *loc. cit.* esse intra clausuram. Negant alii, quia limen ostii partim est intra, partim extra clausuram. Distinguunt alii, si clauso ostio limen remaneat intra, erit comprehensum in clausura, si verò extra remaneat, dicetur extra clausuram, ut per Bartol. *in l.* 1. *ff. de cloac.* Fran. *decis.* 402. *nu.* 11. Eodem modo aliqui discurrunt de Rota; unde Monialem, quæ se ponens in rota eam volvit ad partem exteriorem, ad quam accedunt sæculares, non tamen egrediendo è rota, alii absolvunt, alii condemnant, præcipuè Comitolus apud Bonacin. *loc. cit.* ubi advertit, quòd Monialis fortè graviter peccat ratione alicujus periculi mortalis.

QUÆR. III. An tectum sit extra clausuram.

RESP.

Resp. Negat Diana, & cum illo plures alii *p. 5. tract. 13. res. 88.* At affirmativè respondit Sac. Congreg. dum mandavit absolvi cum pœnitentiis salutaribus quasdam moniales, quæ bona fide ascenderant supra tectum ad siccanda frumenta, & pastas ab ipsis elaboratas, sive ad videndum quoddam festum, cum speciali prohibitione illuc ultra ascendendi propter quamcunque causam. Ita *in Comensi 18. Septemb. 1609. & in Lycien. 16. Septemb. ejusdem anni.* Bonacina verò, & Sanchez *locis citat.* distinguendo sustinent, quòd si tectum monasterii correspondeat spatio extra clausuram, censetur extra clausuram, secus verò si spatio intra clausuram correspondeat; quia tunc reputatur quædam pars Monasterii.

Quær. IV. An monialis urbanitatis, vel curiositatis gratia egrediens è proprio monasterio, & in aliud contiguum ingrediens, violet clausuram.

Resp. Non videtur violare formaliter, sed tantùm materialiter; clausura enim *est locus ille qui janua clausa continetur, ad quem sæcularibus non patet accessus*, ut ex Gregorii XIII. Constitutione colligunt Sanch. *in decal. lib. 6. cap. 15. nu. 6.* Donat. *tom. 3. tract. 3. qu. 1. nu. 5.* & Mendo *v. monasterium nu. 3.* Unde clausura duo dicit de suo formali, nempe quòd sit locus qui janua clausa contineatur, & quòd sit locus, ad quem sæcularibus non pateat accessus; adeoque violatio formalis, & perfecta est egressus è loco, qui janua clausa continetur, ad locum, ad quem sæcularibus pateat accessus. Hujusmodi au-

tem non est egressus monialis ad monasterium immediatè contiguum, quia est egressus de clausura ad clausuram. At violare formaliter clausuram censeo cum Pellizario, & Bordon. quia monialis non profitetur clausuram in communi, sed propriam sui monasterii. Tum quia sicut unum monasterium constituit diversam communitatem ab alio, nec cum alio communicat in regimine, sic etiam constituit diversum locum, juxta ea, quæ notant Abbas *in cap. nimis de jure jur.* Cardinal. *in Clement.* 2. §. 1. *q.* 4. & consequenter cum alio non communicat in clausura. Quare monialis prædicta est rea violatæ formaliter clausuræ, & quidem dupliciter, sunt enim duo actus, egressus videlicet, & ingressus, unde etiam duplicem contrahit excommunicationem, prout rescripsit Sac. Congreg. Archiepiscopo Panormitano 21. *Augusti* 1699. & 14. *Septemb.* 1699.

QUÆR. V. An Clausura sit juris naturalis, divini, vel humani positivi.

RESP. Esse juris humani positivi, constat ex pluribus decretis, & constitutionibus summorum Pontificum, ut videre est apud Nald. *v. clausur. nu.* 4. & Cherubin. Et expressè clausuram istam imposuit Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 5. *de regular.* Cùm igitur clausura sit juris humani positivi, sequitur, quòd à clausuræ legibus excusabuntur moniales in iis locis, ubi præcepta clausuram indicentia non sunt recepta, vel ubi contraria consuetudine sunt legitimè abrogata, Azor. & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonac. *q.* 1. *punt.* 3. *n.* 2. Quod tamen non procedit quoad illas mo-

nia-

niales, quæ sub expresso voto se obligant ad clausuram.

QUÆR. VI. Quibusnam competat monialium clausuram tam formalem, quàm materialem custodire.

RESP. Jus cogendi moniales Episcopo subjectas ad observantiam clausuræ spectare ad ipsum Episcopum auctoritate ordinaria. In monasteriis verò sedi Apostolicæ immediatè subjectis spectare ad Episcopum auctoritate delegata. Quoad Moniales autem regularibus subjectas, certum est, Episcopum nullum jus habere auctoritate ordinaria; ideò enim vocantur exemptæ, quia non subduntur jurisdictioni Episcoporum ordinariæ.

QUÆR. VII. An saltem competat Episcopis custodire clausuram in Monasteriis exemptis auctoritate delegata.

RESP. Auctores Regulares rationibus, & auctoritatibus Doctorum ducti mordicùs sustinent, nullam Episcopis esse delegatam jurisdictionem super moniales exemptas etiam in ordine ad clausuram. Ita Navar. Sanch. Tamburin. Miranda, Pellizar. & alii, & hanc sententiam probabilem putat Thomas Del Bene *de Immunit. cap.* 14. *dubit.* 22. *num.* 20. Nihilominùs certissimè tenendum est, competere Episcopis auctoritate delegata monialium exemptarum clausuram tam materialem, quàm formalem custodire. Clarè habetur ex constitutione Gregorii XV. quæ incipit *Inscrutabili*, & Sacra Congreg. pluries censuit, *licere Episcopo, quoties opus esse judicaverit, monasteria*

Mo-

Monialium Regularibus subjectarum quoad clausuram visitare, monialesque ipsas in his, quæ ad clausuram pertinent, alloqui, & examini subiicere absque Regularium interventu, & ipsis inconsultis; & scribens Archiepiscopo Mediolanensi dixit: *Episcopus visitans clausuram monialium Regularibus subjectarum potest ipsas examinare in his, quæ pertinent ad clausuram, & potest etiam sermonem habere ad Moniales intra, vel extra ad crates, & Sacramenta ministrare, die* 23. *Martii* 1578. *& die* 24. *Aprilis* 1579.

Quòd autem custodia clausuræ in monasteriis exemptis demandata sit etiam formaliter; habetur ex Sac. Congreg. Episc. & Regular. quæ censuit, quòd *Moniales Regularibus licèt subjectas alloqui nemo possit absque licentia Episcopi vel ejus deputati, die* 24. *Augusti* 1594. quod censuit etiam in Urbinaten. *die* 13. *Martii* 1663. Cùm enim quereretur, *an in edicto, quod nemo ingrediatur monasteria Monialium, vel cum ipsis loquatur sine licentia Archiepiscopi, possint comprehendi Moniales Sanctæ Claræ exemptæ à jurisdictione Archiepiscopali; Sacra &c. respondit affirmativè*. Demum hoc declaravit Sacra Congregat. Concil. approbante Clemente IX. *die* 11. *Maii* 1669. quod Decretum confirmatum etiam fuit ab Innocentio XI.

Quær. VIII. An prædicta facultas competat locorum Ordinariis cumulativè quoad Superiores Regulares, vel privativè.

Resp. Spectare cumulativè. Ita Sac. Congreg. Episc. *in Fossanen.* 31. *Augusti* 1658. independenter tamen à Superioribus Regulari-

ribus. Ita quòd Superior Regularis non possit prætendere visitare velle clausuram monialium sibi subjectarum simul cum Episcopo, vel assistere ejus visitationi; eadem Sac. Congreg. *in Fulginaten. 10. Januar. 1648.*

QUÆR. IX. An, si aliquod monasterium habeat privilegium, quòd non possit nisi semel ab Episcopo visitari, hoc tamen non obstante visitari, possit, si occurrat aliquod fortuitum, ratione cujus probabiliter timeri possit, quòd clausura passa sit aliquod detrimentum.

RESP. Posse visitari. Ita Pasqual. in Lauret. *nu.* 29. Quia privilegium, quòd possit tantùm semel visitari, non excludit casus extraordinarios, pro quibus visitatio clausuræ est moraliter necessaria. Cùm enim valdè interesit monasterio, & utilitati singularum monialium perfecta observantia clausuræ, vergeret in detrimentum Monasterii, si non posset applicari remedium, quod à Concilio institutum est pro tali observantia; & ideò talis applicatio non excluditur à privilegio, quod cum sit concessum in commodum, & favorem Monasterii, non debet effectum contrarium operari, juxta regulam juris *l. Nulla jurisdic. ff. de legib.*

QUÆR. X. Quomodo Monialium clausura debeat custodiri.

RESP. Monialium clausura ita debet custodiri, ut sit circumsepta altis mœniis, ne à vicinis, quicunque isti sint, & ex eorum ædibus monasteria inspiciantur. Et ideò pro opportuno remedio potest Episcopus extollere murum viridarii Regularium, sumptibus,

cui-

cui de jure, Sac. Congreg. Concil. *in Urbinaten.* 10. *Martii* 1663. & claudere feneſtras ſaltem vitreis ſpeculis, ſi non reſpondeant in clauſuram, ita ut non poſſint aperiri. Ita etiam feneſtræ omnes, & quævis alia foramina regularium reſpicientia in hortum, & clauſuram monialium, omninò claudenda ſunt, Sac. Congregat. Epiſc. *in Amerina* 23. *Decembr.* 1603. nulloque modo debet eſſe proſpectus in monaſteria monialium, & è contra, ne quidem à feneſtris turris campanariæ alicujus Eccleſiæ vicinæ, ut *in Portugalen.* 16. *Aprilis* 1605. ſed pleno muro feneſtræ debent obſtrui, ut *in Aquilana* 31. *Julii* 1612. etiam illæ, quæ ſunt in monaſterio monialium, per quas videre poſſunt, ac videri, ut *in Parmenſi* 28. *Novembris* 1636. Quinimmò prohibetur monialibus ſub gravibus pœnis uſus teleſcopii, ſeu conſpicilli tabulati longioris, ut *in Anconitana* 1. *Octobris* 1647. Nec alicui debet permitti ædificium tollere, ſi per illud habeatur proſpectus in Monaſterium, ut *in Interamnenſi* 15. *Maii* 1612. ſuntque demoliendæ manſiones conſtructæ in viculo intermedio, & claudendum eſt ambulacrum, quod à tecto monaſterii imminet, eique prædominat, ut *in Aſſiſien.* 11. *Junii* 1653. non obſtante qualibet appellatione, vel recurſu, ut *in Converſanen.* 8. *Auguſti* 1653.

QUÆR. XI. Quænam veniant nomine Monialium, quæ clauſuram ſervare debeant.

RESP. Venire omnes illas fœminas, quæ pro-

professionem emittunt in religione approbata, & in congregatione vivunt, cujuscunque Ordinis sint. Unde si aliquæ fœminæ solemnem professionem facerent hac conditione, ut in domo propria manerent, non tenerentur ad clausuram, quia jura obligant ad clausuram moniales in congregatione viventes. Contrarium dicendum est de illis, quæ in Congregatione vivunt, quamvis tempore professionis habuerint animum non se obligandi ad clausuram, cùm onus clausuræ non oriatur à voluntate monialium, sed ex dispositione summorum Pontificum moniales professas ad clausuram obligantium. Videatur Miranda *tract. de monial. qu.* 1. *ar.* 4. *concluf.* 5. Fœminæ verò, quæ non sunt veræ moniales, quamvis aliqua vota simplicia emittant, clausuræ legibus non ligantur, etiam si vivant collegialiter, atque sub obedientia vel spontanea, vel etiam privato voto, aut pacto promissa; nisi tamen habuerint statum ab Ecclesia pro religioso approbatum, & in eo tria vota substantialia emiserint. Solummodò tenentur ad observantiam Constitutionis Pii V.

§. II.

De Licentia ad ingrediendam clausuram requisita.

QUÆR. I. CUinam competat concedere licentiam ad ingrediendam clausuram.

RESP. Soli Episcopo competere jus con-

concedendi licentiam ad ingressum auctoritate quidem propria in Monasteria sibi subjecta, auctoritate verò delegata in iis, quæ Romano Pontifici immediatè subsunt. Quoad monasteria verò exempta, & Regularibus subjecta, licèt Franciscus Leo, Quaranta, & alii, immò & Sac. Congreg. Concil. antiquitùs tenuerint ad Superiores Regulares spectare licentiam hujusmodi concedere, nihilominus eadem Sac. Congreg. *sub die* 13. *Novemb.* 1610. statuit, & decrevit, *ut deinceps intra hujusmodi septa nemini ingredi, nec alloqui liceat, nisi licentiæ concedendæ in casibus necessariis, quæ moniales respiciant, ne dum à Superioribus Regularibus dictorum Monasteriorum, sed etiam à locorum ordinariis obtentæ fuerint, non obstantibus quibuscunque contrariis, legibus, statutis, & consuetudinibus immemorabilibus*, Immò eadem Sac. Congreg. *sub die* 21. *Maii* 1630. Urbano VIII. approbante statuit, & decrevit, in illis locis in quibus adest consuetudo, ut licentiæ hujusmodi ab Episcopis tantùm concedantur, talem consuetudinem esse observandam, & ipsorum Episcoporum tantummodò licentias sufficere etiam privativè quoad ipsas Regulares. Idem fuit resolutum *in Auximana die* 15. *Julii*, *& in Perusina die* 12. *Augusti* 1645.

QUÆR. II. Quinam alii possint prædictam licentiam concedere.

RESP. Posse Vicarium Generalem, si ad hoc habeat speciale mandatum, non enim sufficit generalis facultas, ut declaravit Sac. Congreg. teste Suarez *de Relig. t.* 4. *tract.* 8. *lib.* 1.

lib. 1. cap. 10. nu. 11. Capitulum quoque Sede vacante, ejusque Vicarium etiam quoad monasteria exempta, quia succedit etiam in jurisdictione delegata, quando hæc est in perpetuum commissa muneri episcopali, ut diximus *cap. 6. §. 2. q. 2.* Item Episcopum electum, & confirmatum, quamvis non consecratum, cum possit jurisdictionem exercere, *cap. transmissam de elect.* tum Abbates sæculares, tum similes Abbates inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, si habeant monasteria sibi subjecta, Cassian. à S. Elia *v. Clausura n. 114.* Ubi viget consuetudo, quòd Superiores Regulares concedant dictam licentiam pro monialibus sibi subjectis, pollent hac facultate Provinciales, quia veniunt nomine Superiorum, cùm sint veluti Episcopi quoad jurisdictionem respectu suorum subditorum, non verò veniunt Prælati locales. Poterunt tamen Generales, vel Provinciales committere hanc facultatem alicui Prælato locali, qui item sit Prælatus localis monialium, secus non possent committere, ut advertit Suar. *loc. cit. cap. 10. num. 14.* quia Tridentinum vult, solis Superioribus hanc facultatem competere, tales autem simpliciter dicuntur illi, qui sunt in capite. Oppositum sustinet Pasqual. *in Laurer. nu. 31.*

QUÆR. III. An Abbatissa possit dictam licentiam concedere.

RESP. De jure ordinario non potest. Ita Monach. *cap. periculos. nu. 1. & 2. de stat. regular. in 6.* Dominic. *nu. 10.* Franc. *nu. 5.* & alii, quia illius est licentiam dare, cujus est

claú-

clausuram indicere, potest tamen ei competere per delegationem Superioris, *ex cap. 1. de stat. regular. in 6.* & tradunt Navar. Graff. & Manuel, quos refert, & sequitur Sanchez *loc. cit.* Nunquam tamen ex natura rei excluditur Abbatissæ, aut monasterii consensus ultra Superioris facultatem ad ingrediendam clausuram; quamvis sit dabilis casus, quòd Prælatus possit licentiam concedere, ac cogere, ne moniales ingressum impediant, & hoc pendet ex modo jurisdictionis, & causæ hìc, & nunc occurrentis. Cassian. *ubi supra num.* 105.

QUÆR. IV. An licentia ingrediendi monasteria monialium debeat esse in scriptis.

RESP. Affirmativè. Constat ex illis verbis Concilii, *Licentia in scriptis obtenta*. Et proinde deficiente scriptura licentia erit nulla, quia non servabitur forma in concessione à Concilio præscripta; ablativum enim absolutum importat conditionem, *l. à testatore ff. de condit. & demonst.* & notant communiter Doctores; & proinde importat etiam formam, Bal. *in Authent. Matri, & Aviæ*. Surd. *cons.* 371. *num.* 69. & ideò in forma specifica impleri debet; ita ut si non impleatur, actus sit nullus. Merlin. *decis.* 247. *num.* 10. Hinc si Superior generalem licentiam ingrediendi concedat omnibus illis, quos Abbatissa, vel Confessarius necessarium esse judicaverit, debet in scriptis hanc concessionem facere, quia illa concessio est vera licentia pro ingressu, ita Sanch. & Castro Pal. *p.* 3. *disp.* 4. *qu.* 10. §. 2. *num.* 6. Verùm si quis ingrediatur cœnobia monialium cum

li-

licentia oretenus tantum concessa, non peccare mortaliter, nec pœnas incurrere, sentire videtur Sousa, quia defectus scripturæ censetur levis. Immò Homobonus, & Bellochius, quos refert, & non reiicit Diana *part.* 3. *tract.* 2. *res.* 129. docent absolutè non requiri licentiam in scriptis nisi quoad forum exterius; nam in interiori animæ foro, in quo veritas attenditur, sufficit, ut consensus jure naturali requisitus interveniat. Quod admittit etiam Llamas *in Methodo curat. in append.* §. 6. quando causa est clara, ut in ingressu Confessariorum, Medici, Chirurgi, & aliorum hujusmodi necessariorum monialibus, quia omnes isti excipiuntur *in cap. periculoso*, juxta Gloss. *v. causa de stat. Regular. in 6.* Attamen illas excipi, negat Sanch. *ubi supra num.* 33. quia Concilium absque ulla exceptione licentiam in scriptis requirit.

Quær. V. An hujusmodi licentia debeat esse specialis.

Resp. Affirmativè, ita ut non sufficiat, si facultas alicui concedatur ad quoscunque actus, quos Superior potest concedere, habetur expressè *in d. cap. periculoso*, *nisi speciali licentia*. Non tamen per hoc est invalida licentia generalis, ut omnes Medici, Chirurgi, bajuli, aliique similes ingrediantur, quia licèt sit generalis quoad personas, tamen est specialis quoad licentiam ingressus. Miranda *de Monial. q.* 2. *art.* 4.

Quær. VI. An in aliquo casu possit quis ingredi clausuram sine licentia nec in scriptis, nec oretenus concessa.

Resp.

Resp. Posse, quotiescunque ex dictæ licentiæ expectatione grave damnum immineret. Non enim lex humana obligat cum eo rigore. Navar. Graff. & communiter. Unde si contingat, quòd aliquis Sacerdos simplex sive regularis, sive sæcularis vocetur ad ingrediendam clausuram, ut confessionem monialis ex inopinato casu morientis audiat, vel extremam unctionem administret, potest, & tenetur ingredi, confessionem excipere, ac extremam unctionem ministrare. Similiter in casu incendii, ruinæ monasterii, violentiæ illatæ, & similium eventuum, licitum est monasteria ingredi absque licentia.

Quær. VII. An saltem in prædicto casu postulanda sit licentia ab Abbatissa.

Resp. Si Abbatissæ commissa sit facultas licentiam concedendi, certum est ab Abbatissa esse expostulandam. Si verò talis facultas non sit commissa, variant Doctores, an ejus sit postulandus consensus. Affirmant Rodriq. & Sanchez, quia credendum est, Prælatum pro his casibus urgentibus, quibus consuli non potest, vices suas Abbatissæ commisisse, ut sic majori cum decentia ingressus fiat, & quoad fieri potest, lex de præmittenda licentia observetur. Sed cur in his casibus sustineri non potest, Superiorem, immò & Papam immediatè licentiam impertiri cuicunque alteri ad occurrendum monasterii indigentiis necessario? Ideò non esse postulandam ab Abbatissa talem licentiam, docent Navar. Graff. & plures alii.

Quær. VIII. An licentia absolutè, & in-

indefinitè concessa extinguatur prima vice.

Resp. Castro Pal. *loc. cit.* & alii putant pro unica vice tantùm valere; tum quia est dispensatio in lege, & ideò stricti juris, tum quia sermo simpliciter prolatus præsertim in odiosis intelligitur de unicâ vice, *l. Boves §. hoc sermone ff. de verb. significat.* Contrarium sustinent alii, præsertim Januar. *de casib. reserv. ref.* 28. quia sermo indefinitus equivalet universali. Censeo cum Pasqual. *in Lauret. nu.* 31. §. *est etiam*, quòd inspicienda sit causa, quæ movet ad concedendam illam licentiam, quia accipit declarationem ab ipsa, quare si causa requirit plures actus, eandem extensionem recipiet etiam licentia. Hæc tamen doctrina non habet locum in licentiis concessis à Papa, quia ut plurimùm non respiciunt indigentiam monasterii, sicuti respiciunt licentiæ concessæ ab Episcopo, vel aliis Superioribus, quæ concedi non possunt nisi ex causa necessaria, unde illæ debent strictè interpretari. Quare si Pontifex concedat alicui, quòd tribus vicibus ingredi possit tria monasteria, non poterit ingredi tribus vicibus singula monasteria, sed semel tantùm, quia numerus trium respondebit numero monasteriorum. Ita declaravit Paulus V. in Constitutione, quæ incipit *Facultatum sub die* 1. *Septemb.* 1608.

§. III.

§. III.

De Causa requisita ad concedendam dictam licentiam.

QUÆR. I. QUænam causa requisita ad hoc, ut dicta licentia concedi possit.

RESP. Debet esse causa necessaria, ut habet Concilium, qua deficiente licentia erit nulla ex defectu potestatis, quia conceditur solùm pro casibus necessariis. Ista autem necessitas, non est necessarium, quòd sit absoluta, sed sufficit quæcunque necessitas, quæ attentis circumstantiis exhibeat rationabilem causam. Quia decretum Concilii sumit declarationem à jure cõmuni; de jure autem communi sufficit rationabilis causa, quæ debet esse manifesta, ut *in cit. cap. periculoso*, & ita cum aliis notat Tamburin. *disp.* 24. *q.* 1. *nu.* 1. & Barbos. *loc. cit. nu.* 48. Sufficit tamen quòd sit manifesta soli Prælato, quia solius Prælati est justitiam causæ indicare. Ita cum Lezana, Bonac. & Rodriquez; Del bene *de immun. cap.* 19. *dub.* 39. *num.* 3. ubi addit sufficere quòd sit manifesta soli Prælato moraliter, ideſt quòd probabiliter judicet, esse justam, quia in moralibus probabilitas sufficit ad rectè operandum; secus si causa fuerit tantum dubia, Sanch. Tamburin. & Barb. *loc. cit.* ubi dicit minorem causam requiri pro ingressu fœminarum, quàm virorum, & pro ingressu diurno, quàm nocturno, quia minùs est indecens; & pro ingressu

gressu matris, aut sororis, vel alterius consanguineæ, quàm extraneæ, quia magis pietatem concernit; & pro ingressu in priora receptacula, quàm in officinas interiores, & cubicula, quia minùs clausuram offendit. Hoc tamen non placet Bonac. *de claus. qu.* 4. *punct.* 4. *n.* 2. Quia monialium clausura formaliter violatur tam ingressu fœminarum, quàm virorum, & tam ingressu ad loca prope januam, quàm ad longè remota.

QUÆR. II. An necessitas, quæ requiritur ad concedendam licentiam, debeat se tenere ex parte Monasterii, vel sufficiat, quòd se teneat ex parte extraneorum.

RESP. Necessitatem debere se tenere ex parte monasterii, nulloque modo sufficere, quòd sit ex parte extraneorum, Bonac. *loc. cit. nu.* 8. Quia ingressus in monasterium tantummodò permissus videtur ob monasterii utilitatem, seu necessitatem, nisi jus naturale, aut divinum aliud suadeat. Sac. Congreg. *in Ravennaten. 9. Septemb.* 1611. Unde non licet Episcopis licentiam concedere, vel permittere mulieribus ex causa litium matrimonialium, vel adulteriorum, aut dissensionum inter viros, & uxores, ut securitatis gratia sequestrentur apud monasteria monialium. Immò ingredientes etiam ex tali causa, & cum hujusmodi permissione, vel licentia incidere in excommunicationem à Concilio impositam tradit ex Sac. Congreg. *in Salamantina* Diana *part.* 3. *tract.* 2. *res.* 30. quam licentiam Sac. Congregatio rarò, & cùm difficultate concedit. Pro casibus tamen repentinis præcisæ necessitatis

consuevit ab Ordinariis, & Legatis anticipari licentiam obtinendo pro aliquo parvo numero, *in d. Ravenaten.* Neque talis licentia concedi potest ad effectum collocandi in monasterio virginum aliquam mulierem, ne revertatur ad vomitum, *in Mediolanen.* 18. *Augusti* 1588. Neque ad docendum aliquam artem, puta serici, vel texturæ, nisi cum conversa perita non poterit reperiri, *in Mediolanen.* 11. *Martii* 1586. *ac alibi.* Neque regulariter ad conficiendum panem, *in Ravennaten.* 15. *Julii & 19. Augusti* 1603. Neque aquam inferendi gratia, ingredientium, & egredientium mulierum continua conversatio permittenda est, sed intùs accomodentur cisternæ, *in Alatren.* 3. *Maii* 1603. Multo minus videndi comædias, vel repræsentationes recitatas à monialibus, neque de licentia Ordinarii, *in Anconitana* 4. *Septemb.* 1627. Possunt tamen Ordinarii jure proprio, puellas de quibus controvertitur, in monasteriis collocare ad tempus, donec lites finiantur, Pignatel. *t.* 8. *cons.* 47. *num.* 42. *ex Sac. Congregat.*

QUÆR. III. An qui licentiam ingrediendi obtinuit ex justa causa, quæ suberat tempore concessionis licentiæ, sed tempore ingressus cessavit, tutus sit in conscientia ingrediendo.

RESP. Ex Bonacina *loc. cit. nu.* 19. negativè, quia cessante causa dispensationis, cessat dispensatio. Neque parirer est tutus in conscientia ingrediens cum licentia ex falsa causa concessa, licèt tempore ingressus justa causa superveniat; quia cùm hujusmodi licentia

ob

ob defectum causæ fuerit nulla, supervenien-te causa non validatur; quod enim ab initio nullum est, tractu temporis non convalescit. Neque licitus est ingressus, si Superior con-scius nullitatis causæ, nihilominus licentiam concedat. Quia ad validitatem licentiæ non sufficit libera voluntas concedentis, sed vo-luntas prudentis arbitrio accomodata, ut be-nè Menoch. *lib.* 1. *de arbitr. q.* 8. *nu.* 45. *&* 49. Tum quia talis licentia est irrita, quia deficit conditio, scilicet justa, & urgens causa, sub qua conceditur Episcopis facultas tales licen-tias concedendi, *ut in cit. cap. periculoso*; deficiente autem conditione deficit conces-sio. Menoch. *cons.* 134. *nu.* 30. Si tamen, qui licentiam obtinuit ingrediendi sine justa cau-sa, bona fide ingressus est, excusatur à pec-cato, & à censuris; quia bona fides ab hu-manarum legum transgressione excusare solet.

Quær. IV. An qui clausuram ingressus est cum justa causa, & licentia, peccet con-tra obligationem clausuræ, & censuris affi-ciatur, si finito ministerio, cujus causa in-gressus est, statim non egrediatur.

Resp. Aliqui, inter quos Bordon. *res.* 76. *num.* 74. Sanchez, & Zerola, docent, non violare clausuram, etiam si ibi multum im-moretur, quia clausura non violatur, nisi quando quis sine debita licentia ingred ur. Alii verò peccare censent mortaliter. quia finito ministerio cessat finis concessionis, & dispensationis præcepti; addunt tamen, non incurrere censuram aliquam, seu pœnam quia ista est imposita ingredientibus sine legi-

tima licentia, & justa causa; Miranda, Rodriq. Barbos. *loc. cit. num.* 56. & alii, qui volunt, hoc non esse ita strictè intelligendum, ut quælibet brevis mora peccatum mortale constituat; quia hæc præcepta moralia, & non metaphisico modo sunt intelligenda. Immò Diana *part.* 3. *tract.* 2. *res.* 51. cum aliis excusat etiam à veniali breviter immorantem ex motivo curiositatis, aliquantisper divertendo ad invisendas officinas. Brevis autem mora censetur esse, quæ non excedit quadrantem horæ. Sic Villalob. *in sum. t.* 2. *tract.* 35. *diff.* 49. *nu.* 1.

QUÆR. V. An ingrediens cum legitima licentia ex causa necessaria, sed simul habens intentionem turpiter loquendi, vel congrediendi cum moniali, delinquat contra præceptum clausuræ.

RESP. Graviter quidem peccare, sed contra præceptum clausuræ non delinquere, quia prava intentio non tollit priorem causam ingrediendi, ob quam Superior licentiam concessit. Ita videntur sentire Zerola, Sanchez, & Rodriq. apud Bonacinam *loc. cit.* ubi addit, quòd non improbabiliter dici potest, peccare etiam contra præceptum clausuræ, quia licèt ingressus non sit illicitus ex priori causa, est tamen talis ex posteriori.

§. IV.

§. IV.

De Clauſura quoad ingreſſum Prælatorum.

QUÆR. I. IN quibus caſibus poſſint Epiſcopi, vel Superiores ingredi monialium clauſuram.

RESP. Viſitationis gratia, ſeu alterius rei neceſſariæ ingredi poſſunt monaſteria monialium, ſibi ſubjectarum; ſimiliter ut viſitent officinas, dormitorium, cellas, ſupellectilem, aut ad ædificium conſtruendum, vel ruinam minans. Et tandem in iis caſibus neceſſariis, & urgentibus, in quibus licentiam aliis dare poſſunt; ſi enim poſſunt in his diſpenſare cum aliis, cur etiam non poterunt cum ſe ipſis? Miranda de Monial. *qu.* 2. *art.* 14. *concl.* 11.

QUÆR. II. An poſſint ingredi clauſuram ſub prætextu interveniendi electioni Abbatiſſæ, aut examinandi moniales particulares.

RESP. Non poſſe ſub pœnis à ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Pontificiis latis, præſertim Gregor. XIII. *conſt.* 8. *& conſt.* 27. incipien. *Deo Sacris.* Ratio eſt, quia prædicta peragi poſſunt ad monaſteriorum crates. Sac. Congreg. Concil. *in Siracuſana* 16. *Octob.* 1600. Barboſ. *v. monialium clauſura circa ingreſſum nu.* 2. Limita tamen cum Lantuſca *in Theatro Regul. v. Clauſura monial. num.* 1. niſi Prælati prudenter judicent, non poſſe dictam electionem canonicè fieri

ipſis non intrantibus, ob inquietudinem monialium, & ſuſpicionem ſubornationis votorum inter ipſas ſubortæ, aut ob alias cauſas juſtas à Superioribus prudenter examinandas. Ita etiam Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 171. ubi fatetur, Sac. Congreg. *die* 13. *Novemb.* 1583. decreviſſe, non poſſe ingredi Superiores monialium monaſteria ſibi ſubjecta prætextu dandi habitum Novitiis, vel illas ad profeſſionem recipiendi, aut Abbatiſſas conſecrandi, vel ſolemniter velum concedendi monialibus. Ex quibus deducit Sanchez, non eſſe integrum Epiſcopis ingredi, ad Sacramentum Confirmationis miniſtrandum alicui moniali, niſi in periculo mortis.

QUÆR. III. An Cardinales, & Epiſcopi ordinarii locorum ingredi poſſint clauſuram monialium ſibi non ſubditarum in eorum diæceſi ſub aliquo prætextu etiam viſitandæ clauſuræ.

RESP. Non poſſe, quod probatur *ex cap. periculoſo*, & ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 5. Et ſignanter de Epiſcopis reſolvit Barboſ. *de Poteſt. Epiſc. alleg.* 102. *nu.* 42. cum ibi adductis, & Aldan. *in compend. can. reſol. lib.* 3. *tit.* 20. *nu.* 8. teſtatur ſic reſolutum *in una Januen.* 10. *Maii* 1631. Neque Cardinales Legati habent poteſtatem viſitandi moniales, & ingrediendi clauſuram, *ut in Bononien.* 30. *Septemb.* 1650. approbante Innocentio X. Neque Vicelegatus poteſt ingredi ſine Epiſcopi licentia, ut declaravit Sac. Congreg. Epiſc. 9. *Martii* 1604. Neque Inquiſitores niſi ex cauſa S. Officii, ex Congreg.

greg. S. Offic. 16. *Februarii* 1628. Neque Magiſtratus, & deputati ad curam monialium debent ingredi cum Epiſcopo, niſi eos elegerit, ex eadem Sac. Congreg. 1. *Martii* 1581. Neque permittere debet Epiſcopus deputari à Civitatibus aliquos, qui comitentur Viſitatores Monialium Regularibus etiam ſubjectarum, prout decrevit eadem Sacra Congreg. 12. *Januarii* 1616.

QUÆR. IV. Quibus in caſibus Generales, Provinciales, & Viſitatores poſſint intrare monaſteria monialium ſibi ſubditarum.

RESP. Extat circa hoc Conſtitutio Alexandri VII. quæ incipit *Felici*, in qua ſic habetur: *Infra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuſcunque aliis Superioribus Regularibus alioqui cura, & regimen monaſteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit; intra ſepta eorundem monaſteriorum nullatenus ingredi liceat, niſi ex cauſa Viſitationis localis, & hoc ſemel tantùm in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus viſitaverit, alius Superior à Viſitatione hujuſmodi ſe omninò abſtineat. Quòd ſi ob clauſuram, quæ à Sancta Tridentina Synodo, etiam in monaſteriis exemptis, curæ, & vigilantiæ Epiſcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac neceſſariam cauſam oportuerit Superiorem Regularem eodem anno pluries ingredi ſepta monaſterii, tunc non aliter ingrediatur, quàm cum præſentia Epiſcopi Diœceſani, vel alterius perſonæ Eccleſiaſticæ ſæcularis boni*

exempli, ac maturæ ætatis ab ipſo Epiſcopo ad hoc ſpecialiter deputatæ. Viſitet autem Superior Regularis interiorem clauſuram per ſe ipſum, non autem per alium, etiam ſi fuerit legitimè impeditus, quo caſu differatur viſitatio in aliud tempus, quo ceſſaverit impedimentum, & viſitationem celeriter, & unica die, debita tamen cum diligentia abſolvat, nec poſt occaſum protrahat, neque ipſe Viſitator, neque ejus Socii ullam ſumant in monaſterio refectionem.

Hinc clarè deducitur, non poſſe Generalem Miniſtrum Fratrum Minorum ingredi monaſteria monialium S. Claræ, quando ibidem celebrare voluerit, vel proponere Sororibus verbum Dei. Quod etiam adnotavit Barboſa *d. allegat.* 102. *num.* 45. tum ex Gregorii XIII. *cit. Conſtit.* in qua revocantur omnia privilegia, tum quia celebrationem, aut predicationem verbi Dei intra monaſteria fieri non eſt neceſſarium, ſiquidem per feneſtrellam videre, & audire poſſunt ipſæ moniales. Ingreſſus autem non conceditur niſi ex cauſa neceſſaria, quare Superiores ingredientes incurrerent pœnas, de quibus *in d. Conſtit.*

QUÆR. V. Quot perſonas ſecum poſſint ducere Prælati Regulares in actu viſitationis monaſteriorum Sanctimonialium.

RESP. Ex *cit. Conſtit.* Alexandri VII. Si viſitet Generalis, poteſt ſecum habere duos Socios ſui ordinis; ſi alius à Generali, unum tantùm, excluſis omnibus aliis etiam ratione officii. Qui quidem Socii aſſumantur exemplares, & maturæ ætatis, & in actu

Vi-

Visitationis à Visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere, & ab ipso aspici semper possint. Ac præterea Visitatori assistant quatuor moniales ex senioribus monasterii, quæ similiter Visitatione durante nunquam separentur à Visitatore, & Sociis.

QUÆR. VI. Quot, & quales personas secum ducere debeant Episcopi, & alii monialium Prælati, quando in casibus permissis ingrediuntur clausuram.

RESP. Gregorius XIII. *in sua cit. Constit.* in qua decernit, Episcopos, & Prælatos monialium debere ingredi clausuram cùm comitatu, nullum verbum facit de numero personarum comitantium, sed paucos debere esse statuit, *à paucis, iisque senioribus, ac religiosis personæ comitati*. Miranda ad tres socios extendit. Victorellus verò, & Bonacina quatuor, vel quinque socios seniores, & religiosos comites admittunt, & addunt, quòd si ratione edificii cõstruendi cum Episcopo, vel alio Superiore monialium architectus, vel alius operarius ingrediatur, dictis tamen senioribus, & religiosis comitibus uti debent Episcopi, vel Superiores, quia architectus, vel alius operarius non ingrediuntur tanquam comites, sed ut artifices.

QUÆR. VII. Quinam veniant nomine personarum religiosarum, quas possunt Episcopi, & alii Superiores assumere in comites.

RESP. Non tantùm venire regulares votis religionis adstrictos, sed etiam sæculares religiosis moribus, & christiana pietate

decoratos. Non veniunt tamen Matronæ ſeniores chriſtianis virtutibus inſignes, licèt verba *perſonis comitati* ſint apta comprehendere etiam fœminas; nullibi enim uſu receptum eſt, quòd matronæ quamvis ſanctimonia claræ in comitatum adhibeantur. Ita ex Vittorello Tamburinus *diſp.* 24. *qu.* 10. *num.* 4. qui *q.* 5. *nu.* 6. aſſerit prædictos Prælatos in caſibus conceſſis ingredientes, ſi ducant perſonas non religioſas, nec ſenes, & plures quàm quinque, aut etiam ſi ſoli ingrediantur, non affici excommunicatione lata in prædicta Gregoriana, quia pœnæ hujus Bullæ extenduntur tantùm ad ingredientes in caſibus non neceſſariis.

§. V.

De Clauſura quoad Officialium, aliorumque ingreſſum.

QUÆR. I. AN, & quando Medicus, aliique Monaſterio inſervientes poſſint ingredi clauſuram.

RESP. In omnibus caſibus neceſſariis poſſe ingredi, ſervatis ſervandis, juxta dicenda, cum debita Superioris licentia, quæ ſingulis quibuſque trimeſtribus debet renovari ex decreto Sac. Congreg. Regularium 27. *Martii* 1588. & *in Placentina* 6. *Junii* 1614. Medicus debet aſſociari à duobus, vel tribus monialibus antiquioribus, debetque ingredi ſine ſocio, aut alio Medico, niſi morbus ſit valdè gravis, quia in tali caſu poſſunt etiam plures intrare ad inviſendam decumben-

bentem. Barb. *loc. cit. n.* 57. Nomine medici non venit tantùm graduatus, sed quilibet peritus in arte ad effectum, ob quem ingreditur. Ita ex Miranda notat Barb. *num.* 53. quia medicus dicitur non à dignitate, sed à medendo. Unde si aliqua fœmina prægnans clausuram ingrediatur de licentia Prælati, poterit de licentia ejusdem ingredi obstetrix, ad illam juvandam in partu. Portel. Tamburin. *disp.* 24. *q.* 1. *nu.* 5. *&* alii.

QUÆR. II. An Medicus sub initium quadragesimæ possit ingredi, ad cognoscendum, quæ moniales possint, ac debeant dispensari super jejuniis, & esu ciborum quadragesimalium.

RESP. Non posse; cessat enim in hoc casu necessitas, quia hoc præstari potest ad crates. Posset tamen ingredi ad invisendam Monialem decumbentem in lecto, quæ de propria valetudine dubitat, ut ex ictu pulsus veritatem exploret, quamvis sine magno salutis damno ipsa posset ad cratem descendere, tametsi ex sola erubescentia hoc faciat. Bonac. Tamb. *q.* 6. *nu.* 2.

QUÆR. III. An medicus extraordinarius possit ad libitum monialium loco medici ordinarii ingredi clausuram.

RESP. Non posse, quia licentia limitata limitatum parit effectum; unde cùm licentia Medici extraordinarii sit concessa tantùm in defectum medici ordinarii, & quando simul cum ordinario est habendum collegium, cessante tali causa cessat licentia. Barchius *in Speculo Monial. c.* 8.

QUÆR. IV. An, & quando Chirur-

gus, & Pharmacopola poſſint ingredi clauſuram.

Resp. Poſſe Chirurgum ingredi ad minuendum ſanguinem, quia eſt officium infirmæ ſatis neceſſarium, nec illud valent moniales exercere; non debet tamen ingredi niſi cum hoc medicus opus eſſe judicaverit, aut ſi aliqua monialis conſuevit ad præcavendum morbum ſe aliquoties minuere, quod tamen fieri debet ex conſilio Præfectæ, & Diſcretarum monaſterii. Barboſ. *loc. cit. num.* 54. Pharmacopolæ autem rarò licet ingreſſus, cùm poſſit potionem extra clauſuram præparare, & mediis monialibus infirmæ porrigere. Si tamen aliquando opus ſit moniales docere, quomodo medicamenta aliqua ſint præparanda, idque non poſſit extra clauſuram præſtari, poſſet clauſuram ingredi, quia eſt moralis neceſſitas. Sanchez *lib.6. cap.16. nu.59.*

Quær. V. An Oeconomi, Factores, Syndici, & Notarii poſſint ingredi clauſuram.

Resp. Poſſe, quotieſcunque neceſſitas urget, cui aliter conſuli nequeat. Hujuſmodi neceſſitas eſt, ſi quærendum eſſet aliquod inſtrumẽtum in Archivio adeò ſcripturis variis pleno, ut ad crates eas deferre pro recognitione moniales non poſſent ſine notabili incommodo, & ſufficiente ad diſpenſandum in legem. Idem erit in caſu magnæ neceſſitatis, puta ad judicandum de imminente periculo, ac ruina ædificii &c. ita Sanchez, & alii. Item ſi contingat, Novitiam, aut puellam intra clauſuram commorantem infirmari,

ri, ideòque velit per testamentum de suis bonis disponere, debita obtenta licentia, poterit Notarius cum necessariis testibus ingredi. Naldus, *v. Monialis nu.* 14. & Gavant. qui testatur ita declarare Sac. Congreg. de anno 1595.

QUÆR. VI. Quid dicendum de aliis operariis ad monialium servitium necessariis.

RESP. De legitimi Superioris licētia possunt ingredi clausuram ad exercenda suę artis opera, quæ commodè extra monasterium exerceri non possunt. Sic possunt ingredi fabricatores, hortulani, fabri lignarii, putearii, putatores, molitores, & similes artifices. Advertendum tamen cum Tamburino *cit. qu.6. nu.* 9. habentem licentiam ingredi pro uno servitio, non posse ingredi ad aliud servitium præstandum; cùm licentia non se extendat ultra opera suæ artis. Item ingredi possunt rustici ad deferenda ea, quæ ferri non possunt à monialibus. Item pictor ad pingendam scenam in monasterio constructam, cum enim ex consuetudine permittantur monialibus aliquę piæ repręsentationes, consequenter debent etiam concedi ea, quæ ad illas sunt necessaria, ut est in præsenti casu opera pictoris, supposita scena jam constructa; aliàs posset scena per partes pingi extra clasuram, antequam simul componatur, & ita debet communiter observari. Cassianus *v. clausura num.* 80. Marchet. *in Prax. Vic. Capit. p.2. tit.* 16. *num.* 24. *&* 25. De Sutoribus, & Sartoribus dubitant Doctores an possint ingredi calausuram; communis opinio sustinet, non posse, quia

suæ

ſuæ artis opera commodè ad monaſterii januam valent præſtare. Hoc non approbat Sanch. *loc. cit. num.* 3. quoad ſartores, quia putat moniali veſtes commodè aptari non poſſe, niſi immediatè corpus dimetiantur, quod extra clauſuram æquè benè præſtari nequit; quæ opinio non improbabilis videtur Caſſiano *loc. cit.* ſi talis ſit uſus, ſciente, & conſentiente Superiore; quod tamen nullatenùs placet Caſtro Pal. *diſp.* 4. *p.* 3. *punct.* 10. §. 3. *nu.* 11.

QUÆR. VII. An loco bajuli deputati ad ferenda onera, quæ à monialibus geſtari nequeunt, poſſit alius intrare monaſterium.

RESP. Juxta Tamburini, Barchii, & Polacchi ſententiam non poſſe; oppoſitum tamen deducitur ex Sanchez *cap.* 16. *num.* 16. caſu quo in licentia data, ut bajulus ingredi poſſit, hic aut ille bajulus non exprimatur. Ratio eſt quia licentia indeterminata quoad perſonas, & determinata quoad miniſterium, non afficit perſonas, ſed miniſterium, quia conceditur ob cauſam, quę militat in tali miniſterio, unde exercentes tale miniſterium ut qualificatum tali licentia, trahunt etiam talem licentiam; ſicuti inhabilitantes locum qualificatum aliquo privilegio, trahunt etiam ipſi illud privilegium. Unde Sanchez, *loc. cit.* excuſat fœminam, quæ cùm ſit nobilis, nihilominùs cùm licentia ingreditur ad exercenda ea, quæ ſunt propria vilioris famulæ, ſed monialibus neceſſaria, & re ipſa occupatur in illis, ut ſic videre poſſit curiosè monaſterium. Si verò talem prætextum

tum assumeret sine animo exequendi dictum officium, nec de facto intenderet illud præstare, illicitè ingrederetur, & violaret præceptum, quia sic non haberet justam causam à jure petitam, sed in fraudem faceret dicti præcepti.

QUÆR. VIII. An si artifici concedatur licentia ingrediendi cum famulo, iste intrare possit sine domino.

RESP. Negativè, quia famulus participat licentiam dependenter à domino, & ratione attinentiæ ad illum. Ita Barch. *in Speculo*, *cap.* 8. qui limitat, quando ex impedimento occurrente dominus non posset ingredi, aut ingressus cogeretur egredi, dummodò non omninò deserat opus assumptum, aut abesse non debeat pro majori parte diei. Opposita sententia, quam refert, nec reiicit Cassianus *loc. cit. nu.* 76. non improbabilis videtur; nam dictio illa *cum* posita in tenore licentiæ, æquivalet dictioni, *&*, Bartol. *in l. si quis Attio de usufru. acc. & not. in l. triticum de verb. sign.* Dictio autem, &, facit copulatos æqualiter admitti ad participationem licentiæ, juxta ea, quæ notant *per text. l. reos* §. *cum in tabulis*, *ff. de duobus reis*, Gomez *var. resol. cap.* 11. *num.* 19. *t.* 2. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. glos.* 3. *num.* 16. Cened. *Singul.* 50. *num.* 20. Et ideò dominus, & famulus tanquam æqualiter participantes poterunt uti licentia absque dependentia ad invicem, & solùm erit discrimen, quòd dominus participabit licentiam independenter à famulo tam quoad concessionem, quàm quoad usum, famulus verò participabit de-

pen-

pendéter à domino quoad conceſſionem, independenter verò quoad uſum.

QUÆR. IX. An ſi deficiat, qui habet licentiam deferendi onera intra clauſuram, & dictorum onerum geſtatio non poſſit æquè bene differri, liceat abſque ſuperioris venia alium ſubſtituere.

RESP. Non licere, quia ex una parte ſumus in materia zeloſa, periculoſa, & delicata, & ex alia parte non videtur ſubeſſe juſta cauſa utendi Epicheja, præſertim in re, ad quam jura requirunt licentiam in ſcriptis.

QUÆR. X. An ad expellendum malefactorem poſſit judex, & quilibet alter ingredi clauſuram.

RESP. Poſſe; dedecet enim, illum in virginum ſocietate manere, & ex alia parte monialibus non ſuppetunt vires ad expellendum. Ita Sanch. Tambur. & Bonac. cum Rodriq. qui addit, quòd ſi periculum ſit in mora, non erit in tali caſu neceſſe recurrere ad Superiorem longè abſentem, ſed Abbatiſſæ, & Diſcretarum conſenſus ſufficiet. Advertit tamen Tamburinus, quòd ſi præfatus reus extractus à monaſterio gaudeat immunitate, reponendus erit in Eccleſia, neque ſpoliandus ſuo jure.

QUÆR. XI. An infantes nondum doli capaces, & amentes poſſint admitti in clauſuram.

RESP. Quoad infantes affirmat Barboſ. *allegat.* 102. *num.* 32. ubi quindecim alios Doctores adducit pro ſua ſententia. Ratio eſt, quia prohibitio monialibus facta eſt acceſ-

cessoria prohibitioni ingredientium, ut manifestè colligitur ex Tridentino dicente, nemini licere intra septa monasterii ingredi. Cùm ergo hi infantes nulla ingressus afficiantur prohibitione, quia nullius præcepti sunt capaces, neque moniales tenentur eos non admittere. Nihilominus moniales introducentes infantes cujusvis sexus, vel ætatis incurrere in censuras violatæ clausuræ sæpiùs declaravit Sacra Congregat. præcipuè *in Tudertina* 7. *Aprilis* 1679. *in Neapolitana* 22. *Maii* 1580. *in Taurinensi* 10. *Junii* 1650. Unde tolerari non debet, quòd puellæ licèt parvulæ ingrediantur, & egrediantur ad libitum, *in Pistorien.* 24. *Februarii* 1579. Et Abbatissa, quæ hoc permittit privatur officio, voceque passiva, *S. Severi* 8. *Maii* 1595. Amentes verò nullatenus sunt admittendi, quia ad peccatum movere possunt; unde *in cap. periculoso* dictum est, nulli inhonestæ, vel honestæ personæ ingressus pateat, ut sic non tam liberè ingredientes, quàm etiam permittentes ingressum comprehenderentur; & quidem manifestum est, sub persona honesta, vel inhonesta hos amentes intelligi, qui & monasteria perturbare possunt, & vanis locutionibus ad malum provocare. Ita Navar. Barbos. *loc. cit.* Rodriq. & alii.

§. VI.

§. VI.

De Clauſura quoad ingreſſum Confeſſarii.

QUÆR. I. IN quibus caſibus poſſit Confeſſarius ingredi clauſuram.

RESP. In pluribus, quorum aliquos in hoc paragrapho recenſebimus. Poterit igitur ingredi, ſi moniali ægrotanti miniſtrandum eſt Sacramentum Confeſſionis, Euchariſtiæ, vel extremę Unctionis. Et quidem ſi eſt periculum mortis, nemini eſt dubium, licere ingredi etiam de nocte, immò Superiorem ad eum ingreſſum obligari, ſi non poſſet aliter ea Sacramenta ſubditis Monialibus miniſtrare. Secluſa verò hac extrema neceſſitate licitus eſt ingreſſus ob miniſtrandum infirmę Sacramentum Confeſſionis, & Euchariſtiæ, quoties ex præſcripto regulæ aliis monialibus miniſtratur, quia ob infirmitatem deterioris conditionis eſſe non debet, cùm eo tempore magis indigeat. Item illis temporibus, quibus ſolita erat, Sacramenta ſupradicta frequentare, quia æquum non eſt, eo ſubſidio tempore majoris neceſſitatis privari. Sic Rodriq. Miranda, Sanch. & Barboſa *loc. cit. num.* 49. Sac. Congreg. Concil. 13. *Septemb.* 1583.

QUÆR. II. Quid obſervare debeat Confeſſarius ingrediens in ſupradictis caſibus clauſuram.

RESP. Debet ingredi ſuperpelliceo, & ſtola indutus, & ita debet ibi morari. Barboſ. *loc.*

loc. cit. Abſque diverticulo eat, & redeat, nec ad aliam monaſterii partem divagetur, etiam occaſione viſitandi alias infirmas, quibus Sacramentorum adminiſtratio minimè eſt neceſſaria. Sine ſocio ingrediatur tam in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ, quàm Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis. Ita ex Sac. Congregatione Pignatellus *t.* 6. *conſult.* 85. *nu.* 231. At oppoſitum de Confeſſario regulari ſtatuit Alexander VII. in cit. Conſtit. ubi habet, *Nunquam ingrediatur niſi cùm Socio, qui ſit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, ſemperque maneat in ea parte Monaſterii, qua Confeſſorem videre, & ab eo videri ſemper poſſit.* Quod præſtare etiam debent Comitatrices. Unde dum Confeſſarius audit infirmarum confeſſiones, cellæ janua remanere debet aperta, & ambæ Comitatrices ad eandem cellæ januam, ita ut ibi manentes Confeſſarium, & infirmam commodè cernere poſſint, audire tamen non poſſint. Si infirma ad confeſſionale Eccleſiæ accedere commodè poteſt, nullo modo audeat Confeſſarius monaſterium ingredi, ut ei Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtret. Sacra Congreg. 13. *Septemb.* 1583.

QUÆR. III. An poſſit ingredi ad aſſiſtendum morienti, ejuſque animam ritè Deo commendandam.

RESP. Poſſe. Tanta eſt enim neceſſitas exiſtentium in articulo mortis, ut ei nulla diligentia par eſſe poſſit, Sac. Congreg. Epiſc. in *Lucen.* 29. *Martii* 1589. & 22. *Decemb.* 1620. Ad quem effectum, cùm aliqua monialis laborat in extremis, conceditur confeſſario per-

no-

noctatio in ſua ſolita manſione extra clauſuram, ut ingruente neceſſitate illicò præſtò eſſe poſſit, eadem Sac. Congreg. 22. *Decembris* 1592. Poteſt ſæpiùs ingredi, ſi moniali ſuperveniant plura ſimptomata, per quæ probabiliter creditur mox moritura,& iis ceſſantibus tempus agoniæ ulteriùs protrahatur; & poteſt diuturniori tempore continuato, etiam per integram noctem aſſiſtere, ſi judicio medici credatur brevi moritura.

QUÆR. IV. An confeſſarius ad exequias peragendas poſſit ingredi clauſuram.

RESP. Hanc eſſe juſtam cauſam ingreſſus, docent Sanch. Portel. & Tamburin. *diſp.* 24. *qu.* 5. Attamen Pignatel. *t.6. conſult.* 85. *num.* 234. refert, Sac. Congregat. declaraſſe, non licere confeſſario, neque Regularibus ingredi Monaſterium ſub prætextu tradendi ſepulturæ cadaver alicujus monialis, aut officia funeralia peragendi; ſed hoc officium, ſi intra clauſuram peragendum eſt, ab aliis monialibus, vel à duobus operariis ab Ordinario approbandis peragi debere, vel ſi in exteriori Eccleſia humanda ſit, cadaver ad portam clauſuræ eſſe deferendum, receptumque à Regularibus ibi ſepeliendum. Quòd ſi in aliquibus locis inducta eſt conſuetudo, ſcientibus, & conſentientibus Ordinariis, ut Confeſſarius ingrediatur, cenſet Tamburin. *loc. cit.* eſſe ſervandam, quia habet vim legis, & eſt maximè rationabilis, & hæc conſuetudo attendi debet etiam quoad ſecum ducendum ſocium, vel plures alios. Et hoc practicari in Galliis, & Portugallia tradunt Portel. & Victorellus.

QUÆR.

QUÆR. V. An Confessarius possit ingredi clausuram ad effectum exorcizandi monialem energumenam.

RESP. Sacram Congreg. *sub die* 10. *Novemb.* 1582. rescripsisse Episcopo Viterbien. quòd Sacerdos timoratæ conscientiæ, & probatæ vitæ posset ingredi clausuram ad hunc effectum præcisè exorcizandi monialem. Postea *sub die* 1. *Julii* 1606. statuit, quòd nulla monialis energumena intra monasterii sepia à quocunque præsbytero sæculari, vel Regulari, etiam Confessario, exorcizetur, sed ad Ecclesiam exteriorem ejusdem monasterii (obtenta priùs à Sac. Congreg. licentia) ea de causa deducatur, vel transferatur. In translatione autem hujusmodi, sicut & in actu exorcizationis, honestę personæ consanguineæ, vel aliæ mulieres provectæ ætatis, ac probæ conversationis energumenam comitentur. Exorcista sit ad actum hujusmodi ab Ordinario approbatus. Exorcizatio minori, quo fieri potest, fiat strepitu. Ecclesiæ janua occlusa remaneat, quousque exorcizatione completa, ad Monasterium Energumena reducatur. Cæterùm tam in reditu, quàm in accessu ad Ecclesiam, & monasterium respectivè rectà, & sine diverticulo tendatur.

QUÆR. VI. An Confessarius possit ingredi clausuram, ad ibi celebrandum coram infirmis, aut convalescentibus.

RESP. Affirmant Rodriquez, Mirand. & Bonac. *q.* 4. *de claus. p.* 4. *num.* 4. saltem iis diebus, in quibus tenentur ex præcepto audire Missam, quod præcipuè habet locum,

ut

ut notat Barboſ. *loc. cit. nu.*49. in illis feſtivitatibus, in quibus moniales ex regula tenentur communicare; major enim reſultat decentia, & reverentia Euchariſtiæ, dum Sacerdos celebrãs eodem loco communicat infirmas, quàm ſi ex alio loco deſumat, & clauſuram aſſociatus, ut decet, ingrediatur. In tali caſu debere ingredi cum ſocio, tenet Bonacin. *loc. cit.* quia non decet fœminam ad altare accedere, & celebranti inſervire. At non poſſe Confeſſarium ob Miſſam celebrandam ingredi clauſuram, Sac. Congreg. pluries declaravit, præcipuè *in Lancianenſi, & Piſtorienſi* 16. *Julii* 1585. *& in Bononien.* 2. *Januarii* 1601. Et in hoc Sac. Congreg. regulariter diſpenſare non ſolet, *in Mantuana* 13. *Junii* 1591.

QUÆR. VII. An Confeſſarius poſſit ingredi clauſuram ad ſumendam particulam conſecratam, ipſi in actu communicandi moniales in Eccleſiam interiorem, elapſam.

RESP. Tradit negativam ſententiam Biſſus *in Hierurg. Sac. t.* 2. *v. Particulæ num.*45. §. 12. qui vult particulam eſſe colligendam à Monialibus, vel Abbatiſſa, & Sacerdoti porrigendam. Idem tradit Caſtaldus, cui adhæret Quartus *in Rubr. Miſſal. p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 3. *aub.* 3. *diff.* 4. hac ratione ductus, quòd ingreſſus in monaſterium ſtrictiùs prohibetur, quàm tactus hoſtiæ conſecratæ in caſu neceſſitatis. Nihilominus oppoſitam ſententiam docent alii, inter quos noviſſimè Clericatus *de Euch. Sacram. deciſ.* 44. Quia ſtrictiùs obligat reverentia erga Sanctiſſimum hoc Sacramentum, quàm clauſura;

hæc

hæc enim habetur ex præcepto Ecclesiastico, illa verò ex præcepto divino, ut ex D. Tho. 3. *p. q.* 83. *art.* 3. Tum quia si fœminæ excluduntur à servitio sacrificii, ut tradunt communiter Doctores, multò magis excludentur à contactu Corporis Christi, quod offertur in Sacrificio. Hoc solum admitti posset cum dicto Clericato, & Quarto *loc. cit.* quòd si unica particula caderet in terram intra clausuram, & præsens esset monialis communicanda, posset ipsa genuflectere, ac reverenter eam sumere, & sic communicare.

QUÆR. VIII. An Confessarius ingredi possit ad benedicendum monasterium à spiritibus infestatum.

RESP. Posse, obtenta tamen ad hoc speciali facultate, cùm non comprehendatur hic casus in generali licentia. Si enim potest quilibet ingredi ad expellendum malefactorem, qui virgines sacras turbare potest; cur non censebitur licitus, & rationabilis ingressus ad expellendos generis humani hostes, quietem monialium perturbantes? Non est tamen justa causa ingressus ad aspergendum monasterium aqua lustrali in Sabbato Sancto, ex Sacræ Congregat. decreto 4. *Septembris* 1596. teste Gavanto, & Naldo, *v. Clausura.*

QUÆR. IX. An Confessarius ingressus clausuram ad excipiendam monialis infirmæ confessionem, possit ea occasione ibi præstare aliquod munus, pro quo præcisè exercendo ingredi non potuisset.

RESP. Affirmativè, & sic posse benedicere ædi-

ædificium recens conſtructum, deferre moniali infirmæ inſignem reliquiam alicujus Sancti, quam ſumma devotione proſequitur, & his ſimilia, quia ſicuti ex ſuperiùs dictis, & Doctoribus ibi citatis, poteſt quis expleto opere, ad quod ex juſta cauſa eſt ingreſſus, brevi tempore immorari inviſendo officinas ob curioſitatem; à fortiori poterit Confeſſarius expleto ſuo munere ibi aliquātiſper inſiſtere ad opus pium, licèt minùs neceſſarium, exequendum. Immò poterit monialis ad hunc effectum advocare confeſſarium ſub prætextu confeſſionis faciendæ, etiam ſi aliàs non faceret, dummodò tamen verè confiteatur. Quia monialis habet jus faciendi confeſſionem, & ſic vocandi ad talem effectum confeſſarium. Neque hoc eſt in fraudem legis, quia non dicitur operari in fraudem, qui utitur jure ſuo. Unde ob hanc rationem poteſt modo dicto advocare confeſſarium etiam animo tractandi cum eo de aliquo negotio temporali, dummodò verè intendat confiteri.

Quær. X. An Confeſſarius extraordinarius ingreſſus monaſterium cum licentia pro una vice ad audiendam confeſſionem monialis infirmæ, poſſit abſque nova licentia iterum ingredi, ſi prima vice reperit monialem morbi vehementia ex improviſo ita correptam, ut non potuerit pro tunc ullo modo confiteri.

Resp. Negant aliqui contra Pelliz. *cap.* 10. *nu.* 264. Quia Confeſſarius extraordinarius non indiget ſpeciali facultate audiendi confeſſionem monialis infirmæ, cum enim ſit de-

putatus in extraordinarium totius monasterii, est approbatus pro omnibus monialibus, & consequenter etiam pro infirmis, & ideò, si ingreditur cum licentia ad audiendam confessionem unius monialis infirmæ, potest aliam quoque monialem infirmam audire. Indiget ergo tantùm licentia pro ingressu clausuræ ad effectum removendi impedimentum, quod obstat exercitio prædictæ facultatis respectu monialis infirmæ. Cum igitur licentia sit ad unicam vicem limitata, per primum ingressum est adimpleta, & consumpta. Præsertim quia talis licentia, tanquam legis vulnerativa, est strictè interpretanda, ut tradunt communiter Doctores. Et sic Confessarius remanet in eo statu, in quo erat ante prædictam licentia. Adeoque sicut in priori illo statu ad exercitium suæ facultatis, pro moniali infirma indigebat licentia ad ingressum, indigebit etiam in posteriori. Secus tamen dicendum si licentia fuisset concessa copulativè quo ad ingressum, & quo ad facultatem audiendi confessionem, quia in talis casu non esset plenè consumpta.

Alii nihilominus absolutè affirmant. Quia causa motiva Superioris ad concedendum ingressum in clausuram, fuit confessio instituenda à moniali infirma; hæc autem causa non cessavit, quia confessio non fuit effectum sortita, ergo neque cessavit licentia; subsistente enim causa motiva, licentia quoque censetur subsistere, & in suo robore perseverare. Glos. *in cap. decet. v. debet de reg. jur.* in 6. Dinus, & Rolland. alios citans *cons.* 52. *nu.* 55. *vol.* 2.

Hinc deducunt, quòd, ſi monialis infirma, cœpta jam confeſſione cogatur illam ex morbi vehementia interrumpere, vel ſi inſtituat confeſſionem generalem, quam unica vicè non poteſt abſolvere, aut ſi Confeſſarius, ubi cœpit audire confeſſionem, ex urgentiſſima cauſa revocetur extra monaſterium, poteſt in his caſibus ſine nova licentia iterum ingredi ad perficiendam confeſſionem. Idem aſſerunt, ſi monialis confeſſa, & abſoluta ſtatim revocet Confeſſarium jam egreſſum è clauſura, ad manifeſtandum ei peccatum oblitum, quia illud peccatum ſpectat ad complementum prioris judicii; & cum hoc fiat incontinenti, moraliter reputatur unus ingreſſus.

§. VII.

De Clauſura quoad Mulierum ingreſſum.

QUÆR. I. AN, ſi monaſterium careat monialibus converſis, poſſint intromitti fœminæ, quæ monialibus inſerviant.

RESP. Affirmat contra Suar. Bonac. *de clauſ. qu.* 3. *punct.* 4. *num.* 10. quia moniales choro deputatæ, ſi ad hujuſmodi famulatum adſtringerentur, ad durum onus, & ab earum profeſſione alienum obligarentur, ex quo conſurgit juſta cauſa dictas fœminas introducendi. Verùm pluries Sac. Congregat. præcipuè *ſub die* 12. *Auguſti* 1605. cenſuit loco ancillarum ſæcularium potiùs introducen-

cendas esse conversas; nec posse Ordinarium concedere, ut mulieres sæculares inserviant intra dicta monasteria; immò Sedem Apostolicam talem licentiam denegare, testatur Nicolius *in Flosc. v. Ancilla nu.* 2. docens posteà *nu.* 6. ex aliis decretis, posse concedi Ancillam Moniali seni, & infirmæ, si una ex conversis Monasterii applicari non posset. Non conceditur tamen per Ordinarium, sed per Sac. Congregat. quæ *in Abulen.* 20. *Februarii*, decrevit, dictis ancillis, durante servitio, pro libito suo ingredi, & egredi non licere.

Quær. II. An, si Sac. Congregatio concedat nobili fœminæ ingressum in monasterium monialium, & ibi degat cum una famula, & ista semel electa velit post tempus exire, possit domina aliam loco primæ cum iisdem qualitatibus substituere.

Resp. Posse, dummodo licentia non fuerit limitata ad certam numero personam: & hoc procedit, etiam si talis famula dimittatur invita, eo quòd minus benè munus suum impleat; & hoc toties, quoties oportuerit, secluso tamen quocunque dolo. Ratio est, quia sic præsumi potest de mente Sac. Congregationis, dum illimitatè concessit unam famulam, cum hujusmodi famulæ mercenariæ soleant mutare voluntatem, & resilire; quod utique censetur non ignorasse Sac. Congregationem. Nec obstat, quòd licentia indefinitè concessa extinguatur prima vice, quia fallit hæc regula, quando ex primo actu non est satisfactum menti disponentis, ut in casu nostro. Cassian. *loc. cit. nu.* 81. ubi

addit, dictas famulas quoaduſque perſeverant in famulatu teneri è monaſterio non egredi, & ſi egrediantur, non poſſe abſque nova Superioris licentia introire.

QUÆR. III. An Reginæ & Imperatrices poſſint monialium ingredi Monaſteria.

RESP. Negat Bonacina *loc. cit. nu.* 4. quia *Cap. periculoſo*, & Tridentinum generaliter, & abſolutè loquuntur de perſonis cujuſcunque generis, & conditionis. Sed poſſe Reginas, & Reges, Imperatrices, & Imperatores eorumq; filias, & filios ingredi monialium monaſteria, docent Sanch. Rodriq. & Bordon. *variar. reſ. p.2. reſ.* 26. *nu.* 35. eo quia hujuſmodi perſonæ ratione excellentiæ, & dignitatis non comprehenduntur in diſpoſitionibus odioſis, niſi exprimantur, & idem eſt de illarum filiis.

QUÆR. VI. An Fundatrices poſſint monialium ingredi monaſteria.

RESP. Affirmat Giballin. *de clauſ. diſq.* 1. *cap.*4. §.2. & probat, quia ſi ex probabili ſententia licet Fundatricibus, per hoc quòd fundatrices ſunt, ingredi monaſteria virorum licebit pariter & mulierum; cum enim in utroque caſu reperiatur eadem qualitas privilegiativa, debet in utroque caſu eundem effectum operari. Tum quia nuſquam talis ingreſſus reperitur Fundatricibus prohibitus. Tum etiam quia monaſteria ab ipſis erecta ſortiuntur quodammodo naturam juriſpatronatus, quod eſt maximè privilegiatum in jure, & Fundatrices ſunt quaſi Dominæ, unde ratione iſtius prærogativæ, & excellentiæ ſunt ſpeciali nota dignæ, atque adeo ſub pro-

prohibitione generali non comprehensæ, sicuti de fæminis regiæ stirpis ob eandem rationem diximus supra.

His non obstantibus, censeo non posse ingredi; nam, ut notat Manuel relatus, & approbatus à Sanch. *in Sum. lib. 6. cap. 17. num. 7.* ideo Pius V. in prohibitione signanter expressit Ducissas, & similes, quia hæ solent esse fundatrices. Unde Pontifex arcendo Ducissas ab ingressu clausuræ ex eo præsertim respectu, quòd soleant esse fundatrices, apertè prohibuit, ne sub titulo fundationis prætendi possit facultas ingrediendi.

Neque urgent rationes oppositæ; nam quo ad primam, admissa etiam opinione, quòd Fundatrices possint virorum ingredi monasteria, non tenet illatio; quia cum versemur in materia relaxandæ clausuræ, quæ est strictæ obligationis, cum sit odiosa, non fit extensio de casu ad casum, neque ob majoritatem rationis, Sylvest. Caputaq. & Surd. *decis.* 268. *n.* 20. ubi alios cumulat. Tum etiam quia strictiùs prohibetur ingressus in monialium monasteria, quàm in virorum cœnobia; in hæc enim ex levioribus causis permittitur, scilicet causa processionis, Missæ, funeris defuncti, vel alterius officii, Sanch. *loc. cit. n.* 22. Secus autem in priora, ad quorum ingressum causa requiritur rationabilis, & necessaria. Ad secundam, & tertiam rationem patet responsio; diximus enim, Fūdatrices in motu proprio Pii V. venire sub nomine Ducissarū, & similium appellatione, unde, quatenus etiā essent speciali nota dignę, per prędictā clausu-

lam ſignanter, & non generaliter ſub prohibitione dicuntur comprehenſæ.

QUÆR. V. An aliæ nobiles fœminæ poſſint admitti intra monaſteria monialium ad converſandum, immò etiam pro certis vicibus ad refectionem corporalem ſumendam.

RESP. Poſſe, ſed de licentia Papæ, & non alterius, quam ille non ſolet concedere niſi cum certis limitationibus, videlicet quòd fœmina licentiata non ingrediatur niſi aſſociata à tribus matronis modeſto, ac decenti habitu indutis, quas ſemel electas, nec variare, nec mutare poſſit, niſi alicujus earum obitu eveniente. Requiritur inſuper conſenſus Monialium capitulariter, & per ſecreta ſuffragia præſtandus, & pariter Superiorum. Prohibetur ingredi feſtivis, aut vigiliarum diebus, Quadrageſimæ, vel Adventus temporibus; viſitare monialium cellas, præter eas, quarum cauſa monaſterium ingreditur, nec non ibi pernoctare.

QUÆR. VI. Circa prædictæ conceſſionis intelligentiam, an fœmina modo ſupradicto licentiata poſſit matronas ſemel electas mutare.

RESP. Non poſſe, quia verba privilegii caſum mortis tantùm exprimunt, undè alii excluduntur; maximè quia caſus mortis inducit neceſſitatem mutationis, quod non faciunt alii caſus. Ita Bordon. *in Miſcell. deciſ.* 85. & Diana *in opere coord. t.* 7. *tract.* 1. *reſ.* 321. *nu.* 3. Oppoſitum tradit Peyrin. *in Formul. litt. m. cap.* 3. *num.* 4. ubi docet, fieri poſſe mutationem, quando aliqua ex electis

eſt

est absens, aut ægrota, aut nolens, quia privilegium favorabile est latè interpretandum, ac proindè excluditur tantùm mutatio voluntaria, non necessaria, per quam dicendum est potiùs loco alicujus ex sociabus aliam supplere, quàm mutari.

QUÆR. VII. An fœmina supradicta possit cum duabus tantùm matronis ingredi.

RESP. Non posse, quia rescriptum exprimit tres matronas de necessitate assumendas, aliter non servata illius forma ingressus est malitiosus, & fœmina sic ingrediens incurrit pœnas contra ingredientes clausuram monialium sine licentia; cùm rescriptum non servata forma sit nullum, quia fines mandati, & rescripti sunt diligenter observandi, aliter factum non tenet. *Cap. cum dilectæ* 22. *de rescrip.* & tradit Bordon. *in Miscell. decis.* 87.

QUÆR. VIII. An monialis, quæ ex uno ad aliud monasterium transfertur, si in via accedat ad locum, in quo existit monialium monasterium, possit ibi hospitio recipi.

RESP. Affirmat Llamas *in Method. curat. in append.* §. 11. *in fine*, quia sic ingrediens servat clausuram eo modo, quo potest, & recipientes fovent hanc observationem; neque credendum est, Pontificem hunc ingressum ita honestati monialis convenientem interdixisse. Distinguit Sanchez *lib.* 6. *Sum. cap.* 6. *num.* 10. posse ingredi, si monasterium sit ejusdem Ordinis, & habitus, secus si diversi, quia lex clausuræ excludit extraneam, monialis autem ejusdem Ordinis, &

habitus non eſt extranea à conventu, ſed moraliter propria illius. Negat abſolutè Caſtro Pal. *p.* 3. *diſp.* 4. *p.* 10. *n.* 4. ſive monaſterium ſit ejuſdem ordinis, ſive diverſi, quia unum monaſterium non communicat cum alio in clauſura. Quod eſt de mente Sac. Congreg. quæ conſulta, an moniales advenæ eſſent admittendæ intra clauſuram, reſpondit negativè *in Piſtorien.* 16. *Julii* 1585. Concedit tamen citatus Caſtro Pal. de Superioris licentia poſſe ingredi, ſi in eo loco non adſit hoſpitium, in quo commodè noctem ducere poſſit, quia eo caſu honeſtati monialis, & decentiæ religioſi habitus conſulitur, ac proinde conſurgit legitima cauſa concedendi.

QUÆR. IX. An viduæ ingredi poſſint monaſterium, ut ibi vitam degant honeſtam, & à ſæcularibus ſeparatam.

RESP. De Epiſcopi, vel Prælati Monaſterii licentia tantùm non poſſe, ſed requiri Pontificis conceſſionem. Quia caſus hic non neceſſitatis eſt, ſed utilitatis, & proinde ſub poteſtate Epiſcopi, vel monaſterii non cadit. Ita referunt deciſum à Sac. Congreg. Miranda, Campan. Homobon. & Barboſ. *alleg.* 102. *n.* 67. Sicuti pariter dicti Doctores referunt deciſum ab eadem Sac. Congreg. non poſſe matribus cōcedi licentiam ingrediendi clauſuram ad inviſendas proprias filias morti proximas, quia talis ingreſſus non eſt mediū adeò neceſſarium ad medendum ægrotantibus filiabus, quibus matrum præſentia præ amoris teneritudine poſſet eſſe nociva.

§. VIII.

De Clauſura quoad Puellas in educationem recipiendas.

QUÆR. I. AN puellæ educationis cauſa poſſint recipi in Monialium monaſteria.

RESP. Admitti poſſe, ut cenſuit Sac. Regularium Congregatio, ſed cum his legibus, videlicet, quòd accedat Superioris, nec non Monialium conſenſus capitulariter præſtandus, & inſuper ejuſdem Sac. Congregationis licentia reponenda in regiſtris Cancellariæ Epiſcopalis, aliàs invalida redderetur. Ita eadem Sac. Congregat. 27. *Maii* 1603. Quòd Monaſterium ſoleat hujuſmodi educandas habere, quare Monaſteria mulierum pœnitentium, vulgò Convertitarum, puellas ad educationem recipere neque ſolent, neque poſſunt, Sac. Congreg. 12. *Maii* 1619. Puella ingrediatur ſola abſque ullo famulatu; ſit major ſeptem annis, minor verò viginti-quinque; habitu, cultuque utatur modeſto, ſine jocalibus, auro, vel ſerico; ſervet locutorium, & clauſuræ leges, & quidquid pro ſuis ſumptibus monaſterio erogandum erit, principio cujuslibet ſemeſtris elargiatur, & pro tali ſolutione debet idonea ſecuritas conſtitui, Sanch. & Barboſ. nec debet permitti, victum dietim à parentibus, vel conſanguineis ſubminiſtrari. Sit in noviciatu cellula pro ea vacua, & numerus puellarum in eo monaſterio educandarum

non ſit expletus, à quo monaſterio puella ipſa nunquam exeat animo revertendi, niſi habitum monachalem ibi ſuſceptura.

QUÆR. II. An ſit peccatum cogere puellas ad ingreſſum monaſterii cauſa ſolius educationis.

RESP. Si coactio eſt illata puellis à non habentibus in illas poteſtatem dominativam, certè eſt peccatum læthale, quia graviter injurioſa, Suar. *t.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 9, *nu.* 4. Si verò ſit illata à parentibus, vel tutoribus, & puellæ ſint impuberes, nullum eſt peccatum, quia utuntur jure quod habent in filias in illa ætate. Si verò ſint puberes, talem coactionem à peccato non excuſat cum aliis Diana *part.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 56. Quia ut obſervat Suar. *loc. cit.* cum puellæ majoris ætatis ſint ſui juris in omnibus his, quæ pertinent ad ſtatum animæ ſuæ, non poſſunt licitè, & ſine peccato à parentibus cogi ad tam arctam cuſtodiam, & rigidam clauſuram, etiam temporalem. Secus ſi ad aliquod tempus talis ingreſſus cenſeatur moraliter neceſſarius ad decentiam, & cuſtodiam ipſarum.

QUÆR. III. An prædicta coactio, quando eſt peccaminoſa, inducat excommunicationem latam à Concilio Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 28.

RESP. Affirmant plures, & graves Doctores relati, & approbati à Diana *loc. cit.* Quia Concilium anathematizando cogentes aliquam Virginem *ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum, vel ad emittendam profeſſionem*, tres prohibet coactiones, unam ſcilicet ad ingreſſum, alteram

ram ad susceptionem habitus, tertiam verò ad emissionem professionis; & quidem inter se distinctas, prout declarat dictio illa *vel*, quæ stat alternativè, & disiungit sensum, & verba. Bartol. *in l. si is, qui ducenta nu.* 2. *ff. de reb. dub.* Natt. *cons.* 625. *vol.* 4. Paris. *cons.* 91. *nu.* 29. *lib.* 2. Adeoque ad contrahendam prædictam excommunicationem sufficit sola coactio ad ingressum, quia in alternativis sufficit alterum adimpleri, *cap. in alternativis de regul. jur. in* 6. Rota *decis.* 569. *nu.* 2. *p.* 1. *recent.*

Cum distinctione procedit Sanchez *in Sum. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 12. Concedit contrahi excommunicationem si coactio ad ingressum ordinetur ad susceptionem habitus, & professionis emissionem; nam cum tali tantùm qualitate derogat libertati, quam Concilium intendit conservare in puellis ad religionem admittendis. Negat verò si ordinetur tantùm ad educationem, donec nuptui tradantur.

QUÆR. IV. An inductio dictarum puellarum ad ingressum monasterii educationis gratia, ut postea suscipiant habitum, subjaceat excommunicationi, si fiat ex metu reverentiali.

RESP. Cum distinctione superiùs allata *c.* 2. §. 2. *qu.* 9. Quamvis cum Riccio Portellius *in addit. ad dub. regular. v. monialis nu.* 11. absolutè doceat, taliter inducentes non affici excommunicatione, etiam si manifestent puellis statum monachalem illis convenire, eo quòd non habeant dotem pro matrimonio, vel eo quòd non illis securum erit, absque

que matrimonio, & monachatu permanere in ſæculo. Et addit hanc eſſe praxim in tota ferè Eccleſia, juxta quam facientes parentes nemo credit illos excommunicatos; & idem aſſerit de ſuadentibus ad ingreſſum per preces importunas, quia ſuaſio importuna non eſt coactio. Verius tamen eſt preces importunas haberi loco coactionis, & compulſionis, ut ex crebriori ſententia teſtatur Sperel. *deciſ.* 150. *nu.*26.

Nihilominus ſententiam Portel. tradit etiã Villal. *in ſum. p.*1. *tract.*17. *dub.*31. *n.*11. Ubi pariter obſervat, Cardinalium Congreg. declaraſſe, non incurrere hanc cenſurã illũ, qui, filiã inſtituit hæredem cum pacto, ut aliquod monaſterium ingrediatur, quòd ſi renuerit, ipſum monaſterium hæredem relinquit, & filiæ ſolum aſſignat alimenta neceſſaria. Quia illa non eſt coactio, nec inductio per vim, ſed potiùs per modum concupiſcentiæ.

QUÆR. V. An Puella educanda exiens è monaſterio abſque Superioris licentia, incidat in excommunicationem.

RESP. Non incidere, quia Bulla Pii V. loquitur de profeſſis. Ita Lugo, & Giballinus *de clauſ. diſp.*1. *cap.*8. *nu.* 4. qui debent intelligi de excommunicatione Papali, ſecus de impoſita ab Epiſcopo, in quam profectò incidit, ſi exeat abſque licentia: & in hoc ſenſu, ut advertit Clericatus *de Sacram. Euch. dec.* 18. *nu.*25. intelligendi ſunt Pollac. & Tamburin. docentes, ſupradictas puellas egredientes abſque licentia è monaſterio excommunicationem incurrere. Si tamen educationis gratia in idem, vel aliud monaſterium ingredi

cu-

cupiat, licentiam novam à Sacra Congregatione petere debet, exprimendo se priùs extitisse in eodem, vel alio monasterio eadem educationis causa; qua pariter licentia indiget quælibet alia, quæ valetudinis gratia ad balnea egressa reverti velit in clausuram, teste Tamburin. *disp.1.q.2.nu.15.*

QUÆR. VI. An annus settimus requisitus in puella ad educationem recipienda, debeat esse completus.

RESP. Quòd sic, quia in licentiis à Sac. Congregatione pro puellarum educandarum receptione expediri solitis præscribitur, quòd puella sit major septem annis; hic autem modus loquendi requirit excessum supra annum septimum, qui proinde debet necessariò esse completus. Neque in hoc possunt dispensare locorum Ordinarii, quia nullus inferior in lege Superioris quidquam potest. Sicuti ob eandem causam neque possunt dispensare, quòd puella commoretur ultra annum ætatis vigesimum quintum completum intra monasterium, licèt agatur non de ingrediendo, sed de permanendo post ingressum; sed debent constituere præfixum terminum, sive ad exeundum à monasterio, sive ad religiosum habitum suscipiendum. Qualis autem debeat esse hic terminus, arbitrio Ordinariorum relinquitur ex æquo, & bono secundùm subjectam materiam. Gloss. *in cap. quicunque v. statim, d.77.* Per hoc tamen quòd puella non statim egreditur, non incurrit excommunicationem commorando intra clausuram, sicut nec eam incurrunt Abbatissæ monasteriorum illam

post

poſt dictum tempus retinentes, quia excommunicatio ligat illicitè ingredientes, aut detinentes illicitè ingreſſam.

QUÆR. VII. An dictæ puellæ manentes in monaſteriis exemptis ſubjaceant Epiſcopo.

RESP. Negativam ſententiem docet Ceſpedes cum aliis ab ipſo relatis *de dub. Regul. cap.* 33. *dub.* 337. exceptis tamen caſibus, in quibus moniales exemptæ ſubduntur Epiſcopo. Ratio fundamentalis eſt, quia locus exemptus, & extra diœceſim æquiparantur, Gloſs. *in Clement.* 1. *de foro compet.* Et juxta hanc doctrinam ſuſtinent prædicti Doctores, non ſubjacere caſibus reſervatis Ordinario: quod deſumitur etiam *ex cap.* 1. *de privileg. in 6.* ubi delictum in loco exempto commiſſum ſupponitur extra juriſdictionem Ordinarii. Attamen abſolutè ſuſtineo, dictas puellas quoad caſus reſervatos ſubjectas eſſe Epiſcopo loci, ubi habitant. Colligitur ex Diana *par. 7. tract.* 12. *reſ.* 14. & tenet in terminis Nogueira *quæſt. ſingular. diſp.* 1. *q.* 8. *n.* 8. cujus fundamentum eſt, quia non ſubjacent moniahum reſervatis, cùm non ſint Religioſæ, nec cum approbatis tantùm à Superiore Regulari confiteri poſſunt, nec ſunt perſonaliter privilegiatæ, quia non ſunt propriè commenſales, cùm ex ſuis vivant, ut rectè docet Diana *loc. cit.*

QUÆR. VIII. An ſaltem ſi aliqua ex his puellis ſit capitulariter admiſſa, & de proximo in monaſterium exemptum ingreſſura poſſit per Prælatos ſui Ordinis à reſervatis Epiſcopo abſolvi.

RESP.

Resp. Affirmant Vecchius, Peyrin. Diana, & Lezana *in mari magno Minorum nu.* 36. ubi addit ita declarasse Clement. 4. Assentitur cum Delbene Antonius à Spiritu S. *in Direct. regular. tract. 2. sect. 5. nu.* 227. Quia cum parata existat ad ingressum, reputari debet tanquam ingressa, *argum. leg. penult. de milit. testam.* Ubi proximè accingendus habetur pro accincto. Negantem sententiam veriorem censeo; quia puella de proximo ingressura adhuc dicitur sæcularis, neque per solam acceptationem ad religionem dici potest Deo dicata, quia per solam acceptationem non constituitur cum effectu neque proximè in via ad religionem, cum non constituatur in anno probationis, qui ducit proximè ad religionem, & ratione cujus novitiæ dicuntur proximè in via, Pasqualig. *in decis. moral. decis.* 424. *nu.* 5. Quod confirmatur ex eo, quòd puella de proximo ingressura, non gaudet privilegio canonis, licèt versemur in materia favorabili, non alia ratione, nisi quia habitu religionis nondum assumpto, nec anno probationis inchoato non dicitur religiosa, sed sæcularis, *per cap. religioso de sent. excom. in* 6. Ergo ob eandem rationem neque gaudebit privilegio absolutionis à reservatis.

Neque in præsenti locum habet ratio deducta *ex l. penult. ff. de milit. testam.* quia innititur duplici fictioni, quarum prima est, quòd actualiter ingressæ fruuntur monialium privilegiis non jure proprio, cum non sint verè religiosæ, *ut ex cit. cap. religioso*, sed jure alieno, & per quandam extensionem, qua-

quatenus ſcilicet per fictionem juris cum ſint de proximo profeſſuræ, habentur ut profeſſę. Secunda verò, quòd puella capitulariter admiſſa trahitur ad participationem eorundem privilegiorum, quia per fictionem pariter juris cum ſit parata ad ingreſſum habetur pro ingreſſa. Et una quidem ex his duabus fictionibus fundatur in alia, quia fictio quòd puella parata ad ingreſſum habeatur pro ingreſſa ad effectū gaudendi monialiū privilegiis, fundatur in fictione, quòd actualiter ingreſſæ in ordine ad eūdem effectū habeantur ut profeſſæ. Concurſus autem duarum fictionum ita ut una fundetur in alia, non permittitur in jure, *l.* 1. *C. de dot. promiſ.* ubi Bald. & cæteri Doctores.

QUÆR. IX. An Puellæ quo ad uſque cauſa educationis morantur in monaſteriis gaudeant privilegio fori.

RESP. Non gaudere neque ratione perſonæ cum non ſint Deo dicatæ, juxta *cap. quiſquis* 17. *q.* 4. neque ratione familiaritatis, aut commenſalitatis, quia ut diximus vivunt ex propriis. Non per hoc tamen, ſi delinquunt puniri debent à judice laico, ſed ab Epiſcopo. Quoniã explorati juris eſt, delinquentes puniendos eſſe ab Ordinario illius loci, in quo delictum fuit commiſſum, *c.* 1. *infin.* 3. *q.* 6. *l. ſi cui* §. *Imperator.* Rota Avenionen. *deciſ.* 114. *n.* 2. Menoch. *conſ.* 466. *n.* 17. An autem, ſi delictum ſit atrox, poſſint extrahi à monaſterio non obſtante immunitatis privilegio, videbimus infrà, *cap.* 10. *q.* 12.

QUÆR. X. An dictæ puellæ, quæ in monaſteriis exemptis educationis gratia degunt, con-

contingat eas mori, nulla electa sepultura, debeant in Ecclesia Monialium, an in Parochia, in qua domicilium retinent, sepeliri.

Resp. Esse in monialium Ecclesia sepeliendas, sustinet acriter Bordon. *in Miscell. decis.* 128. Tum quia partes sunt ejusdem corporis monastici, licèt imperfectæ, consequenter eodem jure censendæ sunt; tum quia id colligitur ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 11. *& sess.* 25. *cap.* 11. in quibus locis personæ commensales actu Regularium, apud quos domicilium, & habitationem contraxerunt, gaudent eorum juribus, & privilegiis. Immò addit idem Bordonus, quòd si dictæ puellæ eligerent in aliena Ecclesia sepulturam, funus esset ducendum à Confessario, non à Paroco, quia ad illum spectat funus perficere, ad quem pertinet ejusdem funeris inchoatio; ad solum autem Confessarium spectat initium funeris, & cadaveris levatio ex monasterio, quia nemo præter ipsum ibi jus habet, cum locus sit omninò exemptus à jure parochiali. Quare Confessario etiam debetur quarta funeralis, quæ datur propter onus, quod sustinetur in administratione Sacramentorum ex officio, *cap.* 1. *Relatum capit. de his de sepult.* Unde cùm Confessarius non minus administret Sacramenta suis Monialibus, mulieribus, & puellis existentibus intra clausuram, ac faciat Parochus quivis respectu suarum ovium, eidem pari ratione debetur quarta funeralium.

Oppositam sententiam tuetur mordicùs Pignatellus *t.* 7. *consult.* 65. Probat, quia puellæ, quæ ad tempus causa educationis

sunt

ſunt hoſpites in monaſterio, dicuntur peregrinantes, deſumitur *ex l. 1. §. hoc autem de his, qui dejecerint*, ibi: *Tantum autem intereſt inter habitatorem, & hoſpitem, quantum intereſt inter habitatorem, & peregrinantem*. Si igitur ſunt peregrinantes, non amittunt parochiam, & ideò ſi contingat eas mori in monaſterio, non electa vel à ſe ipſis, vel à parentibus ſepultura, debent in propria eccleſia parochiali ſepeliri. Immò ſi dictæ puellæ nullum in aliqua parochia retinent domicilium, jus ſepulturæ ſpectat ad Parochum illius parochiæ, in qua ſitum eſt monaſterium; quia ſi contingat celebrari illarum puellarum matrimonia, Parochus dictæ parochiæ intereſt illorum celebrationi, ergo intereſſe debet & funeri, quia jus illius funerandi competit ei eodem jure, quo ei competit jus celebrandi matrimonia, utrumque enim eſt jus parochiale.

§. IX.

De Clauſura quoad Monialium egreſſum.

QUÆR. I. OBquas cauſas poſſint Monales egredi è Monaſterio.

RESP. Cauſas legitimas, ob quas moniales exire poſſunt, declaravit Pius V. & ad tres reduxit *in ſua conſtit.* quæ incipit, *Decori, edita Kal. Februarii* 1569. nempe grave incendium, lepram, & epidemiam. Nomine magni incendii communiter Do-

cto-

ctores intelligunt incendium, cui succurri non potest absque periculo pereundi moniales, si intra claustra commorentur. Casus incendii non respicit tantùm communitatem, ut communitas est, sed etiam omnes ejus personas ut singulas, atque adeò si una tantùm periclitetur, cui aliter succurri non possit, erit licitus egressus è clausura. Ita Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 11. Sub lepræ nomine venit infirmitas contagiosa, ob quam ea infectus à communi omnium consortio separatur. Non erit tamen legitima causa exeundi, si monasterium sit ita capax, ac ea sit medendi eidem infirmitati commoditas, ut nullum immineat aliis monialibus periculum. Quia in hoc casu cessat exeundi necessitas, quæ hujus concessionis est causa, ut cum aliis notat Sanchez, *lib.* 6. *cap.* 15. *nu.* 32. Nomine epidemiæ non venit morbus popularis de facili sanabilis, sed infectio pestilentialis malignam qualitatem præseferens, quæ facilè ad alios diffunditur cum manifesto mortis periculo. Zachias *lib.* 8. *tit.* 3. *qu.* 1. *nu.* 7. *& seqq.* & Doctores apud Navar. *in Summa Bullar. p.* 2. *com.* 37.

QUÆR. II. An possint Moniales exire ob alias causas similes expressas à Pio V.

RESP. Affirmant sexdecim Doctores, quos refert, & approbat Pasqual. *in Lauret. num.* 30. Quia licèt Pontifex utatur dictione *Nisi*, quæ videtur excludere omnes alias causas; verùm hæc dictio non excludit casus similes, ut *in l. si mora v. dumtaxat ff. soluto matrim.* ubi Castren. *nu.* 9. Jason. *num.* 5. & alii; ideò nec etiam in præsenti casu excludet.

det. Neque obſtat quædam declaratio Sac. Congreg. quæ habet, *nomine epidemiæ eam tantùm epidemiam intelligere, quæ eſt vera, & realis peſtis, ita ut ob alias infirmitates huic aliquo pacto conſimiles, ſed tamen benigniores, etiam ſi epidemiæ nomine nuncupentur, nullo pacto monialibus profeſſis ex monaſterio exire liceat.* In qua declaratione notandum eſt, quòd non dicit abſolutè *ſimiles, ſed aliquo pacto conſimiles*, quod eſt valdè diverſum; & proindè dum declarat, quòd Conſtit. Pii V. non ſe extendit ad infirmitates aliquo pacto ſimiles, non ſequitur, quòd non ſe extendat ad ſimiles; in ſimilibus enim militat ratio finalis legis, & ideò ipſa quoque lex locum habet. At in aliquo pacto ſimilibus non militat abſolutè ratio legis; quia non ſufficit aliqualis ſimilitudo ad trahendam rationem legis. Ad caſus formaliter ſimiles reducuntur imminens bellum, fluminis inundatio, ædificiorum ruina. Navar. Barboſ. Bonac. relati a Paſqual.

QUÆR. III. An ſit licitus egreſſus è Monaſterio, ſi monialis laboret morbo ita periculoſo, ut deſperetur ipſius ſalus, niſi è monaſterio egrediatur.

RESP. Affirmant aliqui penes Paſqual. *loc. cit.* Tum quia caſus iſte eſt urgentior expreſſis in Conſtitutione Piana; tum quia lex eccleſiaſtica, qualis eſt hæc de monialium clauſura, cum periculo vitæ non obligat. Negant alii; quia hic caſus eſt valdè diſſimilis illis tribus expreſſis in citata Conſtitutione. In illis enim ſolùm communis boni aliarum monialium ratio habetur, præſens autem

ca-

casus solùm respicit utilitatem monialis particularis, atque adeò casus excepti in dicta constitutione cum dictione taxativa ratione boni communis non sunt extendendi ad casum utilitatis privatæ. Ita Sanch. Gutier. Barbos. & alii relati à Pignatel. *t.* 9. *consult.* 190. *num.* 10. ubi etiam *num.* 5. addit, quòd cum in Sac. Congreg. Concil. esset dubitatum, an monasterium situm in loco paludoso, propter quem aer sit insalubris, & periculosæ infirmitates moniales invadant, comprehendatur in Constit. Pii V. adeò ut moniales exire non possint ad curandas dictas infirmitates, Sac. Congreg. censuit comprehendi, casum tamen esse dignum provisione speciali.

Quær. IV. An in prædictis casibus requiratur ad egrediendum licentia Superioris, & cujus.

Resp. Requiri, & patet ex Concil. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 6. & ex superiùs citata constit. Pii V. Probatio causæ, & licentiæ concessio spectat ad Episcopum in Monasteriis sibi subjectis; in Monasteriis verò sub Regularium cura degentibus debent causæ probari, & licentia concedi ab Episcopo, & Monialium Superioribus conjunctim, ut constat ex dictione illa *& simul* posita in citata Constit. ita enim habet, *Sitque causa hæc cognita, probata, atque etiam in scriptis expressa per Superiores, & simul per Ordinarium*. Hæc enim dictio importat simultatem, & conjunctionem, juxta ea, quæ habent Bald. & Rollād. & ideò, si aut Superiores, aut Ordinarius dissentiant, nec putent

cau-

cauſam ſufficientem, non poterit concedi licentia, quæ debet eſſe in ſcriptis, ut ex cit. Conſtit. *in ſcriptis expreſſa*. Nomine Epiſcopi, qui approbare cauſam debet, venit Vicarius generalis, non verò Foraneus, quia non hic, ſed ille eſt verè Ordinarius, & unum cum Epiſcopo tribunal conſtituit. Barboſ. *cit. allegat. nu.* 29. Sanch. & Bonac. qui etiam extendunt ad Vicarium Capitularem Sede vacante, ſi ei à Capitulo expreſsè hæc poteſtas ſit demandata, etiam quoad monaſteria exempta, ut ſuperiùs diximus *cap.* 6. §. 2. *qu.* 2.

QUÆR. V. An ſtante cauſa legitima egreſſus, poſſit monialis abſque licentia exire, ſi nolit Epiſcopus, vel Prælatus eam licentiam concedere.

RESP. Poſſe, ſi conſtet evidenter de cauſæ legitimitate, ſive teneatur ad clauſuram ex ſola lege eccleſiaſtica, ſive ex voto, quia neque lex eccleſiaſtica, neque votum, quod ejus obligationem imitatur, cenſetur per ſe obligare cum gravi detrimento propriæ vitę, & boni communis. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 15. *nu.* 51. & Layman. Si verò legitimitas cauſæ ſit dubia, Superioris judicio ſtandum eſt, atque adeò exire non poterit; quod pariter aſſerendum caſu, quo ex egreſſu orirentur ſcandalum, & religionis infamia, ut frequenter contingit ex reſiſtentia Prælato facta. Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 12.

QUÆR. VI. An dentur aliæ cauſæ, ob quas moniales poſſint abſque licentia egredi è clauſura.

RESP. Quòd ſic; ſcilicet, ſi monialis eſſet

inju-

injustè damnata ad perpetuum carcerem; secus verò si esset justè detenta, nam tunc teneretur proprii delicti subire pœnam, nisi fortè adeò malè tractaretur à custode, ut denegaretur cibus, vestitus, aut ignis, seu necessaria ad vitam sustentandam. Ita Doctores citati à Sanch. *lib.6. cap.8. nu.* 14. Vel nisi ageretur de vitanda mutilatione, aut morte violenta infligenda vel per judicis sententiam, ut de sæculari asserunt Lessius, & alii cum D. Thoma, vel per injustam hostis aggressionem, ut in puncto firmant Sanch. & Tamburin. *disp.20. q.7. nu.* 2. qui pariter docet *disp.19. q.5. ad 8.* esse licitum egressum, si periculum vitę certò immineat Moniali ob graves molestias, & vexationes, quas injustè patitur, & habere non potest Episcopum, aut Superiorem, à quo sublevetur, quia hoc est veluti ab extrinseco occidi; & hoc extendit etiam ad casum, in quo monialis effecta gravida timeret cum famæ propriæ, ac monasterii, etiam vitæ jacturam. Ratio in omnibus prædictis casibus est, quia jus naturæ cuique competens ad conservandam vitam, nullo religiosorum voto abdicatur. Huic doctrinæ subscribit etiam Del Bene *de Immunit. Eccles. t.2. cap.19. dub.17.* ubi *num.7.* assignat discrimen, quare licitus sit egressus, quando periculum vitæ est ab extrinseco, non autem ab intrinseco; nam in primo casu periculum facilè vitatur per fugam, non sic in secundo; cùm enim sit intrinsecum, comitatur ipsam monialem, & sic per fugam non cessat, unde viget semper obligatio certa de clausura.

QUÆR.

QUÆR. VII. An monialis poſſit egredi ad habendam curam nepotum omni auxilio carentium.

RESP. Non poſſe niſi ſummi Pontificis licentia interveniente ; Sac. Congreg. apud Armend. *in Addit. lib. 2. tit. 10. lib. 7. de Relig. nu. 105.* Neque ad habendam curam conſanguineorum infirmorum , Tamburin. & Bonac. *ubi ſupra*. Neque ad ſuccurrendum in extrema neceſſitate parentibus , aut filiis; & ſi alii contrarium ſentiant , cum in tali caſu quam maximè urgeat jus naturæ , & obligatio charitatis. Ita del Bene *loc. cit.* qui *dub.* 21. advertit , quòd in caſibus , in quibus monialis egreditur ſine licentia , tenetur poſteà id Superiori ſignificare. Quod intellige , ſi poſſit , & duret egreſſus ; quia egreſſu adhuc durante, poteſt Superior illum emendare , ſi cauſam , cujus cognitio pertinet ad ipſum , non approbat. At non tenetur ſi jam egreſſus ceſſavit. Vide Bonac. *de clauſ. q. 1. punct.* 8. ubi notat , monialem ad tempus legitimè egreſſam teneri ſtatim redire finito negotio , ad quod exivit ; quia ceſſante cauſa conceſſionis egreſſus , ceſſat conceſſio . Hoc autem præceptum de ſtatim redeundo , cùm ſimus in moralibus , moraliter eſt intelligendum , ita ut monialis illud non violet , ſi per unum , vel alterum diem alicubi moretur , vel ad clauſuram rediens in itinere aliò divertat ad viſendam imaginem ſacram , cognatam , vel amicam . Ita del Bene *loc. cit. dub.* 20. *num.* 4. alios citans .

QUÆR. VIII. An monialis poſſit egredi,

di, ut sit Abbatissa alicujus monasterii, & ob alias similes causas.

Resp. Ex communi Doctorum affirmativè; discrepant tamen in hoc, quòd eorum aliqui censent licitum esse egressum cum sola Ordinarii, & Prælati Regularis approbatione, & consensu, nulla Sedis Apostolicæ, & Sac. Congregationis interveniente facultate, quia hìc etiam, sicut in casibus in cit. Constit. Pii V. expressis, militat ratio boni communis Religionis, ad quam spectat bonam Prælatam præficere. Requirunt tamen, quòd iste transitus fiat ad monasterium ejusdem ordinis, & habitus. Et ita tenent decem & septem Doctores apud del Bene *loc. cit. dub.* 14. qui ob eandem rationem asserunt posse concedi moniali egressum, ut sit Magistra Novitiorum, quin & ut præsit portæ, vel rotæ in alio monasterio similiter ejusdem ordinis, & habitus; immò ad novum monasterium ejusdem ordinis fundandum, vel etiam reformandum. Alii verò sustinent in supradictis casibus non licere egressum absque Sedis Apostolicæ, vel Sac. Congregationis licentia; & ita docent Savar. Zerola, Barbos. Tanìburin. & Diana ex pluribus Sac. Congregat. declarationibus, & ita absolutè est observandum præcipuè ex Decreto Pauli V. *sub die* 27. *Decembris* 1617. publicato, & generalibus Ordinum Procuratoribus intimato. Unde neque causa correctionis sine tali licentia possunt transferri de uno monasterio ad aliud, quamvis in primo corrigi non possint cognatorum timore, vel alia simili

cauſa. Quòd ſi aliqua monialis ſit adeò incorrigibilis, ut in nullo monaſterio correctio ſperari poſſit, non per hoc erit eucienda, ſaltem inconſulto Pontifice, utpote quid novum, & inuſitatum, atque adeò ſcandalum generans: quapropter in tali caſu carceri potiùs, ne alias inficiat, includi debet, quàm cum tanto ſcandalo, & præjudicio boni communis monaſterii expelli, idque ex Sac. Congregat. *in una Redoven.* 1617. *& altera* 1603. ſentiunt Barboſ. Gavant. Lezan. & Riciul. qui advertunt, quòd monialis, cauſa fundationis, reformationis &c. egreſſa poſſit de conſenſu utriuſque monaſterii finito negotio ad primum monaſterium redire, etiam ſi ſocia, cum qua egreſſa fuit, redire nolit.

QUÆR. IX. An moniali concedi poſſit egreſſus ad ſtrictius monaſterium.

RESP. Poſſe, & hoc ex declarationibus Sac. Congregat. quæ *in una Nanaten.* 1613. *& in una Rodonen.* 1617. expreſsè decernit, quòd non obſtante rigoroſa clauſura monialium, poſſit adhuc monialis, ſervatis ſervandis, tranſire de una religione ad aliam, at in caſu, quo tranſeat, debet in Religione, ad quam tranſit, Novitiatum facere, & profeſſionem emittere. Ad talem egreſſum requiritur Ordinarii, & Superiorum licentia, quæ ſufficit ſi ſit petita, licèt non obtenta, ſicuti de religioſis viris dicitur; ita del Bene *ubi ſupra dub.* 19. *nu.* 7. Quod tamen non videtur admittendum, quia hìc non agitur de egreſſu ſimpliciter, ſed de egreſſu qualificato obligatione clauſuræ, ad quam re-

requiritur dispensatio, & licentia, quæ licèt possit concedi ab Episcopo, consultiùs tamen est, ut petatur à Sac. Congregat. ut advertit Barbos. de jur. Eccles. *lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 76.

In hujusmodi translatione sequentes sunt observandæ conditiones, videlicet quòd antequam monialis è primo monasterio egrediatur, aliud sit paratum, in quo benevolas habeat receptrices, & etiam capitulariter, & per secreta suffragia recipiatur; deinde ut dotem solitam ab aliis præstari solvat, & spes illi auferatur ad primum monasterium redeundi; insuper quòd translatio fiat comitantibus matronis consanguineis gravibus ab uno ad aliud monasterium, recta via, absque diverticulo, ac nusquam pernoctetur, nisi causa hospitii, idque nonnisi apud honestas personas, ut pluries fuit observatum ab eadem Sac. Congr. & præcipuè *in una Nanaten.* 16. *Januarii* 1615.

Quær. X. An monialis, quæ à monasterio aufugit, timens justè, ac probabiliter à monialibus sui monasterii mortem sibi veneno inferendam, possit transire ad aliud monasterium diversæ regulæ, etiam laxioris.

Resp. Affirmativè. Nam cum in præfato monasterio tutè manere non possit propter odia, & persecutiones, neque in *iis* monasteriis ejusdem Ordinis absque molestia vivere queat propter infamiam, & pudorem, quo continuò suffunderetur, cùmque in aliis monasteriis diversi Ordinis tranquillum cum ingenti bono, & augmento spiri-

tuali vitam abſque animi ſolicitudine ducere poſſit, utique licita eſt translatio etiam ad Ordinem laxiorem, ob majus bonum ſpirituale, quod præcipuè attendi debet. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *ar.* 8. & cum eo Suarez. Quare injuncta priùs moniali pœnitentia ſalutari, cum obligatione relinquendi dotem priori monaſterio, & ſolvendi novam ſecundo, hujuſmodi translatio indulgenda videtur. Atque ita reſolvit Sac. Congregat. Epiſcop. *in una Meſſanen. die* 29. *Aprilis* 1603. *& in una Cæſaraguſtana tranſitus* 1636. teſte Pignatel. *t.* 1. *conſult.* 120.

QUÆR. XI. An caſu quo totum aliquod monaſterium transferri debeat in aliud monaſterium de novo conſtructum, talis translatio fieri poſſit inconſulta Sede Apoſtolica.

RESP. Non poſſe, & hoc ex praxi Sacræ Congregationis, quæ in hujuſmodi caſibus ſolet expreſsè hanc facultatem concedere, ut cum aliis obſervat Caſſianus *v. Clauſura num.* 197. Nihilominus non deſunt oppoſitum ſentientes ex Barboſ. *allegat.* 102. *num.* 27. cum ibi relatis, & colligunt ex quadam declaratione Sac. Congregat. edita 17. *Julii* 1615. in qua habetur, quòd auctoritas Sedis Apoſtolicæ requiritur tantùm ad conſtructionem novi monaſterii, non verò in monialium translatione; unde eo ipſo quòd intervenit in conſtructione, non eſt opus alia facultate in translatione, quia hæc conſequitur ad conſtructionem; quare ſubintrat regula, quòd conceſſo principali, conceduntur ea omnia, quæ veniunt in conſequen-

quentiam ad ipsum. *Cap. prudentiam §. sive-rò de off. deleg.* Hoc autem est conforme dispositioni Concilii *sess. 25. de Regular. cap. 5.* ubi statuit, quòd monasteria Sanctimonialium extra mœnia urbis, vel oppidi, curent Episcopi, vel alii Superiores, si ita videbitur expedire, ut ad nova vel antiqua monasteria intra urbes, vel oppida reducantur. Hæc autem translatio, nisi nova monasteria erigantur, fieri debet ad monasteria ejusdem ordinis, applicatis ipsis redditibus monasterii translati, ut refert decisum Zerola *p.1. Praxis, v. Monialis.* An autem Episcopi possint monasteria exempta transferre, affirmat Vveims. *constit. 15. num. 47.* quia etiam ipsa quoad clausuram subduntur Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato.

QUÆR. XII. An monialis cum licentia egressa ad curandam infirmitatem, & intra domum privatam inclusa, violet clausuram, si huc, & illuc vagetur.

RESP. Non violare. Ita Navar. Sanch. & Tamburin. quia monialis non ligatur lege clausuræ nisi intra proprium monasterium; & cum obligatio clausuræ sit odiosa, ultra limites monasterii non est extendenda. Si tamen Superior moniali in domo privata commoranti præscribat clausuram, tunc eam tenetur etiam in privata domo servare, quia tale præceptum est à Superiore potente clausuram indicere.

QUÆR. XIII. An liceat mittere extra clausuram moniales conversas ad quæritandas eleemosynas.

RESP. Doctorum aliquos concedere,

alios negare, ut videre eſt apud Donatum *rer. Regular. t. 4. tract. 3. q. 18.* Conſuetudini ſtandum eſſe non dubito, obſervatis tamen conditionibus per Sac. Congregationem præſcriptis, nimirum. Quòd Converſæ extra caſum quæſtuandi non egrediantur, neque ad alia monaſterii negotia peragenda. Saltem binæ ſimul incedant, ſint ætatis non minus annorum quadraginta, & vitæ exemplaris, bonæque ædificationis. Extra monaſterium nullo modo pernoctent, neque extra Civitatem, terras, & loca, in quibus monaſteria conſiſtunt, egrediantur; niſi ex loci anguſtia, & paupertate ſecùs Epiſcopo, vel miniſtro provinciali viſum fuerit eſſe neceſſarium. Quòd ſi hac de cauſa neceſſe eis fuerit extra monaſterium pernoctare, nonniſi in domibus perſonarum probatæ vitæ, & famæ hoſpitentur.

§. X.

De Clauſura quoad acceſſum Extraneorum.

QUÆR. I. QUid importet de ſuo formali acceſſus ad monaſteria interdictus.

RESP. Duo copulativè importare, videlicet locum, ad quem fit acceſſus, & collocutionem. Ita ex Januario *de caſib. reſerv. reſ. 29. num. 15.* & Pace Jordano *tom. 2. lib. 7. tit. 12. num. 57.* & deſumitur ex Sac. Congregationis decretis editis juſſu Sixti V. *anno* 1590. & Urbani VIII. *anno* 1623. in quibus

de

de accessu, & colloquio semper copulativè fit mentio. Neque valet, quòd accessus ad monasteria non prohibetur per se, sed tantùm ut medium ad locutionem, unde tota ratio prohibitionis consistit formaliter in sola locutione, atque adeò, id, quod formaliter prohibetur, est sola locutio. Nam falsum est, quòd accessus ad monasteria non prohibeatur per se, sed tantùm ut medium, quia non tam ex accessu possunt oriri verba turpia, quæ spectant ad locutionem, quàm ex colloquio tactus inhonesti, qui pertinent ad accessum. Cùm igitur finis Sac. Congregationis fuerit utrumque præcavere, dicendum est, utrumque per se prohibuisse; sed quia prohibuit copulativè, ideò utrumque ad violandam legem, utpote pœnalem, necesse est intervenire.

Hinc est, quòd qui tantùm accedit, sed non loquitur, vel tantùm loquitur sine accessu, non facit contra legem, nec pœnas incurrit, quia ad has contrahendas debent concurrere omnes qualitates à decretis requisitæ, *cap.* 1. *de homicidio in* 6. & notant Jo: Andreas *ibid.* per illum textum, Jul. Clar. *lib.* 3. §. *fin. q.* 83. *num.* 9. Quare locutio cum monialibus in domibus propinquis non comprehenditur sub prohibitione. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *ref.* 48. Tamburin. Lezana, Januar. contra Merol. & Pasqual. *in Lauret. n.* 1124. Neque vi dictæ prohibitionis est interdictum scribere monialibus, non quia scribere non sit formaliter loqui, sed quia deficit ratio accessus. Ita Ricius, Barbosa, Januar. Tamburin. & alii. E contra verò contra prohibi-

tionem facit, qui loquitur per nutus, & ſigna; quia ex una parte adeſt ratio acceſſus, & ex alia intervenit etiam locutio, nam verè explicat moniali ſuos internos conceptus, in qua manifeſtatione conſiſtit formaliter locutio; in nullo refragante, quòd talis manifeſtatio fiat per nutus, non verò per verba, quia differentia ſe tenet penes modum, non penes ſubſtantiam. Ita Graffius, & plures alii, quos refert, & ſequitur Philippin. *de Privil. ignorant. in Append. ad cap. 4. nu. 284.*

Rurſus non facit contra prohibitionem, qui loquitur cum moniali idiomate ab ipſa non percepto, quia deficit collocutio; non enim dicitur loqui cum moniali, ſed loqui coram ipſa; nam locutio, ut ſit completa, debet tranſmittere conceptus loquentis ad audientem, & eos illi communicare, quo ſecluſo, non habetur formaliter locutio. Ita Merol. Paſqual. *n.* 1120. & Januar. qui addit, quòd ſi quis loquatur per intermediam perſonam, non facit contra prohibitionem, nam tunc explicat ſuos conceptus alteri, & hic moniali. Hoc tamen non approbat idem Paſqualig. quia ſi locutio eſſet directa ad monialem, verè ipſam alloqueretur, & finis ipſius eſſet communicare ſuos ſenſus moniali, & ſolùm eſſet facere fraudem legis, & proinde legem violare. Ita Graff. & Lezana *in Sum. v. Moniales* 20. Quod pariter dicendum eſt de eo, qui loqueretur cum moniali, ipſa nihil reſpondente, quia finis legis eſt tollere commercium locutionis, quod habetur, ſive monialis reſpondeat, ſivè non: ſecùs

di-

dicendum, si monialis loqueretur, religiosus verò nihil responderet, quia non est prohibita auditio, sed locutio. Pasqual. *loc. cit. num.* 1123.

QUÆR. II. An alloquentes cum Monialibus sine licentia peccent mortaliter.

RESP. Attentis tantùm antiquis juribus, de quibus infrà *q.* 4. & præcisa particulari Episcopi prohibitione, Clericos, & Laicos sine justa causa, & legitima licentia semel aut iterum accedentes ad colloquendum peccare venialiter, docent Llamas, Manuel, Navar. & Sanch. *in sum. lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 119. mortaliter verò si frequentent, dummodò tamen præcesserit monitio Episcopi præceptiva, qua deficiente, sicut cessat contumacia, ita deficit etiam peccatum, nisi ex tali frequentia consurgat scandalum, aut finis aliquis turpis admisceatur, quæ circumstantiæ difficillimè possunt à frequentia separari. Et ideò frequentem collocutionem adolescentis cum moniali rarò à mortali excusat Castropal. *p.* 3. *de vot. relig. obed. disp.* 4. *pun.* 11. *nu.* 9.

Verùm tam Clericos, quam laicos mortaliter peccare absolutè, & sine ulla distinctione sustinent Rodriq. Miranda Bonac. *par.* 3. *n.* 1. *q.* 3. *de elauf.* & alii. Qui à fortiori idem asserunt de Regularibus contra Bordon. in *Conf. Regul. res.* 7. *nu.* 81. Delbene *t.* 1. *de immunit. c.* 14. *dub.* 5. *n.* 25. Siquidem Sac. Congr. prohibet tanquam aliquid grave, & imponit transgressoribus pœnam valdè gravem, quæ non solet imponi nisi pro peccato mortali; ut notant communiter Doctores. Undè hanc sententiam sustinent Merol. Coriolan.

Nald. & alii penes Paſqualig. *loc.cit. n.* 1117. Quod etiam declaravit Sac.Congr. *ſub die* 1. *Julii* 1606. teſte Duardo *lib.* 3. in Bullam Cœnæ §. 8. *qu.* 2. *n.* 47. Et hoc habet locum etiam ſi locutio ſit de rebus indifferentibus, quia finis legis eſt tollere commercium præſentiale propter pericula, quæ inde oriri poſſunt, hoc autem commercium exercetur in quacunque locutione, de quacunque materia ſit, & proinde militat ſemper eadem ratio finalis. Neque valet quòd lex iſta, utpote fundata in præſumptione colloquii ad malum finem, & in periculis annexis tali collocutioni, ceſſet obligare, ceſſantibus periculis, & prædicta præſumptione. Lex enim ſemper obligat, quamvis in aliquo caſu non adſit periculum, quod intendit vitare, quia non ceſſat finis adæquatus ipſius. Unde matrimonium clandeſtinum ſemper eſt invalidum, quia in modo illo contrahendi præſumitur, ſeu judicatur periculum eſſe fraudis, eſto quòd in hoc, vel illo caſu particulari nullum ſit hujuſmodi periculum; ſemper enim verum eſt dicere, talem contractum ſic factum eſſe periculoſum.

QUÆR. III. An detur parvitas materiæ, ſeu collocutio ad breve tempus excuſans à peccato mortali.

RESP. Quamplures Doctores parti affirmativæ adhærere, inter quos Graff. & Diana. Siquidem non magis obligat lex humana, quàm obliget lex divina; ſi igitur in tranſgreſſione legis divinæ datur parvitas materiæ excuſans à mortali; debet etiam admitti in tranſgreſſione legis humanæ. Diſcrepant ta-

tamen in assignando, quænam in hoc casu censenda sit parva materia. Graffius putat, transeunter monialē salutare, & parum colloqui esse parvitatem materiæ. Quartus quadrantem horæ, Diana spatium unius Miserere in materia parva constituunt. Hæc tamen sententia de parvitate materiæ omninò est reiicienda, sicut eam rejecit speciali suo decreto Sac. Congregatio Concilii, Clemente IX. approbante, estque sequentis.

Die 11. *Maii* 1669. *Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum. Habita notitia, quòd nonnulli Regulares absque licentia crates monasteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prætendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usquè ad quadrantem horæ cum dimidio, quòd horologio arenario aliquando metiuntur, moniales, aliasque personas intra clausuram existentes alloqui, & hanc opinionem tanquam tutam affirmant, disseminant, & forsan etiam evulgant, proprias graviter illaqueantes conscientias, scandala confoventes; ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, reiiciens, ac damnans declaravit. Regulares cujuscunque ordinis, militiæ, Societatis, Congregationis, & Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad monasteria monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, & etiam ipsis Regularibus subjecta, vel alias speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam*

per quodcunque modicum temporis spatium cum monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad monasteria monialium, statutis pœnis, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coerceri. Et die 7. Junii ejusdem anni facta relatione SS. Domino Nostro, Sanctitas sua præsentem declarationem approbavit, ac typis dari, servarique jussit.

Non desunt tamen Doctores aliqui recentiores, inter quos Amænus, oppositum docentes etiam post dictam declarationem, moti hac ratione, quòd, cum finis legis colloquium prohibentis sit pericula, & scandala præcavere, ut clarè desumitur ex illis verbis *scandala confoventes*, tunc solummodò colloquium, etiam intra modicum tèporis spatium, erit prohibitum sub gravi, quando graviter adversabitur fini intento à lege, atque adeò tunc solummodò erit peccatum mortale, quando connectetur cum periculis, & scandalis, quæ ex ipso, etiam intra modicum tempus, possunt oriri.

Totum hoc confirmant paritate rationis. Nam quando lex prohibet incedere noctu cum armis per civitatem, non prohibetur incessio noctu præcisè, sed incessio cum armorum delatione conjuncta, quia sub illa tantùm ratione adversatur fini intento à lege. Ergo pariter quando prohibetur collocutio etiam ad modicum tempus, non prohibetur collocutio præcisè, sed quatenus connectitur

cum

cum periculis, & ſcandalis, quia ſub hac tantùm ratione adverſatur graviter fini legis.

At prædicti Doctores nullatenus ſunt audiendi. Cum enim Sac. Congregatio in aliis declarationibus, præcipuè in declaratione infrà referenda, declaraverit, Regularibus pro munere prędicationis obeundo miſſis ad crates prohibitùm eſſe ſub mortali, nec non cenſuris, & pœnis, immediatè poſt cum monialibus immiſcere ſermones cum quæſtionibus & dubiis ſpiritualibus aut materiis ipſius cōcionis, in quibus nulla ratio ſcandali, aut periculi reperitur, ſignum eſt, quòd collocutio nō eſt prohibita tantummodò ex ſuppoſitione periculi, vel ſcandali, ſed abſolutè, quia lex intendit omninò tollere commercium præſentiale, quod per quamcunque collocutionem, etiam ad modicum temporis ſpatium exercetur. Tum quia non ſpectatur, quale ſcandalum, aut periculum ſequatur, uno contraveniente; ſed quale ſi à multis, & communiter fiat. Sanch. *in Sum lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 8.

Quær. IV. Quo jure ſive ſæcularibus, ſive Regularibus prohibeatur acceſſus ad monaſteria monialium.

Resp. Eſſe prohibitum jure antiquo. *Cap. Monaſteria de vita, & honeſt. Cleric.* & *Cap. periculoſo de ſtatu Regular. in* 6. Idem ſpecialiter prohibetur Religioſis. *Cap. definivimus* 18. *q.* 2. & extant duo decreta, unum ſub Sixto V. *Nonis Maii* 1590. alterum ſub Urbano VIII. *duodecimo Kal. Decemb.* 1623. Advertendum tamen eſt, quòd prohibitio colloquendi moniales non ſolet comprehendere ſæculares conjunctos in primo, ve-

ſe-

ſecundo gradu, *Peruſina* 18. *Januarii* 1618. *Monopolitana* 6. *Maii* 1625. excepto caſu, in quo ex conſtitutionibus Monaſterii, vel ſpeciali Epiſcopi decreto prohiberẽtur etiam conjuncti in primo gradu moniales alloqui ſine licentia, quæ tamen, niſi aliud obſtet, ipſis concedi debet ad annum pro alloquendis monialibus ſibi conjunctis ſemel in menſe, *Verulana* 10. *Februarii* 1599. Conceſſa licentia ſemel in menſe, non eſt neceſſe, quòd inter unam, & aliam viſitationem tranſeat menſis integer, ſed poterit accedere v. g. die 27. Aprilis, deinde die ſecunda Maii, dummodò nec in Aprili, nec in Majo alia vice accedat. Sanchez.

QUÆR. V. An prohibitio alloquendi moniales extendatur ad Abbatiſſam.

RESP. Doctores aliquos negare. Ita Lezana, Tamburin. Januar. & Zambel. penes Paſqual. *loc. cit.* Cùm enim ſit lex odioſa, nomine monialium non venit Abbatiſſa, & quidem rationabiliter, quia, cùm Abbatiſſa ſit perſona gravis, provectæ ætatis, & probatæ vitæ, ceſſant quoad ipſam illa pericula, propter quæ eſt facta prohibitio. Oppoſitum tamen tenendum cum Merol. Megalio, & Squillant. præcipuè ob decretum ſupracitatum Sixti V. in quo prohibetur allocutio non ſolum cum monialibus, ſed etiam *cum qualibet alia perſona intra clauſtra degente*. Dictio *qualibet* eſt univerſalis, & omnes comprehendit, etiam illos qui aliàs non comprehenderentur, ut per Seraph. *deciſ.* 980. *nu.* 8. & cenſuit Rota *diverſor. deciſ.* 791. *n.* 10. *p.* 1. etiam in materia odioſa, & ſtrictè interpre-

tan-

tanda, Calderin. *conſ.* 1. *de conſanguin. & affinit.* Aym. *conſ.* 118. *nu.* 12. Rota *diverſ. deciſ.* 233. *nu.* 9. *&* 28. *part.* 1. Conſequenter comprehenditur etiam Abbatiſſa. Quod expreſſiùs habetur ex Conſtitutione Alexandri VII. *Sacroſancti*, in qua apertè declarat, quòd ſub nomine monialium in hac materia locutionis veniunt *Abbatiſſæ, Prioriſſæ, aut Officiales monaſterii.*

Nec ſubſiſtit reſponſio Poteſtat. *in exam. confeſ. t.* 1. *p.* 2. *num.* 1477. ſcilicet quòd dicta Conſtitutio utpote edita pro quiete monialium Urbis, prohibet tantum allocutionem cum Abbatiſſis, Prioriſſis, & officialibus monaſteriorum ejuſdem Urbis, extra quam non eſt extendenda, cum ſit odioſa. Nam reſpondetur, quòd, licèt ſpecialiter diſponat de monialibus Urbis, attamen, quia materia de qua, ſcilicet collocutio, & finis ob quem diſponit, ſcilicet quies monialium eſt communis tam monialibus Urbis, quàm extra Urbem, utraſque comprehendit. Nam communitas materiæ, & ratio legis facit, quòd diſpoſitio ſpecialis efficiatur generalis, *l. regula*, §. *ſi quis, ff. de jur. & fac. ignor.* & notant Bart. *ibid.* Alex. *in l. ſi pupil. ff. de verb. obligat.* Decius *conſ.* 452. *in fin.* Cravet. *conſ.* 273. *nu.* 3. Surd. *conſ.* 53. *nu.* 6. etiam in odioſis, & pœnalibus per extenſionem comprehenſivam, ut docent Imol. *in cap.* 1. *de temp. ord. in* 6. Gemin. *ibid.* Panarm. *in cap. fin. nu.* 10. *de reſcript.* & alii apud Sanch. *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 42. *nu.* 4.

QUÆR. VI. An dicta prohibitio afficiat Epiſcopos extra ſuam dieceſim commorantes.

RESP.

Resp. Si loquamur de prohibitione facta in Conſtit. Bonifacii VIII. relata *in cap. periculoſo*, & innovata per Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 5.* dicendum eſt afficere etiam Epiſcopos, & Prælatos, immò etiam Cardinales, extra diæceſim commorantes ut probat Donatus *in Praxi t. 4. tract. 5. qu.* 21. & 24. ubi tamen ſubdit, quòd prædict loquendo cum monialibus ſine licentia, e tacita, ſeu preſumpta licentia Ordinarii ſcientis, & non contradicentis, poſſunt excuſari. Si verò loquamur de prohibitione Ordinarii contra alloquentes cum monialibus ſubjectis, non ſubiici tali prohibitioni, neque pœnis in ipſa contentis, defendunt Graff. & Diana, quia dicti Epiſcopi, & Prælati ſunt exempti ab omni juriſdictione Epiſcopi loci, ad quem divertunt. Nihilominùs probabilius eſt oppoſitum, tutius in conſcientia, & in praxi ſervandũ. Ita Doctores relati, & approbati à Philippin. *de Privil. ignor. in append. c. 4. nu. 269.* Quia Epiſcopus, & Archiepiſcopus in alieno territorio cenſentur ut privatæ perſonæ, ex Panormit. Ancharan. Hoſtien, & aliis; unde tenentur, ſicut quælibet alia perſona, locorum leges ſervare, & ſic tenentur ad jejunia, ac feſta, aliaque omnia pro bono communi, & ſalute animarum ab aliis Epiſcopis in eorum diæceſibus indicta. Præter quàm quòd Epiſcopus diæceſanus in caſibus concernentibus monialium clauſuram quoad perſonas exemptas procedit ut Sedis Apoſtolicæ delegatus, undè ejus auctoritas extenditur ad omnes perſonas quovis titulo in ſua diæceſi repertas. Quod autenticè fuit de-

declaratum à Sac. Congr. *in Baren.* 20. *Maii* 1619. quam declarationem per extensum refert Navar. *Sum. Bull. p.* 1. *com.* 43. *n.* 10.

QUÆR. VII. An Prælati regulares tuta conscientia possint accedere ad loquendum cum monialibus, etiam non subditis.

RESP. Affirmativam sententiam sustineri ab Antonio à Spiritu S. *in direct. regul. tract.* 4. *disp.* 4. *sect.* 1. *n.* 20. hac ratione, quòd talis accessus nullibi est prohibitus Prælatis regularibus; nam neque *Cap. periculoso de statu regul. in* 6. neque Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 5. *de regul.* neque Decretum Sixti V. loquuntur de Prælatis, sed de religiosis particularibus. Et *Cap. Monasterium de vita & honestate Clericorum* loquitur de Clericis, quorum nomine in odiosis non veniunt Prælati. Negativè tamen resolvendum, quia Prælati regulares respectu monialium sibi non subditarum censentur ut privatæ personæ, sicut de Episcopis, & Archiepiscopis in alieno territorio supra notavimus: cadunt ergo sub prohibitione generali sicut quilibet religiosus privatus.

QUÆR. VIII. An Ecclesię Cathedralis Canonici cum monialibus colloquẽtes afficiantur censuris, & aliis pœnis latis ab Episcopo, si illi in edicto non sint specialiter expressi.

RESP. Videtur quòd non; quia Canonici Ecclesię Cathedralis sunt personę speciali nota dignæ; vocãtur enim Clerici primi gradus, Innocen. *in cap. sedes nu.* 2. *de rescrip.* & dicũtur pars corporis Episcopi, & Ecclesiæ, *cap. novit, & cap. quanto de his quæ fiunt à Prælat. sine cons. capit.* Et in pluribus æquiparan-

rantur dignitatem obtinentibus, ut *in cap. ſtatutum in princ.* de reſcrip. in 6. Neque carent honore, & præeminentia, *cap. quamvis, §. quamquam de præb. lib.* 6. Et proinde non comprehenduntur ſub prohibitione, niſi in ſpecie exprimantur.

Quod à fortiori procedit in Canonicis Capituli exempti, ut ex Marco Vidal *in Arca vital. de monial. inquiſit.* 2. *nu.* 29. ubi ex alio capite illos liberat à cenſurarum incurſu, videlicet ratione exemptionis à juriſdictione coercitiva Epiſcopi. Nam ex Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de reformat.* Epiſcopus ſine Capitularibus adjunctis non poteſt juridicè procedere contra Canonicos exemptos quoad pœnas propter delicta infligendas.

At reſolvendum affirmativè; quia Canonici uti ſinguli ſunt perſonæ privatæ, nec dici poſſunt in dignitate conſtituti, ut tradit Bald. *in cap. paſtoralis ſub nu.* 3. *verſic. canonia autem de offic. deleg.* cum aliis adductis per Pacia *de probat. lib.* 3. *cap.* 27. *n.* 101. atque adeo non ſunt ſpeciali nota digni. Et quatenus etiam tales eſſent, & proinde fruerentur privilegio, ut non comprehenderentur ſub clauſulis generalibus quantum ad odia, & rigores, adhuc in præſenti dicerentur comprehenſi, ut in terminis allocutionis firmat Sperel. *deciſ.* 21. *num.* 58. Quia, quoties agitur de animarum præjudicio, etiam in pœnalibus, & odioſis admittitur extenſio. Panor. *in cap. ex tenore nu.* 6. Jaſon. Cravet. Rota, Quaranta, & alii relati à Sperel. *loc. cit.* Et quia Epiſcopus, ut ſupra innuimus, in hac materia procedit ut Sedis Apoſtolicæ dele-

delegatus, omnes sibi subiicit, etiam privilegiatos, & exemptos.

QUÆR. IX. An in illis diœcesibus, in quibus collocutio prohibetur sub excommunicatione Ordinario reservata, pueri, & puellæ impuberes tali pœna afficiantur.

RESP. Affirmat Graffius, dummodò sint doli capaces, quia sicut possunt mortaliter peccare, sic etiam possunt censura puniri, quæ fertur in pœnam delicti. Negant probabiliùs Bonacina, Diana, & alii, quia respectu eorum, qui annos pubertatis nondum attigerunt, cessat causa finalis prohibitionis, quæ est, ut vitetur occasio luxuriandi, quod non potest habere locum in impuberibus, ut expressè colligitur *ex cap. Pueris* 1. *de delict. pueror.* An autem pueri in dubio, an ætatem expleverint, peccent colloquendo cum monialibus, & excommunicatione ligentur, negant Diana, & Quartus, quia in dubio melior est possidentis conditio, pro libertate autem pueri stat possessio.

QUÆR. X. An Advenæ, & Peregrini ligentur excommunicatione lata ab Ordinario contra hujusmodi alloquentes.

RESP. Negant Diana, Januarius, & del Bene, quia Peregrini, & Advenæ non subiiciuntur jurisdictioni, & legibus loci, in quo obiter reperiuntur, & per quem transeunt, quod patet *ex Cap. à nobis* 1. *de sent. excom.* ubi habetur, exteros furantes in diœcesi, in qua furtum est prohibitum sub pœna excommunicationis ipso facto &c. in hanc non incidere, cùm non sint de jurisdictione Episcopi excommunicantis. Distinguit Donatus *in*

Pra-

Praxi tom. 4. tit. de Acceſſu ad Monial. trac. 6. q. 22. n. 3. & admittit hanc opinionem quoad monaſteria immediatè Epiſcopo ſubjecta, non verò quoad exempta, quia quoad prima Epiſcopus procedit poteſtate ordinaria, cui non ſubduntur Advenæ, & Peregrini; quoad ſecunda verò procedit auctoritate Apoſtolica delegata, ſecundum quam ſibi ſubjicit etiam Advenas, & Peregrinos, quia edicta condita ab Epiſcopo cum tali facultate cenſentur condita ab ipſo Pontifice, cui omnes Chriſti fideles in his, quæ ſpectant ad bonum animæ, tenentur ubique obedire. Ego abſolutè, & ſine limitatione cenſeo, Advenas, & Peregrinos ligari excommunicatione lata ab Ordinario contra hujuſmodi alloquentes, ſivè in monaſteriis exemptis, ob rationes adductas à Donato, ſive in immediatè ſubjectis, quia Epiſcopus non tantùm procedit auctoritate Apoſtolica delegata quoad loca, ſed etiam quoad perſonas, ut patet ex declarat. Sac. Congregat. *in Baren.* 20. *Maii*, ſuperiùs adducta. Unde ratione talis poteſtatis ſubiicit ſibi perſonas independenter à loco, & per conſequens ligantur excommunicatione. Adde, quòd etiam ſi non recurratur ad poteſtatem delegatam, Peregrini, & Advenæ ſubduntur legibus loci, ut habetur *in Cap. conſilium de obſervat. jejunior.* & Gloſſ. *ibi*, & docent Pontius, Meroll. Molfeſius, aliique per multi.

QUÆR. XI. An afficiantur ſupradicta excommunicatione ſæculares colloquentes cum monialibus exemptis.

RESP.

Resp. Visum est aliquibus, non affici, quia locus exemptus, & locus extra diæcesim æquiparantur. Nihilominùs oppositum asserendum, sive in edicto fiat mentio de monasteriis exemptis, ut tenent Rolland. Genuen. & Belloch. sive nulla fiat mentio, ut tenet Bariola. Quia, ut diximus in superiori responsione, Episcopus in ordine ad clausuram exemptarum procedit ut Sedis Apostolicæ delegatus. Vide Dianam *p.* 10. *tract.* 14. *res.* 50. ubi utramque sententiam vocat probabilem; at verior est secunda, quod novissimè declaravit Sac. Congreg. *in Urbinaten. die* 10. *Maii* 1663. & *in Viterbien.* quam referemus in responsione sequenti.

Quær. XII. An Regulares, & moniales exemptæ, si de ipsis mentio fiat, afficiantur censuris, & pœnis ab Episcopo indictis contra alloquentes sine licentia.

Resp. Affici; habetur *in Viterbien. die* 26. *Junii* 1627. his verbis: *Sacra Congregatio &c. sæpiùs censuit, Episcopum ad clausuram custodiendam etiam in monasteriis Regularibus subjectis posse excommunicationis latæ sententiæ pœnam sibi reservatæ imponere circa aperitionem ostii clausuræ extra casus indigentiæ, nec non circa accessus, & colloquia cum monialibus, ac dictam excommunicationem ligare ne dum Regulares accedentes, verùm etiam moniales, si de ipsis mentio fiat, adeò ut Superior Regularis ab eadem excommunicatione absolvere nequeat. Cap. Monasteria de vita, & honest. cleric.* Limitant hanc responsionem Sánchez, Barbos. & Tamburin. *disp.* 25. *qu.* 9. & volunt, affici

Re-

Regulares exemptos, ſed non privilegiatos, non verò exemptos ſimul, & privilegiatos; & pro hujus diſtinctionis fundamento afferunt quandam declarationem Sac. Congr. 9. *Aprilis* 1583. quæ ſic habet, *Regulares adeuntes monaſteria monialium ſine licentia Epiſcopi incidunt in pœnam excommunicationis, quam Epiſcopus ſuo edicto propoſuit, niſi Regulares illi habeant ex privilegio, quòd non poſſint excommunicari, & tunc debent puniri à Superioribus alia pœna.*

QUÆR. XIII. An eadem cenſura afficiatur, qui conſulit, vel cooperatur, aut jubet alterius acceſſum.

RESP. Negativè, quia pœna lata eſt contra accedentes, & cùm ſimus in odioſis, non eſt extendenda ad conſulentes &c. Famulus tamen miſſus, quia propriè accedit, cenſuram incurrit, niſi fortè ipſi immmeat grave damnum, ſi non obtemperet domino præcipienti, quia in tali caſu ratione metus cadentis in conſtantem virum non incideret in excommunicationem, quia leges eccleſiaſticæ non obligant cum tanto rigore; non tamen excuſaretur à culpa contra jus naturale. Ita Diana, & del Bene *t.2. cap.14. dub.5. ſect.3. n.4.* ubi concludit, quòd fortaſſe eſſet abſolvendus ad cautelam.

QUÆR. XIV. An dicta cenſura afficiantur pauperes oſtiatim mendicantes accedentes ad moniales cauſa quærendi eleemoſynam.

RESP. Non affici, quia rationabiliter præſumi poteſt Ordinariorum licentia, cum in tali

tali casu non militent rationes, ob quas indicta est præfata prohibitio. Et ob hanc rationem excusari fortasse possunt famuli, & famulæ accedentes ad moniales, ut ipsis deferant consanguineorum munuscula, maximè quoad illa monasteria, in quibus non perfectè servatur vita communis; cùm enim dictæ moniales multis indigeant, opus illis est extra quærere, & recipere, quod tam frequenter habere non possunt per proprios inservientes; unde præsumendum est, Prælatos tacitè consentire, quòd per exteros hoc præstetur. Attamen inspicienda est cujuscunque loci consuetudo, & servanda.

Quær. XV. Ad quem spectet concedere licentiam accedendi ad moniales tam exemptas, quàm non exemptas.

Resp. Videantur quæ diximus supra *hoc capite* §. 2. *q.* 1. ubi etiam disseruimus, an licentia indefinitè concessa extinguatur prima vice *q.* 8. Non esse hanc licentiam alloquendi de necessitate in scriptis concedendam, asserunt Doctores, quos citat, & sequitur Diana *p.* 3. *tract.* 3. *res.* 129. oppositum sentiunt Suarez, & Sanchez.

Quær. XVI. An Episcopi possint prædictam licentiam Regularibus concedere.

Resp. Posse Episcopos concedere Regularibus, ut quater ad summum in anno alloqui possint moniales consanguineas in primo, & secundo tantùm gradu. Sac. Congregat. *anno* 1623. Urbano VIII. annuente, cum his tamen limitationibus, scilicet, quòd non alloquantur in Festis,

Ad-

Adventu, Quadrageſima, Feria ſexta, Sabbato, & Vigiliis, ac præſente Confeſſario, dataque licentia pro die, & hora, quæ in libris Epiſcopi notentur. Nomine feſtivorum dierum veniunt Dominicæ, & alia feſta ex præcepto abſtinendi à ſervilibus, & non alia. Sub nomine Vigiliarum veniunt etiam Quatuor tempora, ita Diana contra Bordon. Sub nomine Adventus venit Romanus, non Ambroſianus. Quadrageſima verò incipit à die cinerum. Sub nomine Religioſi, cui Epiſcopus non poteſt concedere facultatem alloquendi niſi quater in anno, non venit Novitius, quia in odioſis habetur adinſtar ſæcularis. Portel. & Squillante apud Caſſian. *v. Coloquii nu.* 13.

QUÆR. XVII. An Epiſcopus denegare poſſit licentiam, quam concedere poteſt Regularibus juxta formam ſupradicti decreti.

RESP. Poſſe, ex Bordon. *in Miſcel. deciſ.* 222. Ducitur, quia in dicto decreto dicitur, quòd Epiſcopi *poſſint*, non verò quòd *debeant*. Verbum autem *poſſint* importat actum voluntarium, non neceſſitatis, Bartol. *in l. Gallus ff. de liber. & poſth. nu.* 4. Negat Paſqual. *loc. cit. nu.* 1134. poſſe Epiſcopum licentiam ſine cauſa denegare, quia agitur de gratia ſolita concedi; gratia autem concedi ſolita non poteſt ſine injuria denegari, *argum. ex l.* 1. §. *penult. de aqua quotid.* & notant Bartol. Gabriel. & Puteus. Concludit tamen ex cauſa rationabili poſſe denegare, & ſubdit ex Botdon. cit. quòd ſi urgeat aliqua neceſſitas alloquendi monialem nullo gradu con-

conjunctam, ut esset celebratio alicujus contractus, aut alia similis, potest Ordinarius concedere licentiam toties, quoties necessitas urgebit, quia non prohibetur collocutio necessaria, sed tantùm vitiosa, ut colligitur *ex cap. Monast. de honest. Cler.*

QUÆR. XVIII. An Regularis habens licentiam alloquendi monialem pro certa die, si alloquatur alia die à præscripta, peccet mortaliter, & incidat in pœnas decreti.

RESP. Bordon. Pasqualig. & Dianam *t.* 9. *tract.* 7. *res.* 33. excusare à peccato, quia manet licentia quoad substantiam, & variatur tantùm quoad modum. Hinc infert idem Diana *loc. cit. res.* 34. neque peccare, si colloquatur absẽtibus Auscultatricibus, & Confessario, quia hæ circumstantiæ sunt extrinsecæ, & secundùm has non videtur decretum Urbani usu receptum. Ubi tamen hæc laudabilis viget consuetudo, omnimodò servanda.

QUÆR. XIX. An Regularibus ex Prælati licentia missis ad crates monialium pro munere prædicationis obeundo, prohibitum sit sub peccato mortali, censuris, & pœnis, immediatè post cum ipsis monialibus, absque expressa licentia ad colloquendum, immiscere sermones, cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis.

RESP. Sac. Congreg. Concil. *die* 21. *Maii* 1678. respondit affirmativè, tam de collocutione cùm aliquibus monialibus, quàm cum una tantùm (omnibus tamen audientibus) immediatè post concionem.

QUÆR. XX. An licentia conceſſa Regulari ad colloquendum, extendatur ad ſocium.

RESP. Cum Diana, del Bene, & aliis negativè, contra Riccium, Tamburin. & Peyrin. qui partem affirmativam defendunt hac ratione, quia nimirum in connexis idem eſt judicium, & ſic quod conceditur Regulari, conceſſum cenſetur etiam ſocio. Sed falluntur; quia illud principium de connexis deſumptum *ex cap. translato*, locum habet, ſi connexa ſe habeant inſeparabiliter, non ſic ſi ſeparabiliter. Ita communiter Doctores. Regularis autem, & ſocius non ſunt connexi in ordine ad locutionem, ſi quidem unus loqui poteſt, altero nihil loquente.

§. XI.

De Pœnis, quibus ſubjiciuntur violantes Clauſuram.

QUÆR. I. QUas pœnas incurrant Prælati ingredientes monaſteria monialium ultra caſus neceſſitatis.

RESP. Prælati ſæculares Pontificali dignitate præditi pro prima vice incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; pro ſecunda contrahunt ſuſpenſionem à munere Pontificali, & à divinis; pro tertia verò vice, & deinceps afficiuntur excommunicatione nemini reſervata. Prælati Regulares incurrunt excommunicationem, & ſimul privationem omnis officii, & miniſterii, & quidem toties,

ties, quoties ultra casus necessitatis ingrediuntur, ut notat Sanchez ex motu Gregorii XIII. *sub die* 23. *Decemb.* 1581. Juxta Constitutionem verò Alexandri VII. quæ incipit *Sacrarum Virginum*, ipso facto pœnam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia inposterùm obtinenda, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione incurrunt, & ab Episcopo loci tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quando, & quoties opus fuerit corrigi, & puniri valent.

QUÆR. II. Quænam pœnæ impositæ sint ingredientibus clausuram sine licentia.

RESP. Per Concilium Tridentinum imposita est excommunicatio ingredientibus sine licentia in scriptis: idem dicendum de ingredientibus cum licentia vi, dolo, aut ex falsa causa impetrata. Excommunicatio hæc nemini reservatur, nisi fiat ad malum finem; nam in hoc casu reservatur Pontifici, & nemo virtute privilegiorum potest absolvere; prout declaravit Sac. Congregatio. Alia excommunicatio Papæ reservata lata est à Gregorio XIII. in sua Constit. quæ incipit *Ubi gratiæ*, contra quascunque personas, etiam Comitissas, Marchionissas, aut Comites, Marchiones, Duces ingredientes clausuram monialium prætextu facultatum ibi revocatarum, sive tales facultates concessæ fuerint ab ipso Pontifice, sive à Legatis, sive ab Episcopis, vel aliis. Excommunicatio quoque simili tenore lata est à Paulo V. & licèt

hæ Conſtitutiones videantur loqui de ingredientibus tantùm prætextu dictarum facultatum, tamen ex ſtylo Curiæ intelliguntur generaliter etiam de intrantibus ſine tali prætextu. Ita Navar. Beja, Villagut. Azorius & Graff. & ſi contrarium ſentiant Suar. Sayrus, & Sanchez.

Unde in Excommunicationem Papæ reſervatam incidunt, qui ſine neceſſaria licentia intrant in clauſuram, licèt id faciant propria auctoritate, & ſine prætextu privilegiorum, ut declaravit Sac. Congreg. Epiſc. *in Comen.* 15. *Septemb.* 1578. & *in Mediolanen.* 19. *Maii* 1579. & etiam cum licentia in caſibus non neceſſariis, puta ad viſitandas moniales conſanguineas, etiam infirmas; & illæ mulieres, ſeu viri, qui cum uno ſaxo vel ligno, vel qualibet alia re intrant ſub prętextu deferendi neceſſaria pro fabrica; & moniales, quæ tales introducunt, 11. *Junii* 1583. & qui licentiam habet ingrediendi pro uno ſervitio, ſi poſteà intret pro alio, 6. *Auguſti* 1601. & 14. *Junii* 1630. Puella verò, vel vidua, quæ temerè ingreditur ad ſuſcipiendum habitum, & Abbatiſſa recipiens incidunt in cenſuras. Hæcque debet graviter puniri, illa expelli, nec ampliùs admitti ſine licentia ſpeciali Sacræ Congregationis, 8. *Novembr.* 1601. & 5. *Februarii* 1649. Si tamen ingreſſa fuit non ad malum finem, poſtquam exivit, abſolvitur cum pœnitentia ſalutari abſque ulla pœna pecuniaria, 20. *Novemb.* 1654. Ingredientes peculiaria monaſteria monialium contrahunt etiam alias antiquiores excommunicationes, ſcilicet Gregorii

IX.

IX. & Eugenii IV. præsumentes ingredi monasteria S. Claræ: Bonifacii IX. præsumentes ingredi monasteria ordinis Prædicatorum; & Julii II. ingredientes monasteria Conceptionis.

Quær. III. Quibus pœnis afficiantur moniales, seu alii exterum introducentes, vel intrare permittentes in clausuram sine licentia legittima.

Resp. Nullam incurrunt excommunicationem ex vi decreti Concilii Tridentini, quia de iis nulla est facta mentio, sed tantùm de intrantibus. Verùm ex Bulla Gregorii XIII. *Ubi gratiæ* fertur excommunicatio Papæ reservata, & pœna privationis dignitatum, beneficiorum, officiorum, & inhabilitatis ad hujusmodi contra Abbatissas, Abbates Conventus, & alios Superiores utriusque sexus monasteriorum monialium, & personas quocunque nomine vocentur, si quemquam prætextu licentiarum, quas ibi revocaverat Papa, ingredi faciant, vel permittant; & omnes istæ pœnæ sunt latæ sententiæ. Item ex Bulla Pauli V. *Monialium* fertur excommunicatio Papæ reservata, & privatio officiorum, ac inhabilitas contra monialium Abbatissas, Prioriſſas, & Superiores alias, si quemquam prætextu licentiarum ibi revocatarum, introducere, admittere, vel admissum quocunque modo detinere ausæ fuerint, aut præsumpserint.

Quær. IV. An dictas pœnas incurrant solùm superiores viri, vel fœminæ introducentes, an aliæ etiam personæ religiosæ particulares, masculi, aut fœminæ.

Resp. Superiores tantùm, non verò privatas perſonas affici dictis pœnis, aſſerunt Sanchez, Miranda, Roderic. & Dian. *t.* 1. *reſ.* 33. *&* 34. quia illam particulam *& perſonas quocunque nomine vocentur* in Bulla Gregorii poſitam, putant, intelligi de perſonis eorum Superiorum; in Bulla verò Pauli ſolùm ſuperiores fœminæ exprimuntur. Nihilominus tenendum eſt, etiam moniales particulares ſubdi prædictis pœnis extraneos admittendo in clauſuram; patet ex motu Gregorii, nam clauſula illa *& perſonas quocunque nomine vocentur* utpote univerſalis comprehendit etiam moniales particulares, maximè quia Pontifex in antecedentibus de ſuperioribus ſufficienter diſpoſuerat. Et ita tenent Llamas apud Sanchez, & Filliucius; quam ſententiam videtur ſequi Sac. Congr. *in Aſſiſien. 4. Auguſti* 1602. *& in Cremonen. 17. Septemb. ejuſdem anni.*

Quær. V. Quid veniat nomine admiſſionis in monaſteria, ut moniales admittere præſumentes, dicantur incidere in pœnas in ſupradicto motu Gregorii inflictas.

Resp. Venire cooperationem tantùm ſive directam, ſive indirectam ad ingreſſum; quatenus ſcilicet exercet actionem poſitivam, vel negativè ſe habet ad ingreſſum, quem impedire tenetur ex officio, quia alterutro modo tantùm cenſetur admittere ad ingreſſum. Suarez, Miranda, Coriolanus, Bonacina, & alii. Ita ut monialis, ſi ad ipſam non ſpectet impedire ex officio, v. g. non ſit Prælata monaſterii, nec præſit portæ, non incurrat dictas pœnas non impe-

diens,

diens, etiam impedire cùm possit; quia in tali casu nec directè, nec indirectè censetur cooperari ad ingressum. Ita del Bene *t.* 2. *de immunit. cap.* 19. *dub.* 67. ubi *num.* 5. addit, monialem confabulantem, vel concomitantem personas illicitè ingressas, non affici dictis pœnis, etiamsi colloquendo sit causa, quòd illæ diutiùs immorentur; quod sustinet etiam Sanchez, quia verè non dicitur admittere ad ingressum, cùm jam sint ingressæ; tamen licèt non subiiciatur pœnis ipsa monialis, peccat contra obligationem clausuræ. Ita Bonacina, qui censet, Prælatam, vel aliam, cui incumbit onus impediendi ingressum, subjici præfatis pœnis, non solùm si sua locutione detineat diutiùs ingressum, verùm etiam si non expellat, cùm possit.

QUÆR. VI. Quas pœnas incurrant moniales illicitè egredientes è monasterio.

RESP. Moniales clausuram violantes, sive parùm, sive multùm, dummodò egressus sit completus, peccare graviter, & ipso facto contrahere excommunicationem Papæ reservatam ex Constit. Pii V. quæ incipit, *Decori*, quam excommunicationem contrahunt etiam licentiam egressus quomodocunque concedentes aliter, quàm in constitutione permissum est. Item lata est excommunicatio adversùs concomitantes, ac illarum receptatrices personas laicas, sive ecclesiasticas, consanguineas, vel non. Insuper adversùs egressas, & Superiores licentiam concedentes statuit Pontifex privationem dignitatum, officiorum, & administratio-

num, quæ eo tempore obtinent, redditque inhabiles ad ea, & alia in poſterum obtinenda.

QUÆR. VII. Quinam comitatus, & receptio neceſſarii ſint, ut comitantes, & recipientes monialem iniquè egreſſam excommunicationis cenſuram incurrant.

RESP. Debere eſſe comitatum, vel receptionem, quæ eum egreſſum, vel illius perſeverantiam foveant; aliàs non eſt formalis comitatus, vel receptio monialis è monaſterio egreſſæ, ita del Bene *loc. cit.* Quare pœnas non incurrunt monialem comitantes, vel recipientes poſt egreſſum illicitum, ut ejus honori, & honeſtati conſulant, immò ob ſolam urbanitatem, amicitiam, aut cognationem, dummodò non faveant illicito egreſſui, nec perſeverantiæ in illo. Llamas. Rodriq. & alii.

QUÆR. VIII. An prædictæ pœnæ afficiant monialem legitimo titulo egreſſam, ſed ceſſante egreſſus cauſa, iniquè extra clauſtra commorantem.

RESP. Negat Sanch. *lib. 6. cap. 15. num.* 70. Quia Pontifex has pœnas indixit egredientibus aliter, ac ipſe diſpoſuerat; hæc autem monialis non aliter egreſſa eſt, eſto aliter poſt egreſſum commoretur. Oppoſitum docent Llamas, & Caſtropal. quia Pontifex imponens prædictas pœnas non uſus eſt verbo *egredientes*, ſed *egreſſas*, ut tacitè innueret ſpectare non phyſicum egreſſum tantùm, ſed etiam moralem, & continuatum.

QUÆR. IX. Quibus pœnis afficiantur ac-

cedentes ad colloquendum cum monialibus sine licentia.

Resp. Contra laicum, & Clericum monasteria frequentantes, & præmissa Episcopi monitione ab accessu non desistentes, *in cap. monasteria, & cap. ut Clerici de vita, & honest. Cleric.* statuitur pœna. Ille debet excommunicari; iste verò non tantùm excommunicari, sed etiam ab officio suspendi, & deponi. Contra utrumque procedere potest Episcopus, si post præmissam monitionem semel tantùm accedant, quia sunt sufficienter contumaces, & semel tantùm accedendo dicuntur non desistere, Bonac. *de claus. q.* 3. *p.*4. Per quot autem actus inducatur frequentia accessus, discrepant de more Doctores. Per duas vices sustinent in terminis Cosm. & Gratian. quibus assentitur Llamas, si fiant una die, vel duobus diebus continuis; negat tamen de toto mense. Per trinum accessum tribus diebus continuis frequentiam haberi defendunt Manuel, & Navarrus, quibus adhæret Sanchez, qui addit, unicum etiam accessum singulis mensibus frequentiam nuncupari. Placet sententia Barbosæ *allegat.* 102. *num.* 70. hoc relinquendum esse prudentis arbitrio.

Contra Regulares verò ad monialium monasteria accedentes imposita est pœna privationis officiorum, vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut patet ex decretis Sac. Congregat. jussu Sixti V. & Urbani VIII. editis, & ex Constitutionibus Gregorii XV. & Alexandri VII. Possunt quoque ab Episcopo excommunicari,

ut ex Sac. Congreg. Decreto approbante Clemente IX. & etiam carcerari, ut tradunt Boer. & Guid. Pap. quos refert, ſed impugnat Paſqual. *loc. cit. nu.* 1139. & prædictis pœnis ſubduntur Regulares etiam ob unicum acceſſum, quia de accedentibus, non de frequentantibus loquuntur decreta, ſub quibus etiam Equites Hieroſolomitani ex ejuſdem Sac. Congregationis declaratione comprehenduntur.

QUÆR. X. An prædictæ pœnæ obligent in conſcientia ante judicis declarationem.

RESP. Excepta excommunicatione, alias pœnas non obligare in conſcientia, affirmat Suar. *t.* 4. *de relig. lib.* 1. *cap.* 7. *in fin.* qui de magis communi teſtatur, quamvis alii doceant, pœnam inhabilitatis obligare ante declaratoriam criminis commiſſi, quia hæc pœna eſt purè privativa non requirens fãctum hominis poſitivum ad ſui executionem. Cajetanus, & plures alii adducti à Sanchez *lib.* 2. *cap.* 39. *num. ult.* Alii verò diſtinguunt; Si pœna inhabilitatis apponatur ſimul cum aliis pœnis, quæ non obligant in conſcientia ante declaratoriam, tunc neque hæc obligabit; aliàs ſecùs, ſi ponatur per ſe, vel cum aliis merè privativis. Covar. & Filiuc. Media tamen ſententia ex ſtylo curiæ magis recepta ſuſtinet, dictam privationis officiorum pœnam obligare in conſcientia, quando caſus eſt manifeſtus, quia tunc ſuperioris acta incipiunt eſſe nulla ceſſante titulo colorato ob privationis notorietatem; at quandiu privatio eſt occulta, non videtur obi-

obligare in conscientia, quia ejus acta ratione publici officii sunt valida manente titulo colorato.

QUÆR. XI. Quinam à prædictis censuris, & pœnis possint absolvere.

RESP. Ab excommunicatione, quam incurrunt ingredientes sine necessitate, & licentia in scriptis ex decreto Tridentini, cùm nulli sit reservata, jure ordinario Episcopi, & Prælati suos subditos, & omnes confessarii approbati suos pœnitentes, *Cap. nuper de sent. excommuni.* Ab excommunicatione verò contracta in terminis Constit. Gregorii XIII. utpote reservata Pontifici, ipse solus potest absolvere, & ejus Pœnitentiarii, & (si casus sit occultus) etiam Episcopi, & Prælati, qui habent privilegium absolvendi suos subditos à casibus Papalibus occultis; Regulares quoque virtute privilegiorum suæ religionis. Limitandum tamen, nisi ingressus fuerit ad malum finem, scilicet ad malum finem luxuriæ: sic responsum Romæ, ut testatur del Bene; nam in hoc casu, licèt occulto, quoad Episcopos derogatum fuisse decreto Tridentini *sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. tradit Sanctarel. in *tract. de hæresi cap.* 5. *dub.* 1. *nu.* 1. ubi affert decretum Sac. Congregat. quæ censuit approbante Gregorio XIII. Bullam Pii V. etiam in occultis procedere; & oppositum sentit cum Bonacina del Bene, qui de tali declaratione asserit, autenticè non constare. Quoad Regulares verò ex decreto Sac. Congregat. sub Clemente VIII. revocata sunt privilegia. Intelligunt tamen quoad pœnitentes sæculares

tantùm, non verò regulares, Naldus *v. reſervatio*, Vecchius, & Bordonus, qui quandam Sac. Congregat. declarationem adducunt.

In reliquis autem cenſuris, & pœnis inflictis, vel contra Prælatos illicitè monaſteria ingredientes, vel contra cæteros, de quibus dictum eſt ſupra, poteſt, ſi occultæ ſint, Epiſcopus abſolvere, & reſpectivè diſpenſare; hæc enim facultas ei competit quoad ſuos ſubditos ex Trident. *ſeſſ. cit.* ſicuti etiam competit ſuperiori religionis, etiam locali, ex privilegio circa ſuos religioſos, cùm hic quoque circa prædictos juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exerceat. Non poteſt tamen in inhabilitatibus in foro externo diſpenſare, cùm nullum circa hoc appareat privilegium, ut probabiliùs contra Rodriq. ſentiunt Lezana, Peyrinus, & Bonacina; quod à fortiori tenendum eſt, ſi fuerit judicis ſententia ſubſequuta. Quomodo ſupradicta facultas competat etiam confeſſariis regularibus, qui vigore ſuorum privilegiorum poſſunt abſolvere toties quoties ab omnibus caſibus, & cenſuris, ac pœnis conſurgentibus ex eis, præter quàm à contentis in Bulla cœnæ, & Decreto Clementis VIII. & à ſpecialiter reſervatis ab Ordinario, videatur del Bene *tom. 2. de Immunit. cap. 15. dub. 81. num. 3.*

QUÆR. XII. An contraveniens edicto Epiſcopi in materia clauſuræ poſſit ab excommunicatione inflicta, & Epiſcopo edicenti reſervata abſolvi à Metropolitano, vel à quocunque alio Epiſcopo.

RESP.

Resp. Quoad utrumque negative, & quidem quoad Metropolitanum, quia non est judex, aut ordinarius suorum suffraganeorum, ac proinde nec eos excommunicare, nec ab excommunicatione absolvere valet extraneum appellationis, ut *in cap. Romana, & cap. Venerabilibus* §. *excommunicatos verò*; traditque Hostien. *in sum. lib.* 5. *de sent. excom. num.* 2. Astensis Paludan. & alii, quos sequitur Sayr. *de censur. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 17. quidquid dicat Sanch. *lib.* 3. *conf. cap. un. dub.* 35. Quo ad alios Episcopos probatur ex regula generali, quam tradunt Doctores, quòd scilicet, qui excommunicationis, aut alterius censuræ sententiam tulit, solus ipse absolvat. Quod habetur *ex cap. prudentiam* §. *Sexta de off. deleg.* Alioquin destrueretur disciplina Ecclesiastica, præsertim in materia clausuræ monialium peculiari juri Ordinariorum à Tridentino summoperè commissarum. Et ita declaravit quo ad utrumque Sac. Congreg. Concil. *in Bituntina die* 13. *Septemb.* 1675.

CA-

CAPUT VIII.

De præcipuis Monialium obligationibus.

§. I.

De Horarum Canonicarum obligatione.

QUÆR. I. AN moniales teneantur publicè officium divinum in Choro persolvere.

RESP. Teneri tum ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, tum ex statutis ferè omnium Religionum, tum *ex Clement. 1. de celebrat. Missar.* tum ex communi Doctorum; & talis obligatio est sub mortali, præcipuè respectu Abbatissæ, quia, quando obligatio cadit in corpus mysticum alicujus communitatis, ad caput talis corporis pertinet præcipuè curare hujusmodi oneris solutionem. Obligantur quoque moniales collectivè sumptæ, quia hæc obligatio afficit communitatem, quam ipsæ constituunt; divisivè tamen acceptæ non tenentur, nisi magnam jacturam officiū pateretur; quia ad intereſſendum in choro obligantur juxta mensuram regulæ, quæ ad pœnam tantummodò obligat, non ad culpam saltem mortalem, & est communis sententia. Immò Emanuel Rodriq. *t. 3. qq. regul. q. 6. art. 6.* affert privilegium Leonis X. qui indulsit, & decrevit moniales etiam

sa-

sanas Sanctæ Claræ non teneri officium divinum semper in choro persolvere ; ac discretioni Abbatissarum commisit, ut, quando, & quomodo, sive cum quibus hæc remissio sit toleranda, solerter invigilent, & prudenter concedant. Sustinet tamen Peregrin. *in comment. ad constit. sui ordinis, p.* 1. *lit. b.* §. 3. moniales peccare mortaliter, si à choro absint ex consuetudine, etiamsi privatim officium divinum persolvant.

QUÆR. II. An moniales teneantur recitare in choro officium parvum B. Virginis, & Defunctorum, septem Psalmos pœnitentiales, ac graduales, quando à rubricis præscribuntur.

RESP. Officium parvum B. Virginis in iis Ecclesiis, quæ illud ante Breviarium Pii V. recitabant ex consuetudine, non debet omitti in recitatione publica, cum hæc consuetudo expressè fuerit præservata; aliis verò Ecclesiis proponitur tantùm de consilio. Ad officium defunctorum singulis mensibus, Psalmos pœnitentiales, & graduales non tenentur neque ex vi regulæ, quæ, ut suppono, non obligat in conscientia, neque ex Breviarii rubricis, quia Summus Pontifex admonet, sed non obligat. Suarez. Rodriq. & Bonacina. In die verò secunda Novembris, in Festo S. Marci, & Rogationibus tenentur in choro, vel, si à choro absint, privatim recitare ex præcepto officium defunctorum, & litanias, quia sunt pars officii illius diei. Ita Doctores communiter, licèt non desint aliqui apud Molfesium *t.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 57. oppositum sentientes; alii ve-

verò, quos refert, & reiicit Diana, putant, omittentem die secunda Novembris utrumque officium, defunctorum scilicet,& Octavæ, unicum tantùm peccatum committere, cum illa duo officia per modum unius præcipi videantur.

QUÆR. III. An Moniales canentes in Choro satisfaciant obligationi, si partem suam recitent, ad partem autem alterius chori non attendant.

RESP. Non satisfacere, quia in tali casu habentur ut absentes; nam præsens non dicitur, qui licèt sit præsens corpore, ad aliud tamen attendit, *l. coram Titio* 209. *ff. de verb. signific.* Ita Tambur. *lib.* 2. *in decal. cap.* 5. §. 4. ubi pro opposita sententia adducit Caramuel. Filliuc. & Tancredi. Concedunt tamen Navar. Sanch. & Lezana, satisfacere monialem, quæ dum in choro recitatur divinum officium, occupatur in aliquo necessario ad ipsum, ut prævidendo lectiones &c. quia, cùm chorus reputetur unum corpus, quod dixit unus, censetur dictum ab alio, qui detentus fuit occupatione necessaria ad ipsum chorum; quod intellige quando ante officium talem occupationem prævenire vel non potuit, vel non debuit. Similiter satisfacit monialis, quæ, quantum moraliter potest, attendit, quamvis propter culpam chori nihil percipiat ex iis, quæ aliæ recitant, quia hoc modo præstat id, quod potest, nec per ipsam stat, quin audiat; quare per recitationem suę partis,addita assistentia ad chorum, & sua attentione pro alia parte, satis sibi communem in re morali facit

eam

eam chori orationem. Quod dicendum est ob eandem rationem de moniali surdastra, & cœca, quæ possunt suam partem recitare, & eam recitant, ad aliam verò, quantum possunt, attendunt. Non sic de omninò surda, quæ nihil percipit, neque cœca, quæ nihil recitat, dum choro assistunt. Tamburin. *loc. cit.* qui docet, teneri assistentes in choro submissa voce recitare ea, quæ organum, vel instrumenta musica pulsant, quia organi sola pulsatio non est oratio: quod negant Sanchez, & alii, quia talis sonus habetur ab Ecclesia ut pars divini officii.

Monialis, quæ ad chorum pergit hora jam cœpta, potest cum aliis cantando pergere, imò debet, ne sua privata recitatione alias distrahat; postea verò, quæ omissa sunt, suppleat, sicut ex communi docet *Sàv. horæn.* 8. Quinimmò Henricus,& Major,quos sequitur Layman, probabiliter docent, nihil supplendum esse,si non multum in choro processum est, quia, sicut in missæ auditione, ita in officio canonico omissio modici æstimari non solet, præsertim cum propter societatis vinculum alii cantantes unius defectum supplere teneantur.

Quær. IV. An attentio, quam diximus requiri, debeat esse interna, an verò sufficiat externa.

Resp. Externam sufficere, dummodò tamen sit cum externa reverentia conjuncta, ita ut actus religionis dici possit. Ita ex Duardo, Sylvestr. Lessio, Medina, & aliis, Diana *part.* 2. *tract.* 12. *ref.* 2. Ratio est, quia, licèt admittatur, Ecclesiam posse

præ-

præcipere actus internos concomitanter, ac per consequens internam attentionem in hac recitatione, non constat tamen illam de facto præcepisse. Unde cum versemur in materia obligationis, quæ est stricti juris, minùs extendenda est quàm fieri potest, *l. obligationum substantia, & l. Arrianus ff. de act. & obligat.* & notant Bald. Fulgos. & Calderin. Quare obligatio recitandi horas canonicas cum attentione non est extendenda ad attentionem internam, præsertim quia salvatur ratio orationis in attentione externa à nobis explicata; prout enim includit actum religionis, includit virtualem intentionem colendi Deum, ac proinde mens virtualiter elevatur in Deum, in quo consistit vera, & formalis ratio orationis. Ita Castropal. *par. 2. disp. 1. punct. 7. num. 2.* cum Valentia, & Suarex, qui *t. 2. de relig. tract. 4. lib. 3. cap. 4. num. 11.* neque agnoscit in hoc culpam venialem; cum enim voluntaria distractio relinquat attentionem necessariam, nec ulla adsit obligatio ponendi meliorem attentionem, voluntas nolens illam ponere non est mala, quia est volùntas faciendi; quod sub nulla cadit obligatione.

QUÆR. V. An Moniales teneantur ad privatam horarum canonicarum recitationem sub mortali.

RESP. Negant duodecim Doctores relati, & approbati à Philippin. *de Privil. ignorant. Append. ad cap. 4. num. 192.* Ratio est, quia moniales non tenentur ad horas canonicas ex aliquo voto, neque ex vi suæ professionis, ut passim fatentur Doctores, neque ex aliquo

quo ecclesiæ præcepto, neque ex vi alicujus statuti, aut regulæ, sed solùm consuetudine, ex communi Doctorum. De hac autem consuetudine non constat an sit inducta animo obligandi ad culpam, potuit enim induci vel ex errore, vel ex devotione, vel ad præscriptum regulæ, vel animo obligandi tantùm ad pœnam; unde stante hoc dubio favendum est possessioni libertatis, quæ consuetudinem dubiam præcedit, & sic tenendum non obligare. Maximè quia moniales, sicuti non possunt condere legem ex defectu potestatis in fœmina, sic neque introducere consuetudinem, quæ vim habeat obligandi. Ita Bartol. *cons.* 136. *num.* 12. & Rolland. qui testatur de communi *cons.* 5. *num.* 74.

Contra hanc sententiam reclamant communiter Doctores, & meritò, atque adeò peccare mortaliter moniales privatam horarum canonicarum recitationem omittentes, defendunt præcipuè Malderus, Gavant. Belloch. & Portel. Quia cùm in vetustis sciri non possit, à quo sit orta consuetudo, *l. si arbiter* 28. *ff. de probat.* attendenda est observantia, quæ declarat ejusmodi consuetudinem obligare; immò potest observantia constituere jus, & facere, quòd id obliget, quod de se non obligat, *l. de quibus, & l. nulli ff. quod cujusque univers.* Unde licèt non constet, an consuetudo prædicta recitandi horas canonicas sit introducta animo obligandi, obligat nihilominùs, quia observantia ita declarat, & decernit. Neque valet, quòd moniales non possint introducere consuetudinem, quia,

quia, ut notat Monteſin. *p.* 2. *t.* 2. *diſp.* 23. *q.*13. *n.*220. quamvis verum ſit, quòd mulieres regulariter non poſſunt introducere conſuetudinem generalem, obligantem omnes etiam viros, ſicuti regulariter non ſunt habiles ad condendas leges; poteſt tamen per mulieres introduci conſuetudo, quæ vim habeat legis obligantis ipſas, non viros, maximè acceptante, & approbante ſuperiore, ut notat Villalob. & concedunt Suar. Caſtropal. Salas & alii.

QUÆR. VI. An monialis cœca teneatur recitare horas canonicas, memoriter illas dicendo, ſi memoria retineat.

RESP. Videtur quòd non. Quia per accidens eſt, quòd memoriter ſciat, lex autem reſpicit non quod per accidens, ſed quod contingit ut plurimum, *l. nam ad ea ff. de legibus*. Tum quia quando lex non eſt poſita pro aliquo genere perſonarum, neminem obligat de illo genere, licèt adſit aliquis, qui alioquin poſſet obligari, & obligaretur ſi eſſet de alio genere perſonarum. Paſqualig. *de jejun. deciſ.* 290. *nu.* 4. Cum igitur lex imponens recitationem officii non obliget cœcos, quia ſunt impotentes, neque obligabit hunc, vel alterum cœcum memoriter ſcientem horas canonicas, licèt poſſet obligari, & obligaretur non extante cœcitate. Ideo hanc ſententiam tradunt ſine ulla diſtinctione Tolet. *lib.* 2. *cap.* 14. & Enriq. *qq. tract. ſect.* 35. *q.*22. Tanquam probabilem admittit Sotus, & alii Magiſtri docti, de quibus teſtatur Sanch. *tom.* 2. *conſ. lib.* 7. *cap.*2. *dub.* 46.

Verùm pro oppoſita communiter concludunt

dunt Doctores; quia, qui memoriter scit, potest commodè implere præceptum, quod non requirit ut necessariam conditionem potestatem legendi per librum. In nullo refragrante, accidentarium esse, quòd officium memoriter teneat, quia posito illo accidenti cessat impedimentum, quod resistit adimpletioni præcepti. Ita Diana *t.*3. *tract.*6. *res.*34. & alii ab ipso citati; quorum aliqui limitando sustinét, moniaiẽ cœcam non teneri sociã adhibere, si habeat, etiam si fuisset solita recitare cum socia, neque officium memoriæ mandare, si cõmodè possit, neque Choro assistere, ut alternatim divinum officium persolvat, quia nullũ istorum est sub præcepto, nec monialibus sub mortali, ut supponunt dicti Doctores, ex vi regulę Choro pręcipitur interesse. Ita Escobar *de hor.can.q.*6. *n.*38. aliis relatis. Neque teneri recitare officium quod memoriter scit, pro officio quod memoriter nescit, multò minùs loco ipsius substituere alias preces, quia obligatio recitandi fertur in officium currẽtis diei. Diana *loc.cit.res.*96. ubi addit, monialem cœcam, quę scit tantùm psalmos, non verò lectiones, orationem, & capitula, ad nihil teneri, quia psalmi ut sic non sunt hora canonica, ad quam monialis est obligata. Quod tamen absolutè non approbo; cùm enim præceptum ita obliget ad horas canonicas omnes, ut obliget etiam ad singulas divisivè; ita pariter obligabit ad singulas horas, ut obliget etiam ad singulos psalmos divisivè.

Quær. VII. An monialis, quæ non recordatur an recitaverit aliquem psalmum, vel horam, teneatur repetere.

Resp.

Resp. Non teneri, modò non meminerit se non dixisse, & conjecturam justam habeat credendi quòd dixerit, qualem habere videtur, si sciat communiter se non errare in tali hora. Poterit à fortiori justè credere, se totum dixisse, & ultra progredi, si recordatur se incepisse talem psalmum, vel horam, & postea non data opera distracta invenit se in fine talis horæ, vel dicendo per librum, vel memoriter recitando ea, in quibus communiter non solet errare. Navar. Major. Angles, & Sandoval, quos sequitur Sanch. *loc. cit. dub.* 34. admonens, non solùm non teneri repetere, sed repetendo malè agere, quia viam aperit scrupulis, & acquirit habitum repetendi; unde Confessarius injungat, quòd à repetitione omninò abstineat.

Quær. VIII. An peccent moniales anticipando, vel retardando privatam horarum canonicarum recitationem.

Resp. Non peccare mortaliter, docent communiter, sive totum officium recitent mane, sive totum recitent in fine diei, qui desinit in media nocte. Venialem tantùm in hoc agnoscit culpam, aliis relatis, Tancredi *tract.* 3. *lib.* 4. *disp.* 14. *nu.* 1. & 2. quod tamen negat Caramuel *in Theol. fundam. nu.* 1127. Quia cum nullum extet præceptum de tempore legendi privatim horas canonicas, nulla pariter, in quacunque diei parte legantur, erit transgressio, quæ non habetur nisi per legem. Sed quidquid sit de hac sententia, certum est, quamlibet rationabilem causam à venali etiam excusare, Tancred. *ibi. nu.* 3. Stante maximè privilegio Pii V. in quo

Re-

Regularibus indulgetur, ut ex justa causa, & occupatione possint recitare totum divinum officium simul summo mane, aut quando ipsis videbitur cum majori devotione posse persolvere. Quod quidem privilegium ita intelligendum est, ut non requirat, quòd occupationes sint nimis urgentes, alioquin nihil operaretur, ut advertit Rodriq. *in Bullario fol.* 456. *n.* 7.

QUÆR. IX. An monialis propter contemplationem altissimam possit divinum officium omittere.

RESP. Negant plurimi Doctores, quia melior est obedientia, quàm victima; & certè contemplatio illa voluntaria est, recitatio verò præcepta; adeoque illa debet omitti, hæc adimpleri. Ita Suar. *lib.* 4. *cap.* 28. *nu.* 31. S. Faust. *de hor.* 2. *p. qu.* 247. Escobar, *& Ludovic. à S. Jo.* Distinguit Leand. *par.* 6. *tract.* 8. *de hor. can. q.* 45. & sustinet, non posse quidem propria auctoritate commutare officium in contemplationem licèt altissimam, & propter hanc illud omittere, ob rationem à citatis Doctoribus adductam; posse verò se exercere, & occupare in contemplatione divinorum, etiam si ita ex illa in extasim rapiatur, ut postea minimè recitare queat, vel quia raptus est per totam diem, vel quia ex eo manet ita fatigata, & defessa, ut facilè recitare non valeat. Quia in hoc eventu non commutat officium in contemplationem, sed assumit contemplationem exercendam tanquam gratissimam Deo, ex qua per accidens, ac præter intentionem resultat impotentia ad recitandum.

QUÆR.

QUÆR. X. An moniales utentes Breviario Monastico possint in privata recitatione uti Romano.

RESP. Ex Soto, & Bellarm. decere, moniales etiam in privata recitatione Monasterii ritum servare; admittunt tamen alii graves Doctores, licitum esse, secluso scandalo, posthabito sui monasterii Breviario, uti Romano; sicuti etiam posse Romano uti calendario Episcopali, quia nulla adest in contrarium prohibitio, concedit Bordon. *cons. Regul. res.* 30. *num.* 19. qui addit *n.* 23. occurrentibus eodem die duobus festis Sanctorum ejusdem, & æqualis ordinis, unum Breviarii Romani, seu calendarii Episcopalis, & alterum Religionis, de hoc esse faciendum officium, quia quilibet in domo sua præsumitur major. Rota *coram Verospio 9. Januarii* 1614. Verùm obstat Sac. Congreg. decretum *sub die 27. Septembr.* 1698. in hæc verba: *Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrebant, quorum unum sit universale, & alterum particulare alicujus diœcesis, vel Religionis, priùs fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis.*

QUÆR. XI. An Moniales possint, & teneantur recitare officia propria Sanctorum sui Ordinis.

RESP. Teneri, si immediatè subiiciantur Regularibus, quia ratione hujusmodi subjectionis tenentur implere ea, quæ præscribuntur à Prælatis. Verùm admittit Bordon. *Consil. Regular. loc. cit.* quòd, si recitent ex privile-

vilegio aliqua officia infra annum, v. g. officium SS. Corporis Christi singulis quintis feriis festo novem lectionum non impeditis, possunt aliquando illa omittere, dicendo de simplici, seu de feria, quia nullus cogitur uti suo privilegio, cùm in invitum non conferatur. Si verò à potestate sui Ordinis sint exemptæ, adhuc teneri, docet Bordon. *in Miscell. decis.* 452. quia exemptio à regularium potestate est quoad regimen tantùm, non quoad regulæ, & statutorum observantiam. Verius tamen est non teneri, quia exemptio tollit obligationem observandi consuetudines Ordinis, & statuta; possunt tamen recitare, cum enim profiteantur Ordinis regulam & constitutiones, decet ejusdem privilegiis gaudere. Unde notat ex Quintanaduena Pasqualig. de Sacrif. *nov. leg. quæst.* 275. *num.* 5. quòd possunt semel in mense celebrare officium Fundatoris Ordinis, si in eodem Ordine adsit privilegium. Dum enim Regulam talis Fundatoris profitentur, habent ipsum pro Fundatore, quamvis ab aliis sint institutæ.

Quær. XII. An moniales teneantur recitare extra chorum officia defunctorum quæ pro benefactoribus solent recitari in choro; si tunc absint vel ex culpa, vel ex impotentia.

Resp. Non teneri etiam si dicta officia recitari debeant ex justitia, quia obligatio hæc non afficit singulas moniales, uti singulas, sed ut faciunt unum corpus morale: quare plenè satisfit obligationi, si cho-

rus adimpleat, esto omnes non interfint. Quod pariter dicendum est de officio pro monialibus defunctis in die obitus recitari solito; sufficit enim, quòd recitetur in choro; privatim nulla in rigore est obligatio nisi ex charitate, ita Peregrin. *in adnotat. ad constit. sui ordin. p.* 1. *c.* 10. Idem dic de aliis orationibus, quæ privatim pro monialibus defunctis præscribuntur, quia obligatio hæc regulæ obligationem non transcendit. Timeant tamen moniales in hoc negligentes, ne eadem mensura remetiatur eis.

§. II.

De obligatione quoad Missam.

QUÆR. I. AN Moniales teneantur audire Missam frequentiùs, quàm alii fideles.

RESP. Quòd quamvis communiter in regulis, seu constitutionibus religionum præscribi soleat quotidiana Missæ auditio, & maximè deceat moniales frequenter tanto sacrificio interesse, ob maximum fructum inde provenientem; nihilominus stando in jure communi non tenentur audire Missam frequentiùs, quàm alii fideles, quia nullum apparet præceptum, à quo oriatur talis obligatio; nisi fortè nimia in hoc negligentia scandalum præberet communitati.

QUÆR. II. An si aliqua monialis haberet commoditatem confessarii, vel qui absolveret à reservatis, vel quo indigeret ratione doctrinæ in ordine ad directionem spiritua-

lem,

lem, vel ad ſedandos ſcrupulos, vel ad quid ſimile, poſſet in die feſto ob confitendum omittere auditionem Miſſæ.

Resp. Poſſe, dummodò non eſſet poſteà habitura commoditatem ejuſdem confeſſarii; nam in tali caſu adeſt moralis neceſſitas confitendi, quia ſi omitteretur occaſio, reſultaret incommodum ſpirituale notabile, quod proinde magis excuſare debet, quàm excuſet notabile incommodum temporale, quod tamen ſecundùm communem ſententiam excuſat. Ita Paſqualig. *de Sacrif. nov. leg. q.* 1342. *nu.* 5. Ubi addit, monialem quæ indiget confeſſione pro communione, quando ſolent omnes juxta regulam ſumere Euchariſtiam, poſſe omittere auditionem Miſſæ, ſi anteà non potuit præmittere confeſſionem, ut ſimul cum aliis poſſit communicare. Et hoc non tantùm ob utilitatem ſpiritualem, quæ percipitur in Euchariſtiæ ſumptione, ſed etiam ob incommodum, quod ipſi ſequeretur; cauſaret enim admirationem, & proferret etiam occaſionem ſiniſtrè opinandi de ſe ipſa, quo incommodo ſtante, excuſatur ab auditione Miſſæ.

Quær. III. An monialis audiens Miſſam in loco ad Confeſſiones deputato, Eccleſiæ tamen unito, ſatisfaciat præcepto.

Resp. Partem affirmativam ſuaderi poſſe primò ex Leandro *in præcep. Eccleſ. tract.* 2. *diſp.* 1. *q.* 105. ubi docet audientem Miſſam extra Eccleſiã poſt parietem ſatisfacere præcepto. Secundò, quia audiens Miſſam, e feneſtra domus per quam habeatur proſpectus in Eccleſiam, ſatisfacit, licèt intermediet

via publica, Garzia, Lugo, Dicast. & alii, satisfaciet pariter & monialis audiēs in confessionali, licèt paries intermediet. Si enim per hoc quòd è domo prospiciatur celebrans, non obstante intermediatione viæ publicæ, fundatur præsentia, & assistentia sufficiens ad satisfaciendum præcepto, à fortiori per hoc, quod in confessionali audiatur celebrans, non obstante intermediatione parietis, fundabitur præsentia, & assistentia sufficiens ad satisfaciendum præcepto. Nam per viam publicam intermediā magis separatur domus ab Ecclesia, quàm separetur confessionale per parietē.

Oppositæ tamen sententiæ tanquam probabiliori adhæreo cum Llamas, & Pasqualig. *de sacrif. nov. leg. q.* 1303. *nu.* 3. Quia talis locus, cum sit institutus pro confessionibus, non est ordinatus ad communicandum præsentialiter modo cum iis, qui sunt in Ecclesia, & proinde neque ad exibendam assistentiam corporalem iis, quæ fiunt in Ecclesia; unde non est locus aptus ad fundandam præsentiam, & assistentiam moralem respectu celebrationis Missæ. Quod verum est, etiam si audiantur verba Sacerdotis, aut aliquo signo percipiatur celebratio, quia adhuc excluditur præsentia moralis necessaria, ut assistens dicatur cooperari Sacrificio.

Neque valet, quòd talis monialis in confessionali minus fortasse distet, quàm alqua, quæ audiret Missam in Ecclesia. Quia pro, præsentia non tam attenditur distantia, quàm communicatio locorum; nam qui in diversis domibus, aut cubiculis solo pariete intermedio separantur, non sunt præsentes sibi

sibi invicem, quamvis per duos, aut tres passus tantùm distent.

QUÆR. IV. An monialis, quæ raperetur in extasim, dum audit Missam, satisfaceret præcepto.

RESP. Negant Turrian. Lugo, Aversa, & Leander. quia tunc nec habet intentionem, nec præsentiam necessariam. Affirmant Suar. Filluc. Ledes. & Trullenc; quia præcessit intentio, & adest præsentia necessaria, dictaque intentio moraliter perseverat, & colit Deum divinorum contemplatione. Distinguit Pasqua. *q.* 1306. *nu.* 3. Implet præceptum, si in extasi contempletur mysterium, quod peragitur, quia mens non abstrahitur ab oblatione Sacrificii, unde neque præsentia desinit esse ordinata ad assistendum Sacrificio. Non implet autem, si ad aliorum contemplationem raperetur; nam in tali casu non intervenit neque præsentia externa, quia cessat per abstractionem à sensibus, & se habet veluti mortuo modo; neque præsentia interna, quia raptus ad aliorum contemplationem destruit ordinem ad oblationem sacrificii.

QUÆR. V. An monialis possit simul recitare horas canonicas, aut pœnitentiam impositam, aut alias preces ex obligatione, & implere præceptum de audienda Missa.

RESP. Affirmativè; licèt enim recitatio, & auditio Missæ sint quid diversum, utraque tamen tendit ad eundem terminum ex motivo religionis, adeoque ad invicem se compatiuntur, & in ordine ad attentionem se habent per modum unius, cum

uniantur in termino, & motivo. Unde potest monialis facili, & expressa attentione attendere utrique actioni, consequenter utrumque præceptum implere. Ita cum quadragintaquinque Doctoribus Pasqualig *cit. qu.* 1320. Qui in antecedenti quæstione idem asserit de Moniali suam conscientiam examinante, dummodò examen non sit ita ex fixa cogitatione, ut impediat moralem assistentiam respectu sacrificii.

QUÆR. VI. An moniales teneantur procurare quotidie in suis Ecclesiis Missæ conventualis celebrationem.

RESP. Affirmant Rodriq. Portel. & Tamburin. quia *in cap. cum creatura de celebrat. miss.* juxta *Rubr.* ponitur obligatio celebrandi quotidie Missam conventualem in Ecclesiis collegiatis, inter quas annumerari possunt Ecclesiæ monialium, quia habent Prælatum. Verùm non adesse obligationem in Ecclesiis monialium celebrandi quotidie, & multo minùs Missam conventualem, testatur praxis, atque communis observantia, & sustinet Pasqual. *loc. cit. q.* 878. *nu.* 2. Desumitur *ex eodem cap. cum creatura de celebrat. miss.* ubi dicitur *celebrent*, quod non potest convenire monialibus, cùm celebrare non possunt; neque injungitur ullo modo procuratio celebrationis, quæ sola potest monialibus convenire.

QUÆR. VII. Qualem Missam celebrare debeant Capellani monialium non utentium Breviario Romano.

RESP. Debent celebrare Missam correspondentem officio à monialiabus recitato, sed

cum

cum Missali Romano. Fraxinel. Quart. Pasqual. & ita declaravit Sac. Congreg. *die* 20. *Novemb.* 1628. teste Gavanto. Quòd si nulla est Missa in Missali Romano, quæ cum officio monialium concordet, ut quando recitant de Nomine Jesu, aut de Spinea Corona in eo casu missam de Circumcisione Domini, & de Cruce, vel de Passione poterunt celebrare. Pasqual. & Gavant. qui addit, quòd prima Domenica Octobris in Ecclesiis monialium celebrantium festum SS. Rosarii missa dicenda est de B. Virgine vel ut in dic Nativitatis ejusdem, mutatis verbis incongruis, vel potiùs ut in festo ad Nives. Extendit supradictam doctrinam Leander *p.* 6. *in decal.* 1. *tract.* 8. *disp.* 4. *q.* 56. & alii apud ipsum dicentes, Capellanos monialium non solùm debere recitare Missas, sed etiam posse recitare officia Sanctorum Ordinis, sed cum Breviario Romano. At hæc opinio non videtur admittenda nisi quoad eos, qui quasi collegialiter vivunt expensis monialium, vel quibus administratio Sacramentorum, & animarum cura est commissa. Quintanad. *tract.* 8. *singul.* 7. *nu.* 3.

Quær. VIII. Quot Missæ possint quotidie celebrari in Ecclesiis monialium.

Resp. Sac. Congregat. *in Lucana* 22. *Decemb.* 1628. decrevit, quòd Moniales singulis Missis pro singulis diebus debent esse contentæ, exceptis diebus celebrationis propriorum festorum, vel exequiarum alicujus monialis. Possunt etiam permitti duæ in monasteriis ita numerosis, ut omnes eidem Missæ nequeant interesse. Ratio hujus pro-

hibitionis est, ne detur ansa turbandi pacem, & quietem monialium ex quotidiana plurium Sacerdotum celebratione. Quare sancitum fuit in Constit. Clementis VIII. relata à Mosconio, quòd nulla monialis, vel alia persona sæcularis audeat celebrare facere in Ecclesiis monialium privatas Missas, præter eas, quæ à Capellanis celebrari solent, sine licentia Ordinarii. Putat tamen Cespedes *de exempt. Regular. dub.* 341. sufficere licentiam tacitam, & implicitam, quæ circa hoc debet semper adesse; & vult hanc posse concedi à Prælato Regulari ad celebrandum in monasteriis exemptis: quod absolutè non admitto, cùm versemur in materia spectante ad clausuram, circa quam concessio licentiæ etiam quoad exemptas pertinet ad Episcopum, ut diximus supra. Unde eadem Sac. Congregat. *in Placent. 9. Decembr.* 1651. censuit, per Episcopum fieri posse præceptum Regularibus, ne absque sua licentia accedant ad Ecclesias monialium pro celebrandis ibidem Missis.

§. III.

De obligatione quoad Confessionem, & Communionem.

QUÆR. I. AN Moniales teneantur sub mortali singulis mensibus ad Confessionem, & Communionem.

RESP. Negant quamplures, & graves Theologi apud Tamburin. quia confessio menstrua, & communio sunt tantùm indi-

tæ

tæ de consilio, unde Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 10. hanc in monialibus frequentiam desiderans non præcipit, sed hortatur; & si quæ est obligatio, tota oritur ex regula, quæ ut plurimum non obligat ad peccatum, saltem mortale. Nec pro obligatione allegabilis est Clement. *Ne in agro de stat. Monach.* quia cùm sit edita pro Monachis, & sit odiosa, non est ad moniales extendenda. Verùm plures Doctores asserunt, in dicta Clement. comprehendi etiam moniales, quia in materia æquè adaptabili viris, & fœminis etiam in odiosis masculinum concipit fœmininum, Jason cum pluribus congestis à Pasqual. *in Lauret. nu.* 660. Unde dispositum de uno, de altero quoque censetur dispositum. Cùm ergo necessitas, & finis frequentandi Sacramenta æquè adaptentur viris, & fœminis, utrasque debet afficere dispositio. Et ideò Moniales teneri sub mortali ad confessionem menstruam, & communionem, tradunt Cajet. Navar. Dicastil. & alii, quos refert, & sequitur Clericatus *de Euchar.* Sacr. *decis.* 49. *nu.* 14. & quidem negari non potest, ex diuturna Sacramentorum omissione maximum oriri scandalum, morum corruptelam, disciplinæ regularis relaxationem, & religiosæ communitatis detrimentum: quare saltem ex hoc capite monialem notabiliter negligentem à peccato mortali non excusarem.

QUÆR. II. An monialis, quæ jam ritè confessa recordatur alicujus gravis peccati, teneatur sub mortali talis peccati obliti confessionem ante communionem præmittere.

Resp. Non teneri, sed posse ad communionem pergere, conantur probare Garzias Henriq. Ferrantin. Reginald. Præpositi. Petrus Cornejo, & Pasqual. *in Theol. moral. de Euchar. Sacram. disp.* 116. *sect.* 5. *num.* 18. Quia jam est debitè dispositа, cum sit in statu gratiæ; nam peccatum illud est indirectè remissum per priorem confessionem, in qua inculpabiliter fuit oblitum. Hæc opinio tanquam nimis laxa, & falsa, à Doctoribus communiter est rejecta, & teste Caspensi fuit ab Inquisitione Hispanica reprobata. Quia præceptum de præmittenda ante communionem confessione, non solùm est de præmittenda confessione integra formaliter, sed etiam, ubi advertimus, materialiter, ut colligitur ex communi omnium fidelium praxi, & observantia, quæ est optima cujuscunque legis interpres, *l. si de interpretatione, ff. de legib. & cap. cum dilectus de consuet.* Illam tantummodò duobus in casibus admitterem, videlicet quando monialis magnis scrupulis angeretur, ut monet Fabri *t.* 1. *Appolog. pag.* 384. & quando communicatura actu pergeret ad fenestellam, ut probat Tamburin. in *expedit. com. cap.* 1. §. 8. *nu.* 63.

Quær. III. An monialibus communio quotidiana sit indulgenda.

Resp. Posse indulgeri, sed fervore spiritus, & mentis puritate bene perpensis. Extat Sacræ Congreg. decretum emanatum *die* 12. *Februarii* 1679. in quo habetur: *Itidem Moniales quotidie sacram communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent.*

cent. Si quæ verò puritate mentis, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à ſuperioribus permittatur. Nullatenùs tamen permitti debet in feria ſexta Paraſceve ex decreto ſuperiùs relato, in quo præcipitur, quòd Miſſalis rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur; Miſſalis autem rubrica in feria quinta majoris hebdomadæ præſcribit, quòd reſerventur aliquæ particulæ conſecratæ, ſi opus fuerit, pro infirmis; ergo non pro ſanis; unde ex intentione Eccleſiæ in illa die Euchariſtia non eſt ſanis adminiſtranda. Ita Paſqual. *de Sacram. nov. leg. queſt.* 357. *num.* 7. ubi duo alia affert Sac. Congreg. decreta, unum *ſub die* 9. *Maii* 1606. alterum 19. *Februar.* 1622.

An autem in Sabbato Sancto ſit permittenda communio, reſolvendum eſt negativè. Quia per Sac. Rit. Congregationis Decretum *ſub die* 11. *Februarii* 1690. Alexandro VIII. approbante, prohibentur omninò in Sabbato Sancto Miſſæ privatæ etiam poſt pulſationem campanarum in quacunque Eccleſia, aut oratorio privato. Ergo pariter prohibetur Euchariſtiæ perceptio. Sicut enim, ut notat Paſqualig. *loc. cit. nu.* 9. ex eo quòd non poteſt niſi ſemel in die celebrari, infertur, quòd non niſi ſemel in die liceat communicare; ita etiam ex eo quòd in aliqua die non liceat celebrari, inferri debet, quòd neque in tali die liceat communicare. Undè pariter ex eo quod in Sabbato Sancto prohibeatur Sacerdotibus, etiam pri-

vatim, Missæ celebratio, non obstante anticipatione in celebrando Dominicæ Resurrectionis mysterio, prohibita censenda est in Sabbato Sancto Eucharistiæ perceptio. Hanc sententiam sustinent Gavant. Coton. Volp. Azor. Arnaud. Francolin. & alii, quos refert, sed non sequitur Clericatus *de Eucharist. Sacram. decis.* 15. ubi pro apposita, quam tuetur, undecim allegat Doctores.

QUÆR. IV. An Episcopus possit monialibus præscribere dies, & locum recipiendi sacram communionem.

RESP. Videri quòd non, quia Trident. *sess.* 22. *cap.* 6. ait: *Optaret quidem Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, ut ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret.* Affirmativè nihilominùs respondendū. Habetur disertè ex eodem Concilio *sess.* 22. *de observ. & evit. in celebr. miss.* & alibi. Quibus in locis tribuitur Ordinariis etiam uti Sedis Apostolicæ delegatis facultas circa Sacramentorum tum administrationem, tum susceptionem. Quod præcipuè curandum est in Sacræ Eucharistiæ frequentatione, ut æmulationes, & singularitates, unde certa Congregationibus imminet ruina, evitentur, & impediantur, dum communicantes non communicantibus se putant meliores, & sanctiores, suoque exemplo alias sæpè non debitè præparatas vel æmulatione, vel alio respectu ad communicandum indignè incitant, & quasi inducunt. Atque ita Sac. Congreg. Concil. *die* 7.

Maji

Maji 1652. *in una Gandavensi* declaravit Monialibus dispositionem Concilii *sess.* 22. *cap.* 6. non suffragari, Ordinarioque licere præscribere illis dies, & locum accipiendi sacram communionem.

QUÆR. V. An peccet monialis pergens ad prandium immediatè post communionem.

RESP. Secluso scandalo, & contemptu mortaliter non peccare docent communiter cum D. Tho. 3. *p. q.* 80. *ar.* 8. *ad* 6. Quia nullum præceptum est assignabile in oppositum; Canon enim *in cap. Tribus gradibus* 3. *de consecrat. dist.* 2. per usum contrarium est abrogatus, teste eodem D. Tho. *loc. cit.* Neque ulla irreverentia est, statim ingerere in stomachum alios cibos cum speciebus Eucharisticis immiscendos, sicut nulla irreverentia est, posita Christi Domini dignatione, quòd Species Eucharisticæ cum aliis stomachi humoribus misceantur. Hinc neque venialiter peccare deducunt Bonac. Tambur. & Quart. *in rubr. Missal. p.* 2. *tit.* 12. *dub.* 6. Eò magis quia immediatus ille accessus ad prandium cohonestatur in monialibus à justa causa, nempè ab observantia regulæ præcipientis cuique illarum primæ communi mensæ interesse, in qua habetur sacra lectio, servatur silentium, & debita moderatio.

Verùm ob majorem Sacramenti reverentiam, & uberiorem ipsius fructum percipiendum, consulunt Doctores cum D. Tho. ab aliis communibus cibis abstinendum esse per totum illud tempus, quo Species Sacramentales durant in stomacho, nempè vel per horã, ut opinantur Verricel. & Sancius, vel per di-

dimidium, aut quadrantem, vel etiam semiquadrantem, ut ex aliorum sententia refert Cassian. *in arbor. opin. verbo communio* §. 7. *num.* 88. Quia toto illo temporis spatio diffundunt ampliorem gratiam ex opere operato, si anima attenta sit ad eam diffusionem colligendam, immorans in actibus devotionis, & charitatis, ut ex Cajetano docet Gonet. *t.* 5. *disp.* 8. *de Euch. n.* 37.

§. IV.

De obligatione quoad Jejuniorum, & Festorum observantiam.

QUÆR. I. AN moniales teneantur servare jejunium in Adventu.

RESP. Olim in Adventu ab omnibus jejunabatur, ut desumitur *ex can.* 6. Concilii Matisconen. primi. His temporibus nulla adest obligatio jejunandi in Adventu, ut constat ex praxi, & tradunt communiter Doctores. Quare neque moniales ad hoc jejunium tenentur ex præcepto, cùm teneantur tantùm ad ea, ad quæ tenentur reliqui fideles, & non ad alia; nam in jure communi non reperitur ullum jejunium peculiariter regularibus injunctum. Excipiendæ tamen sunt moniales illæ, quæ ex suis constitutionibus, & statutis tenentur jejunare. Hæc tamen obligatio non est ab Ecclesia imposita, licèt approbata, sed ab ipsa religione. Secluſa obligatione regulæ non tenentur moniales ad tale jejunium ratione consuetudinis, quia non est consuetudo servata ab ipsis

ex

ex animo se obligandi, sed ex devotione, & regulari observantia. Tamburin. *de jure Abbat. disp.* 12. *q.* 2. *nu.* 3.

QUÆR. II. An moniales S. Claræ teneantur sub mortali ad jejunia regulæ, nempe Adventus, & feriæ sextæ.

RESP. Non teneri juxta Constitutionem Eugenii IV. quæ incipit *Ordinis tui*, ubi postquam Pontifex recensuit omnia præcepta obligantia sub mortali contenta in regula, inter quæ sub capitulo tertio est jejunium, subdit: *Tenore præsentium declaramus, & volumus, quòd in nullius prædictorum transgressione, præter quàm eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ scilicet, paupertatis, castitatis, & clausuræ, & super electione Abbatissæ, & depositione, peccatum mortale incurrant.*

QUÆR. III. An monialis quæ vovit jejunare per annum ea die hebdomadæ, qua celebratur festum Annunciationis B. V. si festum incidat in Dominica, teneatur die Dominica jejunare, vel possit tale jejunium in sabbato præcedenti anticipare.

RESP. Posse anticipare. Quia ex omnium sententia quilibet potest votum suum in manifestè melius commutare; at manifestè melius est se conformare universali consuetudini Ecclesiæ anticipantis in sabbato præcedenti jejunium incidens in Dominica. Ita Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 18. ubi excipit sabbata illa, in quibus incidit jejunium indictum ab Ecclesia, quia non est æquè acceptum Deo jejunium illud aliunde obligans, & votum intelligitur de actu aliàs non obligante,

te, nisi aliud exprimatur. Sed cur etiam in hoc casu non poterit se conformare universali consuetudini Ecclesiæ reponentis vigiliam alicujus Sancti occurrentis feria secunda in Sabbato præcedenti, etiam si in tali Sabbato incidat jejunium quatuor temporum? Nonne ex eodem Sanchez votum obligat ad instar præcepti Ecclesiastici?

Igitur, quòd possit etiam in tali casu anticipari, docet absolutè Pasqualig. *de jejun. dec.* 223. *nu.* 5. Imò *decis.* 124. sustinet, hoc procedere etiam si explicitè habuerit animum se obligandi in die Dominico. Nam quando habuit talem intentionem, vel advertit consuetudinem Ecclesiæ non admittentis jejunium in Dominicis, vel non advertit. Si advertit, habuit animum eundi contra talem consuetudinem, qui animus continet contemptum quendam virtualem, & proinde votum quatenus procedit à tali animo inefficax est. Si non advertit, limitatur votum, & intentio voventis, ut non se extendat ad dies Dominicos, quia obstat consuetudo Ecclesiæ, cui præsumitur, quòd se conformasset, si advertisset. Favet Decretum Sac. Congreg. Universalis Inquisit. Rom. *anno* 1686. in quo præcipitur, ut nullo pacto, ex devotione etiam B. Virginis, imponatur jejuniũ quod indifferenter amplectatur dies Dominicos, & festivos solemnes, puta, faciendũ una die hebdomadę totius anni, utpote quod sit contra usum, & praxim Ecclesię; non impedit autẽ, si jejuniũ commutetur eo die festivo in aliam mortificationẽ, aut ad aliam diẽ transferatur. Ita ex Potest. *in exam. Conf. t.* 1. *p.* 3. *n.* 2825.

QUÆR.

QUÆR. IV. An moniales teneantur ad jejunia indicta ab Episcopo.

RESP. Si sint exemptæ ab Ordinario non teneri, quia tam quoad personas, quàm quoad loca sunt extra territorium, si non materialiter, saltem quoad effectum jurisdictionis, & ideò statutum Episcopi non potest parere effectum aliquem circa ipsas. Ita Azor. Tamburin. & alii adducti à Pasqual. *de jejun. decis.* 196. Si verò sint sub regimine Ordinarii, certum est teneri, si Episcopus intendat eas obligare, atque intentionem suam manifestet, quia cùm ipsi subiiciantur, potest eisdem imponere ea onera, quæ expedire judicaverit. Quòd si in edicto nulla fiat de monialibus specialis mentio, neque ullum signum appareat, quòd Episcopus voluerit illas specialiter obligare, existimat Pasqualig. *loc. cit. decis.* 197. ad hujusmodi jejunia non teneri, quia non militat eadem ratio de sæcularibus, & monialibus; nam hæ habent plura onera, & jejunia ratione regulæ, & exercent plura opera bona, quibus possunt satisfacere fini, pro quo imponitur jejunium sæcularibus; unde nec potest quoad ipsas adesse idem motivum ad imponendam legem, & præceptum.

QUÆR. V. An moniales teneantur ad jejunia loci, quę ex consuetudine obligant tam laicos, quàm Clericos.

RESP. Negat cit. Pasqualig. *decis.* 185. *num.* 8. non solùm quoad exemptas, sed etiam quoad non exemptas. Quia licèt simul cum laicis, & Clericis uniantur sub Episcopo tanquam capite, uniuntur tamen se-

secundùm propriam regulam, atque adeò ut faciant distinctam communitatem à laicis, & Clericis. Unde quando Episcopus consentit in consuetudinem ipsorum, non consentit ut caput monialium, & proinde non refundit consuetudinem in moniales. Immò addit citatus Doctor *decis.* 187. neque teneri, licèt consuetudo sit universalis: quod tamen negant alii quamplures penes ipsum, etiam quoad moniales exemptas, quia tanquam communicantes cum cæteris sub eodem Pastore, & capite, debent etiam in obligatione generalis consuetudinis communicare.

QUÆR. VI. An moniales ante annum vigesimum primum teneantur ad jejunia suæ Regulæ.

RESP. Partem affirmativam approbari à vigintinovem Doctoribus relatis à Pasqual. *decis.* 254. quia adolescentulæ profitentes possunt se obligare, & de facto profitendo suscipiunt in se obligationem regulæ, & proinde manent obligatæ ad servanda jejunia. Sed hoc fundamentum non est satis firmum, quia licèt adolescentulæ profitentes actu suscipiant obligationem, iliam tamen suscipiunt pro ut intendit obligare, unde constare debet, quòd regula intendat obligare etiam adolescentulas. Sic adolescens conversus ad fidem suscipit in se obligationem servandi præcepta Ecclesiæ; & Ecclesiæ præceptum de jejunio ponitur indifferenter absque exclusione alicujus; & tamen non tenetur ante annum vigesimum primum jejunare, quia non est intentio Ecclesiæ obligare ante illam

ætatem. Examinanda igitur est regula, & si aliquod continet, per quod ostendat specialem intentionem obligandi etiam adolescentulas, tunc procul dubio obligabuntur; at si non ostendat talem specialem intentionem, sed tantùm in generali obliget omnes, tunc adolescentes non obligari censet Pasqual. *loc. cit.* quia militat eadem ratio, ob quam possimus eam interpretari, sicut interpretamur præceptum Ecclesiæ. Quod absolutè defendunt Graffius, Medina, Tamburinus, & quidam alii.

Advertit tamen Pasqual. quòd sequendo opinionem asserentem adolescentulas professas obligari ad jejunia religionis, possunt in his jejuniis dispensari à Prelato principaliter, ab Abbatissa verò ministerialiter, ut videbimus *cap.* 10. §. 1. *qu.* 5. immò bene facient dispensando, & non cogendo ad omnia jejunia, ut conservatis viribus meliùs serviant religioni; quod notavit etiam Ledesma.

Quær. VII. An moniales sexagenariæ teneantur ad jejunia regulæ.

Resp. Non liberari moniales sexagenarias, docent Ludovic. à S. Jo: & Bordonus, quia obligatio regulæ est voluntariè suscepta. Oppositum tradunt Rodriq. & Tamburin. quia præceptum regulæ obligat adinstar præcepti ecclesiastici, & per consequens ob eandem rationem, ob quam cessat lex ecclesiastica, debet etiam cessare lex religionis. Et ob eandem pariter rationem Sanchez, Bonacina, Diana, & Tamburinus eximunt à jejunio moniales sexagenarias, quæ voverunt cer-

certis diebus toto vitæ suæ tempore jejunare, quia nimirum vota obligant juxta mensuram præceptorum ecclesiasticorum; nisi aliter constet ex intentione voventis.

QUÆR. VIII. An moniales in jejuniis ex præcepto regulæ, vel Ecclesiæ indictis, possint extra quadragesimam uti lacticiniis in illis locis, in quibus apud sæculares viget consuetudo.

RESP. Inspiciendam esse regulam, quæ, si aliquod particulare circa hoc præscribat, erit servanda; si verò nihil decernat, poterunt juxta morem sæcularium loci consuetudine gaudere. Non tamen juxta consuetudinem universalis Ecclesiæ possunt comedere carnes & jejunium frangere in die Natalis Domini, si contingat feria sexta, vel Sabbato celebrari, nisi id expressè indulgeatur in regula, quia *in cap. fin. de observ. jejun.* qui ex voto, vel regulari observantia sunt adstricti, signanter ab hujusmodi consuetudinis participatione excluduntur.

QUÆR. IX. An moniales in diebus jejunii possint horam prandii consuetam anticipare.

RESP. Posse ex Filliuc. & Diana juxta privilegium Leonis X. Minoribus concessum, de quo moniales quoque participant. Et hoc privilegium locum habet etiam, ubi adest consuetudo comedendi ante meridiem, quia possunt simul frui loci consuetudine, & privilegio; nam Pontifex, qui hoc concessit, voluit eas posse comedere, antequam comedant sæculares, ut notavit Pasqual. *dec.* 150. *num.* 3.

QUÆR.

QUÆR. X. An monialibus in jejuniis lætitiæ liceat sumere ampliorem refectiunculam vespertinam.

RESP. Negant Villalob. Bossius, & Diana *part.* 1. *tract.* 9. *de jejun. res.* 35. ubi hoc sæcularibus concedit. Affirmant nihilominus alii, quia ad illa jejunia non magis obligantur moniales, ac sæculares, cùm talis obligatio oriatur in utrisque ab eodem præcepto; ab utrisque igitur poterit cum lætitia æqualiter celebrari. Ita Llamas, Turrianus, Pasqualigus, & Sanchez, qui hoc admittit, licèt moniales teneantur etiam ex voto, vel præcepto regulæ jejunare, quia hoc est privilegium talis jejunii pro tali festo, unde ut magis dignum trahit ad se alia jejunia. Quod tamen intelligendum est, nisi aliter intellexerint se obligare, vel regula aliter disponat.

QUÆR. XI. An moniales, quæ tenentur ex regula sub mortali jejunare, si eodem die incidat jejunium indictum ab Ecclesia, peccent dupliciter, si ipsum non servent.

RESP. Dupliciter peccare, quia peccant contra temperantiam præceptam ab Ecclesia, & contra religionem, quia non servant regulam obligantem sub mortali, quam ex voto tenentur servare. Ita aliis relatis Diana *in oper. coord. tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 62. Negat Bordon. *in consil. regular. res.* 18. *n.* 13. Quia utrumque præceptum præcipit jejunium sub ratione temperantiæ, unde utriusque violatio, cum sit contra eandem virtutem, non potest constituere duplex peccatum. Sed hoc non subsistit;

sistit; quia obligatio servandi regulam, quando præcipit sub mortali, etiam si non præcipiat specialiter sub obedientia, radicatur in voto; unde moniales illam non servantes faciunt contra votum, & sic peccant peccato contra religionem.

QUÆR. XII. An Moniales possint per proprium Confessarium dispensari in jejuniis.

RESP. Confessarios, universaliter loquendo, non posse in jejuniis dispensare, quia in foro exteriori carent jurisdictione, quæ necessaria est ad dispensandum. Ita Doctores communiter. De monialium tamen Confessario videtur aliter discurrendū. Ille enim, licèt non vocetur Parochus, in facto nihilominus talis est, quia in monialium ecclesia exercet omnia illa jura, quę Parochus in sua. Bordon. *decis. Miscell. decis.* 129. Cum igitur Parrochus ex communi Doctorum sententia possit in jejunio dispensare suas oves, poterit & Confessarius suas moniales; pro utroque enim eędem militant rationes. Semper tamen debet intercedere justa causa, sive Confessarius dispenset in jejunio indicto ab Ecclesia, sive præscripto à regula; quia non est illi concessa facultas relaxandi legem ad libitum, sed solùm urgente aliqua necessitate.

QUÆR. XIII. An moniales teneantur observare festa ab Ordinario loci præscripta.

RESP. Teneri ex decreto Trident. *sess.* 25. *de regular. cap.* 12. ubi licèt non fiat expressa mentio de monialibus, illæ tamen in dicto de-

decreto sub nomine regularium comprehenduntur, quod est commune tam monialibus, quàm viris religiosis. Hæc obligatio se extendit etiam ad festa, quæ obligant ex consuetudine, quia cum obligent ex consensu Episcopi, ita se habent, ac si essent indicta ab Episcopo, ut optimè advertit Pasqualig. *ubi supra decis.* 186. *num.* 8. ubi notat, non improbabiliter dici posse, quòd cum Concilium loquatur de festis, quæ servanda præcipiuntur ab Episcopis, non tenentur regulares (idem dic de monialibus) ad ea, quæ sunt ex consuetudine, quia non sunt propriè præcepta ab Episcopo, unde non comprehenduntur in Concilii decreto, quod tanquam odiosum, quia est contra exemptionem regularium, est strictè interpretandum de festis propriè præceptis. A prima tamen opinione non recedendum saltem ratione scandali, quod posset oriri.

QUÆR. XIV. An monialibus licitum sit in die festo acu pingere, vulgò *riccamare*.

RESP. Esse licitum discendi causa, docent Sà, Armilla, & alii quamplures; ut absolutè licitum tradit Joannes à Cruce, & probabile putat Auctor casuum conscientiæ Bononiæ discussorum *anno* 1635. *Mense Martio cas.* 2. Quia acu pingere non censetur opus servile, non solùm quia à nobilibus hujusmodi exercitium solet usurpari, sed etiam quia in exercitiis propriis mulierum debent dari aliqua, quæ non sint servilia, ut habeant, in quibus juxta sexum muliebrem possint ingenuo modo se exercere. Quod

ma-

maximè admittunt Sylvester, Margarita, Villalob. & Marchant. si fiat ad evitandum otiositatem, quia cum intendatur ad evitandum peccatum, non videtur imputandum ad peccatum. Et ob hanc rationem excusari debent Moniales conficientes in die festo thecas ex serico cum cera sancta collo gestari solitas, aliaque similia. Immò opera servilia pertinentia ad ornatum, & cultum Ecclesiarum, ut ornare Altaria, mundare &c. esse illis licita ex rationabili causa, asserunt Cajetan. Sot. Navar. & Bonacina, qui, rationabili causa cessante, esse peccatum veniale tantùm, admittunt.

QUÆR. XV. An moniales possint in diebus festis opera servilia exercere ad sublevandam gravem monasterii necessitatem.

RESP. Posse, per ea quæ tradunt quindecim Doctores relati à Pasqualig. *decis.* 296. dummodò tamen audiant Missam, vitent scandalum, & earum exercitium eò usque protrahatur, quò usque sufficiat ad sublevandam necessitatem. Ratio autem est, quia, cum lex respiciat bonum, non obligat contra necessitatem, sed subditur exigentiæ necessitatis. Cujus quidem necessitatis gravitas ad hoc, ut in præsenti ab observantia legis excuset, ponderanda est habito respectu ad monasterii, monialiumque statum, qui consistit in victu, & vestitu, nec non in aliis ad divinum cultum pertinentibus. Si igitur monasterium in his notabiliter patitur, tunc lex abstinendi ab opere servili non obligat, quia non obligat cum detrimento notabili proprii status. Imò si cessat obligatio ex

aliis

aliis cauſis, quæ ſunt minoris momenti, ut videre eſt apud Doctores, à fortiori debet in præſenti ceſſare.

Hinc videtur inferri, quòd monialis quoque privata, quæ ſingulis profeſtis diebus detinetur in ſervitio monaſterii, poſſit in diebus feſtis laborare ad lucrandum aliquid, quod ſeponat, ob ſublevandas proprias indigentias, quibus monaſterium, ratione ſuæ paupertatis, non poteſt occurrere. Nam ex una parte peculium aliquod neceſſarium eſt ad ſibi comparanda, v. g. infirmitatis tempore medicamenta, quæ nec à monaſterio, quia paupere, nec à benefactoribus ſuppeditantur; ex alia verò in diebus profeſtis nihil poteſt acquirere, quia tota in monaſterii muneribus detinetur. Unde ſolummodò ſupereſt, quòd in diebus feſtis laborando lucrum illud ſibi comparet, quod reſervet.

At moniales laborantes in die feſto, cenſeo, non eſſe regulariter excuſandas, cum non videam, tantæ neceſſitatis cauſam tam de facili poſſe contingere. Stante præcipuè Gregorii XIII. Conſtitutione *Deo ſacris*, in qua Pontifex volens monialium neceſſitatibus proſpicere, præcipit, ut dimidium omnium eleemoſynarum à quibuſcunque, ubicunque terrarum, quacunque lege, diſpoſitione, vel obligatione pauperibus faciendarum, detur monialium monaſteriis neceſſitate preſſis, quæ ſunt in locis, in quibus illæ erogandæ ſunt; idque ſine alio particulari juſſu Pōtificis, vel alterius, & ſine ulla petitione monialium, vel quorumcūque

aliorum; dummodò duplex conditio concurrat, una, ne illæ eleemoſynæ ſint in pauperes certas erogandæ; altera, ut, licèt pauperibus incertis erogandæ ſint, non tamen ſint ad uſus alios, præterquàm ad pauperum ſuſtentationem, & alimenta deſtinatæ.

CAPUT IX.

De Obligationibus Monialium quoad electionem Abbatiſſæ.

§. I.

De qualitatibus eligendæ in Abbatiſſam.

QUÆR. I. QUot annos ætatis, & profeſſionis habere debeat eligenda in Abbatiſſam?

RESP. Ex Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 7. Abbatiſſa non minor eligenda eſt annis quadraginta, & quæ octo annis poſt emiſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Hæc ætas debet eſſe completa de momento in momentum. Paſſerin. *de elect. cap.* 40. *num.* 17. Ita quòd ſuper hac neque Epiſcopus, neque Nuncius Apoſtolicus, vel alius Superior poſſit diſpenſare, quod certum ait Tamburin. Nemo enim Summo Pontifice inferior poteſt diſpenſare in lege conciliari. Faciliùs tamen, ut notat Suarez, & cum minori cauſa eſt diſpenſabile tempus religionis, quàm ætatis, quia plus confert ad alios regendos ætа-

ætatis maturitas, quàm religionis antiquitas. Non attenta ætatis qualitate à Concilio requisita electio est ipso jure nulla; Tamburin. Barbos. Aldan. asserens ita fuisse declaratum à Sac. Congregat. *in Viterbien. 16. Maii* 1623. & moniales aliter eligentes privari pro illa vice facultate eligendi, tradunt Lavor. & quidam alii; quod negat Passerinus, quia non levis pœna est irritatio electionis.

QUÆR. II. Quid faciendum si non adsit in monasterio habens supradictam ætatem requisitam à Concilio.

RESP. Ex eod. Concil. Aliqua ex alio ejusdem Ordinis monasterio eligi potest; nullatenus tamen ex alio ordine, nisi ex Summi Pontificis indulto, ut notat Pasqual. *in Lauret. nu.* 680. quia tanquam alienam regulam professa, ad regendas diversi Ordinis moniales non reputatur idonea. Non est tamen necesse, quòd deficiente quadragenaria, alia eligatur ex alio monasterio, sed eligi poterit ex eodem monasterio habens triginta annos ætatis, & quinque professionis. Quia Concilium hoc relinquit arbitrio illius, qui præest electioni. Verùm si in monasterio adsint moniales quadraginta annorum, & octo professionis, non poterit eligi aliqua, quæ deficiat à dicta ætate, aut tempore etiam per mensem, licèt habilior censeatur; aut quæ deficiat ab ætate triginta annorum, & quinque professionis in concursu illius, quæ habet dictam ætatem & tempus, ut notant Lavor. & Tamburin. & declaravit Sac. Congr. *in Viterbien. S. Rosæ 25. Martii* 1623. Qua-

re si una tantùm in monasterio reperiatur habens ætatem præscriptam à Concilio, & tempus professionis, debet eligi, nisi esset inhabilis ex alio capite; quia cæteræ, quamvis quoad prudentiam essent habiliores, essent tamen positivè inhabiles ratione impedimenti ætatis, & temporis à professione, quia Concilium hoc solùm concedit, quando in eodem monasterio nulla cum præscriptis qualitatibus reperitur. Unde si expediret vel ob pacem monasterii, vel ob alias causas aliam eligi, recurrendum esset ad Sac. Congregat. ut juxta indigentiam monasterii provideret.

Quær. III. An carens debita ætate, & rempore professionis, eligi possit in Vicariam.

Resp. Non posse, si non habeat supra se aliam Superioriss̃am, & gubernet in capite, quia fieret fraus legi; nam re vera eligeretur ad exercendum munus Abbatissæ sub alio nomine, & Concilium requirit has qualitates tanquam necessarias pro munere ritè obeundo, non pro nomine obtinendo. Ita Tambur. & Pasqual. *loc. cit. nu.* 658. ubi addit, quòd quando adesset aliqua difficultas, ita ut esset necessariò per aliquod tempus protrahenda electio, potest tunc pro interim eligi in Vicariam, quia tunc regimen monasterii transeunter ipsi imponitur.

Quær. IV. An illegitimæ eligi possint in Abbatissas.

Resp. Quòd possint eligi sine dispensatione, tenent Miranda, Rodriq. Portel. Diana, & Lavor. adducens decretum S. Congreg.

greg. *die* 4. *Octob.* 1594. Communior tamen ſententia negat. Ita Navar. Majol. Homobon. & Aldan. qui refert ita fuiſſe deciſum à Sac. Congreg. *die* 27. *Aprilis* 1630. Unde hæc declaratio, utpote poſterior allegata pro prima ſententia, eſt tenenda. Favet quoque ratio; eſt enim regula, quòd maſculinum concipit fæmininum interveniente identitate rationis. Cùm ergo jura arceant illegitimos intuitu illegitimitatis, *cap.* 1. *& cap. fin. de fil. præsbiter.* arcebuntur etiam fæminæ tanquam in maſculino conceptæ, quia ratio illegitimitatis eſt communis, ſeu potiùs eadem in utriſque. Hinc neque eligi poſſe in Abbatiſſas infames infamia juris, vel facti, tradunt Majol. Vivald. Navar. & Barboſ. Neque deſcendentes intra quartum gradum ex maculato genere, ex Conſtit. Pauli IV. innovata à Gregorio XIII. diſpoſitio enim in utroque caſu procedit etiam in fæminis ex identitate rationis.

QUÆR. V. An corrupta eligi poſſit in Abbatiſſam.

RESP. Negativè cum vigintinovem Doctoribus, quos refert, & ſequitur Paſqual. *loc. cit. nu.* 690. fundamentum deſumitur *ex cap. Juvenculas* 20. *q.* 1. & *cap. ſi quis omnem* 1. *q.* 7. & affertur declaratio Sac. Congreg. *die* 15. *Julii* 1616. & in hanc ſententiam videtur inclinare Lezana, qui tamen concludit ſtandum eſſe conſuetudini. Docent alii, poſſe eligi corruptam, quando Abbatiſſæ non impertitur benedictio ſpecialis Virginum. Ita Rodriq. Portel. Sanch. & D. Antonin. Et quidem ſi conſideretur diſpoſitio Concilii,

non videtur excludi corrupta, nihilominùs Sac. Congreg. Episc. servari vult, quòd non eligatur nisi prævia dispensatione.

Non videtur tamen obstare corruptio secreta, & occulta, sed tantùm publica, qualis est in viduis, de quibus tantùm procedit declaratio Sac. Congreg. Incorruptio enim solùm requiritur ob quandam externam decentiam, cui solùm obstat corruptio publica, & nota. Unde si aliqua eligatur, cujus corruptio sit secreta, non debet renunciare, saltem quando renunciatio posset aliquam corruptionis suspicionem generare. Bigamiam non obstare electioni Abbatissæ, tenet Rodriq. quia, sicuti fæminæ sunt incapaces Ordinum, ita sunt incapaces irregularitatis ex bigamia, quæ posita est tantùm respectu Ordinum, ad quos inhabilitat. Oppositum docent Majol. Vivald. & Tamburinus.

QUÆR. VI. An possit eligi in Abbatissam monialis cœca, aut surda, aut muta.

RESP. Negativè; habetur quo ad cœcam *ex cap. hinc etiam §. cœcus dist.* 49. & D. Tho. *in* 3. *p. q.* 82. *art.* 10. *ad* 3. quoad surdam *ex cap. constitutionem de verbor. signific. in* 6. & ideò in jure civili surdus non potest gerere publicum officium, ut testatur Campanil. *in diver. jur. can. rubr.* 11. *cap.* 17. *n.* 37. Quo ad mutam ex Doctoribus, quos congerit Peyrin. *tom.* 2. *q.* 2. *cap.* 4. *nu.* 18. *& seqq.* Ratio horum omnium est, quia hujusmodi defectus rectam muneris executionem impediunt. Non enim potest, ut ex officii obligatione oportet, invigilare super moniales

si cœca, neque illarum necessitates, aut querelas audire, si surda, neque illarum culpas reprehendere, si muta. Tum quia, cum moniales teneantur digniorem eligere ad id munus, credibile non est, quòd cœca, aut surda, aut muta, ponderatis omnibus circumstantiis, cæteris monialibus monasterii tanquam dignior sit præferenda.

QUÆR. VII. An possit immediatè eligi Soror antecedentis Abbatissæ.

RESP. Posse, nisi Ordinis obstent Constitutiones. Videtur haberi ex declaratione Sac. Congreg. Episc. apud Novar. *in Lucerna Regular. v. Abbatissa.*

§. II.

A quibus, & quomodo eligenda sit Abbatissa.

QUÆR. I. A Quibus eligi debeat Abbatissa.

RESP. Eligi debet à monialibus ejusdem monasterii tacitè, vel expressè professis. Inter moniales, quæ admittuntur ad electionem, non enumerantur Conversæ, sive hoc sit ex consuetudine, sive ex specialibus monialium constitutionibus, sive ratione status ipsarum; recipiuntur enim, ut serviant, non ut honorifica jura exerceant. Ita Suar. Lezan. Tambur. Neque apud quasdam moniales admittuntur omnes choro deputatę, quamvis professæ, sed solùm certo tempore à professione elapso. Unde Portel. habet: statuta Franciscana Romæ edita 1621. requirunt

quatuor annos à professione. Moniales Ordinis Prædicatorum non habent vocem in electione Abbatissæ nisi post duodecim annos elapsos à professione, ut refert Castellin. Quare semper considerandа sunt statuta, constitutiones, & consuetudines Monasteriorum, quas servari jubet Trident. *sess.* 25. *de regular. cap.* 7.

QUÆR. II. Quomodo debeat ferre suffragium monialis infirma, si ad locum electionis convenire non potest.

RESP. Cum ex alibi traditis, & ex declaratione Sac. Congreg. *die* 20. *Junii* 1595. non possit Præses electionis ingredi ad scrutandum suffragium monialis infirmæ, poterit, si monialis non recunciet juri suo, mittere duas moniales, quæ fideliter scrutentur votum ipsius, & referant Præsidi; aut poterit ipsa mittere scriptum, & sigillo munitum suum suffragium. Neque enim debet contemni, cùm jus habeat ad electionem non minùs, quàm cæteræ.

QUÆR. III. An Episcopus, vel Superior Regularis, aut Scrutator etiam in discordia eligentium possint ferre suffragium in electione Abbatissæ.

RESP. Negativè ex Lavorio, Castellin. Tamburin, & aliis, & ita pluries declaravit Sac. Congreg. Episc. *die* 5. *Martii* 1619. & Concilii Trident. *die* 23. *Maii* 1621. in quibus irritatur electio tanquam à non legitimis electoribus celebrata. Unde est reiiciendus Portel. *in dubio regular. v. Abbatissa nu.* 9. sustinens Prælatum Ordinarium electioni præsidentem posse ferre suffragium.

Quòd

Quòd si contingat moniales non esse concordes in eligenda Abbatissa, quia Monasteriū manere non debet sine capite, Episcopus, sive alius superior præfigere debebit certum tempus, in quo concordent; quòd si eo elapso non conveniant in eligenda, nominabit eam, quam judicaverit magis idoneam, & deputabit in Abbatissam. Ita Sac. Congreg. *die* 22. *Octob.* 1592. *in una Cremonen.* & *die* 20. Novemb. 1595. in Assisien. apud. Piasec. *in praxi p.* 2. *cap.* 3. *nu.* 57.

Hìc notandum singulare privilegium concessum à Gregorio XIII. *in sua Constit.* 15. *sub die* 16. *April.* 1574. Visitatoribus, Abbatibus, & Prælatis Monialium Ordinis S. Benedicti, nempè, quòd si in electione Abbatissarum pro tempore contingat, quòd moniales in duobus scrutiniis non eligant, possunt proponere duas, vel tres ejusdem monasterii, quas habiliores judicaverint, & ex propositis illa censeatur legitimè electa, quæ in scrutinio plura vota habuerit, & proinde confirmanda sit. Hoc privilegio uti non possunt Episcopi quoad moniales dicti Ordinis S. Benedicti sibi subjectas, quia talis concessio facta est Prælatis religiosis, nam verba antecedentia, nempè *Visitatores*, *Abbates*, declarant de quibus Prælatis Pontifex loquatur, & coarctant ad Prelatos regulares, juxta doctrinam Surdi *dec.* 124. *nu.* 8.

Quær. IV. Quomodo eligi debeat Abbatissa.

Resp. Tribus modis eligi posse, scilicet per modum scrutinii, inspirationis, &

compromissi. Quamvis enim Trident. *sess.* 25. *cap.* 7. *de reformat.* præscribat modum scrutandi vota monialium in ordine ad electionem Abbatissæ, & proinde disponat per viam scrutinii de electione; non tamen prohibet, ne aliis modis à jure concessis eligatur Abbatissa, ut inter alios notant Lavor. & Tamburin. Unde moniales compromittere poterunt in Superiorem præsidentem electioni, seu in Confirmatorem, ut tradunt iidem Doctores. Quòd si Compromissarius semel pronunciaverit Abbatissam, quam elegit, non poterit variare discedendo ab ea, etiam si cognosceret postea se malè elegisse, quia error debet corrigi ab alio, non ab ipso Compromissario, quia jam cessavit ejus facultas. *Cap. in litteris de off. deleg.* ubi Doctores communiter cum Glos.

QUÆR. V. An, quando eligitur Abbatissa per viam scrutinii, vota debeant esse secreta.

RESP. Quòd sic, ita ut eligentium nomina nunquam publicentur. Ita præcipit Concilium *sess.* 25. *cap.* 7. Et proinde electio est nulla, si vota non sint secreta, ut notant Garzias, Zerola, Rota *coram Durano dec.* 232. *num.* 1. Immò etiam si ex ignorantia vota non exhibeantur secreta, adhuc electio est nulla, Zerola, Tamburin. & Riccius referens ita resolutum fuisse à Sac. Congregatione. Per hoc tamen quòd Præses electionis excipiat vota oretenus exhibita presente Notario, & aliquibus aliis ad quatuor, aut quinque, qui audiant, non tollitur secretum, ita Garzias, qui addit, ex decreto Sac. Con-

greg.

greg. electionem fore secretam, & canonicam, etiam si juxta *Cap. quia propter de elect.* exciperent vota aliquæ scrutatrices de gremio capituli.

QUÆR. VI. Quot suffragia requirantur pro electione Abbatissæ.

RESP. Duas partes requiri tradunt Barbosa & Tamburinus ex rescripto Sac. Congreg. *die* 20. *Novembr.* 1585. At sufficere majorem partem habito respectu ad totum capitulum tenent cum communi Miranda, Cuchus, & Rodriq. Quia de jure communi ad electionem canonicam sufficit major pars, *cap. quia propter de elect.* unde sufficit etiam pro electione Abbatissæ, cùm nihil in jure adsit in contrarium.

QUÆR. VII. Quo in loco fieri debeat electio Abbatissæ.

RESP. Regulariter loquendo fieri debet in tali loco, ut is, qui debet præsidere electioni, non adstringatur ingredi claustra Monasterii; habetur expressè ex Concilio *loc. cit.* Potest tamen Præses electionis introire claustra, si aliàs prudenter judicet, electionem non posse canonicè fieri, aut ex aliis justis causis. Causa autem debet esse valdè urgens, cùm debeat facere cessare dispositionem Concili in oppositum. Quòd si circa necessitatem Præses Regularis & Episcopus non conveniant, præferendum esse judicium Superioris regularis, tradit Pasqual. *loc. cit. nu.* 720. quia ipse melius cognoscit Moniales tanquam suæ curæ subjectas, & proinde melius judicare potest de causis, quæ exigunt ingressum.

QUÆR. VIII. Quinam debeant præsidere electioni.

RESP. Si Monasterium sit immediatè subjectum Episcopo, aut sedi Apostolicæ, debet idem Episcopus præsidere; si verò sit exemptum, præsidet Prælatus Regularis unà cum Episcopo, ut ex constitut. Gregorii XV. Quare Regulares ex eadem constitutione ita demum tenentur Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque usque ad præfinitum tempus expectare, si anteà expressè declaraverit, se uti velle facultate sibi hac parte attributa, ut liceat animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt. Ita declaravit Sac. Congreg. Concilii, cujus rescriptum reperitur *in 4. par. Bullarii* post declarationes dubiorum Constitutionis supradictæ. Attamen quamvis possit Episcopus intervenire electioni, non per hoc potest exquirere, & excipere vota eligentium, ut decrevit Sac. Congregat. Concil. *die* 10. *Septembris* 1636. apud Pasqualig. *loc. cit. nu.* 688.

QUÆR. IX. An Prælatis habentibus jurisdictionem quasi episcopalem teneantur Regulares notificare electionem Abbatissæ faciendam.

RESP. Non teneri. Quia facultas, quæ per Constitutionem Gregorii XV. *de exemptorum privilegiis* tribuitur Episcopo quoad Regulares exemptos, non competit talibus Prælatis, ut respondit Sac. Congr. *ad dubium* 4. ipsi propositum super eadem Constit. Ex

quo

quo colligit Pasqual. *loc. cit. n.* 727. quòd prædicta facultas concessa fuerit Episcopo intuitu dignitatis, atque adeò privativè quoad alios, unde concludit electionem Abbatissæ non esse notificandam Vicario Capitulari Sede vacante, neque Vicario Episcopali, existente Episcopo extra diœcesim. Quia tamen Sac. Congreg. *in Avenion.* 13. *Decemb.* 1639. declaravit, notificandam esse electionem Abbatissæ etiam Vicario, ipsi standum erit, si declaratio sit universalis.

§. III.

Per quot annos eligi debeat Abbatissa.

QUÆR. I. AN Abbatissa eligenda sit ad triennium.

RESP. Affirmativè. Ita Gregorius XIII. in sua Constit. quæ incipit, *Exposcit*; & si fiat ultra triennium, est nulla etiam pro toto triennio, quia stante decreto irritante tota electio annullatur, juxta doctrinam Romani *cons.* 66. Quamvis tamen Pontif. prohibeat eligi Abbatissam ultra triennium, non per hoc præcipit, quòd eligatur per triennium, ut notant Tambur. Navar. & Lavor. qui refert declarationem Sac. Congreg. 18. *Novemb.* 1595. *in una Arianen.* Vel poterit eligi ad triennium, sed secundùm formam Constit. Leonis X. ut scilicet teneatur singulis annis in manibus Visitatorum, aut aliorum Superiorum renunciare, & quòd ipsi possint novas Abbatissas ponere, eligente conventu, si ita expedire judicaverint.

Et

Et ad hanc formam reduci poteſt electio etiam in illis monaſteriis, in quibus ex conſuetudine, aut ſtatuto eligitur ad triennium; dummodo id fiat per eos, ad quos ſpectat imponere leges pro monialibus, quia cùm hoc ſpectet ad bonum regimen, poteſt præcipi ab habente juriſdictionem. Paſqualig. *ubi ſupra num.* 673.

QUÆR. II. An expleto triennio poſſit eadem Abbatiſſa ſine Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione reelegi ad aliud triennium.

RESP. Non poſſe, ſed neceſſariò vacare debere per aliud triennium, ita ſtatuente eodem Gregorio *in ſupracit. Conſtit.* Ex quo fit, quòd, ſi intra triennium moriatur Abbatiſſa, aut alio modo vacet officium, non poterit eligi in Abbatiſſam, quæ præceſſit in officio, quia non vacavit per triennium. Neque eligi poteſt in Vicariam, ſeu Prioriſſam, quæ gubernet monaſterium in capite, per aliquod notabile tempus. Immò neque in Vicariam novæ Abbatiſſæ. Nam Gregorius XIII. præcipit elapſo triennio ſui officii ut *omni prorſus careat auctoritate*. Quæ verba excludunt Vicariam, quæ in defectum Abbatiſſæ, quando vel ratione infirmitatis, vel ex alia cauſa non eſt præſens, fungitur munere Abbatiſſæ, unde non omni prorſus caret auctoritate. Hæc autem non habent locum in Abbatiſſis, quæ non ſunt triennales, ſed annuales, aut biennales; iſtæ enim poterunt eligi in Abbatiſſas, quoad uſque compleant triennium, quia triennium integrum pro tali officio conceditur *in cit. Conſtit.* Alia verò officia habentia annexam auc-

ctoritatem, regimen, & administrationem posse conferri Abbatissis annualibus, aut biennalibus expleto munere, tradit Pasqual. quia *d. Constit.* disponit solùm de Abbatissis triennalibus.

QUÆR. III. An si expleto triennio Abbatissa ex dispensatione eligatur ad aliud triennium, possit rursus expleto secundo triennio de novo eligi absque dispensatione ad tertium triennium.

RESP. Non posse, ob rationem quam adduximus cùm de Confessario *cap.6. §. 6. q. 4.* Vide etiam Pasqual. *loc. cit. nu.717.*

QUÆR. IV. An Collegium Oblatarum teneatur eligere Præsidentem triennalem, an verò possit eligere perpetuam.

RESP. Posse perpetuam eligere. Quia Gregorii XIII. Sixti V. & aliorum Pontificum constitutiones præcipientes, quòd deinceps Abbatissæ, & Prioriſsæ eligantur triennales, & non perpetuæ, loquuntur de monialibus normam, & disciplinam regularem servantibus, & non extendunt ad alias expressè. Quotiescunque autem canonica cōstitutio statuit aliqua nova, & à jure communi exorbitantia de monialibus, solùm est intelligenda de veris religiosis, & regulam per Sanctam Sedem Apostolicam approbatam professis, & non de aliis, quantumcunque religiosè, & collegialiter viventibus, nisi expressè suam legem ad illas extēdat, juxta *cap. indemnitatibus §. pen. de elect. lib.6.* Quare de Oblatis prędictę constitutiones non sunt intelligendæ, atque adeò poterunt Præsidentem perpetuam eligere. Roderic. *t. 1. q.57. art.5.*

§. IV.

§. IV.

De Confirmatione, & Benedictione Abbatissæ.

QUÆR. I. A Quo sit confirmanda Abbatissa.

RESP. Confirmationem Abbatissæ juxta dispositionem *Cap. Indemnitatibus de elect. in 6.* fieri debere à Superiore monasterii. Quare si monasteria subiiciuntur Ordinario, debet ab ipso confirmari Abbatissa electa; si subiiciuntur immediatè Sedi Apostolicæ, debet confirmatio peti per procuratorem à Summo Pontifice, vel ejus Legato, juxta *cap. si Abbatem de elect. in 6.* Si verò monasteria subduntur Regularibus, confirmatio spectat ad ipsos, ita ut Prælatus pro ipsis deputatus debeat confirmare, ut desumitur *ex Cap. Monachi*, & *Cap. Monasterium de statu Monac.* Et quidem confirmatio spectat ad Regulares privativè quoad Episcopos, ut declaravit Sac. Congreg. *in resolutione dubiorum super Constit.* Gregorii XV. *Inscrutabili*, & ita etiam notat Tamburin. *de jure Abbatis. disp. 29. qu. 1. nu. 2.* ubi advertit, electionem Abbatissæ, nisi aliud obstet, esse statim confirmandam à Superiore, qui præfuit electioni, & confirmationem esse faciendam in loco, in quo est publicata. Addit tamen Miranda *q. 2. de Monialib. art. 15.* posse confirmantem ingredi claustra, si timeat aliquod periculum, aut scandalum ob moniales resistentes electioni,

quia

quia hæc est rationabilis causa, & necessaria ingrediendi.

QUÆR. II. An stante oppositione electio sit confirmanda.

RESP. Si electio facta sit per compromissum, & minor pars collegii, seu aliquæ tantùm opponant, tunc non obstante oppositione esse confirmandam, tradunt Rodriq. & Layman. *de elect. q.232.* asserentes id colligi *ex cap. Indemnitatibus §. Porrò de elect. in 6.* Si verò electio facta sit per scrutinium, & duæ partes consenserint, aut electæ à majori parte aliæ accedant usque ad duas partes, electio erit confirmanda, ut decernitur *in d. cap. Indemnitatibus*. Item si electio sit celebrata tantùm à majori parte, & nulla monialium opponat, erit confirmanda; at stante oppositione erit supersedendum, donec super objectis fiat inquisitio, & causa examinetur.

QUÆR. III. An Prælatus absens possit electionem confirmare.

RESP. Posse, quia nihil videtur obstare. Nam *in cap. qua fronte de appellat.* non reprehenditur Episcopus Cantuarienſis, quia absens confirmaret electiones, sed quia non confirmaret in Ecclesia, aut in suo palatio, vel saltem in sua camera, sed in camera regis. Ita contra Tamburin. Pasqual. *num.* 702. qui *num.* 703. asserit, Prælatum posse confirmare electionem etiam extra diœcesim, si tantùm necessaria sit examinatio electionis, & personæ electæ, quia hic actus exerceri potest sine strepitu, & figura judicii; secùs verò si pars opponat, quia jurisdictio con-

contentiosa extra diœcesim non potest exerceri.

QUÆR. IV. An Abbatissa electa possit ante confirmationem administrare.

RESP. Non posse *ex cap. Nosti, cap. qualiter de elect. in 6.* quia electio dat tantum jurisdictionem habitualem, confirmatio verò exercitium. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus ante confirmationem ministrare potest. Primus est, quando est electa tantùm à majori parte, & obiicitur contra electionem; tunc enim, usquedum examinantur objectiones, administrare poterit, ex dispositione *cap. Indemnitatibus §. si verò*. Nec poterit impediri ab administratione etiam prætextu alterius electionis subsecutæ, quia omnia subsecuta contra ejus administrationem attentata sunt *ex d. cap.* ex quo pariter habetur, quòd interim dum administrabit, non poterit aliquid alienare, nec aliquam ad habitum recipere. Secundus, si à confirmante tam longè distet, ut sine gravi incommodo non possit differri administratio; nam tunc poterit administrare, ut notant communiter Doctores. Item fallit supradicta regula, in casu, quo non sit in usu talis confirmatio, & resistat contraria consuetudo. Quamquam dici possit semper intervenire confirmationem, quia, eo ipso quòd electioni non opponitur, per tacitum consensum confirmatur.

QUÆR. V. An Abbatissa debeat benedici.

RESP. Affirmativè *ex Clement. Attendentes §. statuimus de statu Monachor.* ubi apponi-

ponitur pœna amissionis muneris, & juris acquisiti contra negligentes petere benedictionem ultra annum, nisi tamen ulteriùs differant ex causa rationabili, quam probare ad ipsas spectabit. Nec sufficit, quòd petant, sed necessarium est, quòd susciplant, quia textus habet, *Munus benedictionis susciplant*. Hoc tamen non habet locum quoad omnes Abbatissas, sed tantùm quoad illas, quæ consueverunt benedici; unde non omnes benedicendæ sunt, sed attendenda est consuetudo monasterii; ut notant Navar. Miranda, Azor. Tamburin. qui advertunt, Abbatissam semel benedictam, iterùm benedici non posse.

QUÆR. VI. Quo die, & loco Abbatissa sit benedicenda.

RESP. Posse benedici qualibet die, ut notat Glos. *in d. Clement. Attendentes*, exceptis tamen diebus luctus ex ritu ecclesiastico, quales sunt illi, in quibus celebratur memoria Passionis Domini, quia benedictio Abbatissæ est actus lætitiæ, & solemnitatis. Benedici autem debet in ecclesia exteriori, adhibitis iis tantùm monialibus, quæ sunt necessariæ in ministerio, ita ex declaratione Sac. Congregat. Pasqualigus *loc. cit. num.* 713.

QUÆR. VII. Ad quem spectet Abbatissarum benedictio.

RESP. De jure communi spectare ad Episcopum, Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 27. *num.* 51. Quod tamen modò procedit tantùm quoad Abbatissas subjectas Ordinario, nam exemptæ, & immediatè subjectæ Sedi

Apo-

Apoſtolicæ, ſicut confirmandæ ſunt à Summo Pontifice, vel ejus Legato, ita etiam benedicendæ. Subjectæ verò Abbat. Regul. benedicendæ ſunt ab ipſis, ut tradit Taburin. *de jure Abbat. t.* 1. *diſp.* 22. *q.* 8. *nu.* 2. Extant enim privilegia hoc concedentia, quorum primum eſt Innocentii VIII. *ſub die* 9. *Aprilis* 1489. alterum Clementis VIII. *ſub die* 24. *Julii* 1599. conceſſa Abbati monaſterii Ciſtertii.

QUÆR. VIII. An hæc facultàs poſſit delegari.

RESP. Poſſe committi non ſolùm Abbatibus benedictis, ſed etiam non benedictis, quia hi ex conceſſione Pii V. 17. *Kal. Februar.* 1566. facta Abbatibus Canonicorum Regularium ſe habent in omnibus, ac ſi eſſent benedicti. Immò cùm hæc ſit ſimplex benedictio, nec excedat poteſtatem ſacerdotalem, fortè committi poterit ſimplici Sacerdoti, præſertim quia Clemens VIII. in privilegio præallegato concedit, quòd Abbas Generalis poſſit deputare Vicarios pro hoc munere, nec requirit, quòd ſint Abbates. Paſqual. *n.* 715.

CAPUT X.

De Monialium Privilegiis.

QUÆR. I. AN moniales exemptæ gaudeant privilegiis ſui Ordinis, quibus gaudent Regulares exempti.

RESP. Gaudere illis privilegiis, quorum ipſæ

ipſæ ſunt capaces ratione ſtatus, & ſexus. Ita Rodriq. D. Antonin. Paludan. & alii, quos refert, & ſequitur Tamburin. *de jure Abbatiſ. diſp.* 17. *q.* 1. contra Barboſ. Sanchez, & alios. Ratio eſt, quia ferè omnes moniales regularibus ſubjectæ communicationem privilegiorum propriæ religionis ſortitæ ſunt, ut videre eſt apud Tambur. *loc. cit.* Tum quia maſculinum præcipuè in materia favorabili, & ex identitate rationis concipit fœmininum in iis, quæ fœminis poſſunt adaptari, *l.* 1. *ff. de verb. ſignificat.* & ibi communiter ſcribentes. Tum quia, cùm vivant ſub eadem regula, ſunt pars Ordinis ipſorum, & ideò tamquam pars gaudere debent privilegiis totius.

QUÆR. II. An hujuſmodi privilegiis gaudeant moniales Epiſcopo ſubjectæ.

RESP. Gaudere. Ita Caſtro Pal. cum relatis à Ceſpedes *de exempt. Regular. cap.* 23. *dub.* 344. Ratio eſt, quia, licèt regantur ab Epiſcopo, non deſinunt eſſe pars Ordinis, quia dum regulam talis Fundatoris profitétur, habent ipſum pro fundatore, quamquã ab aliis ſint inſtitutæ. Si igitur ſunt pars, debent communicare cum ſuo toto, atque adeò de privilegiis totius participare. Neque Moniales per hoc, quòd priventur privilegio exemptionis per ſubjectionem Epiſcopo, amittunt privilegia ſui Ordinis, quia per mutationem non extinguuntur privilegia, quæ ſunt compatibilia cum ſtatu mutato, Seraph. *deciſ.* 1414. preſertim cum privilegium tollens unum non tollat aliud, *l. ſi domus tua ff. de ſervit. prad. urban. & cap. Paſtoralis de privil.*

QUÆR.

QUÆR. III. An moniales diversorum Ordinum, qui simul communicant in privilegiis concessis unicuique illorum, participent per eandem communicationem de ipsis.

RESP. Participare. Ita Doctores relati à Pignatel. *tom.* 10. *consult.* 1. *nu.* 24. Quia Regulares, qui communicant in privilegiis, eodem modo ipsa participant, ac si essent ipsis per se primò concessa, quia est communicatio absoluta, & perfecta, ita ut non redundet ex alio in ipsos, ut redundant privilegia religionis in familiares, & mariti in uxorem, sed possint uti ex propria persona, tanquam si nulli alteri essent concessa. Nam privilegia tali pacto communicata se habent ut privilegia ad instar, ita ut concedant omnem favorem, & effectum, quem secum habet privilegium alteri concessum, ut firmant Doctores relati à Pignatel. *loc. cit. n.* 25. Privilegia autem immediatè concessa etiam à Monialibus participantur, ut probatum est supra. Ergo etiam de communicatis unicuique Ordini participabunt.

QUÆR. IV. Quomodo moniales immediatè subjectæ Ordinario possint uti, & frui privilegiis illis Regularium, ad quorum usum requiritur ministerium Prælati, cujusmodi v. g. est privilegium absolvendi, dispensandi &c.

RESP. Ex Cespedes *loc. cit.* cum distinctione: Si in tenore privilegii, & concessionis habeatur, præfata privilegia suffragari Regularibus per ministerium proprii Prælati, abstrahendo, quòd Prælatus sit regularis, vel

non

non, tunc possunt uti, etiam si concessio detur ab Episcopo, & proprio Ordinario, qui est proprius Prælatus monialium non exemptarum. At si in tenore concessionis, & privilegii habeatur, dicta privilegia suffragari Regularibus per concessionem solùm Prælati Regularis, tunc à solo Prælato Regulari recipere possunt hoc commodum fruendi dictis privilegiis.

QUÆR. V. An, & quomodo moniales per Ministerium Abbatissæ possint uti, & frui illis privilegiis, ad quorum usum requiritur factum superioris habentis potestatem spiritualem, ut est privilegium dispensandi in jejuniis, officio &c.

RESP. Posse uti per ministerium Abbatissę, quia licèt defectu potestatis spiritualis non possit dispensare auctoritativo modo, potest tamen ex commissione sui Prælati, ut notat cum aliis Lezana *tom.* 1. *qq. regular. cap.* 26. *num.* 16. Quæ commissio utique præsumitur in ipsa, statim ac eligitur in Abbatissam; debet enim habere totum id, quod requiritur ad rectè, & rationabiliter suum munus exequendum. Unde moniales possunt uti dictis privilegiis per ministerium Abbatissæ, quia tunc censetur dispensare ipse Prælatus, & Abbatissa solùm exequi dispensationem, nec uti aliqua spirituali jurisdictione. Pasqualig. *loc. cit. nu.* 749.

QUÆR. VI. Quibus privilegiis gaudeant moniales tempore interdicti, & cessationis à divinis.

RESP. Gaudere illis omnibus, quibus gaudent viri religiosi sui Ordinis, juxta superiùs di-

dicta. Unde possunt moniales tempore interdicti generalis in suis Ecclesiis divina officia recitare, submissa tamen voce, januis clausis, non pulsatis campanis, & exclusis omnibus, qui causam interdicto dederunt, vel nominatim interdictis. Ita Collect. *Privileg. Mendic. v. interdictum* 3. ibique Caput. *annot. versic. tertiò tempore interdicti*, Rodriq. & alii. Possunt insuper, cum præfatis tamen limitationibus, facere celebrare Missas sive per sacerdotes sæculares, sive regulares, cùm de utrisque sit par ratio, ita concedente Bonifacio VIII. *in cap. Alma mater de sent. excommunic. in* 6. Hæc omnia militant etiam proportionaliter tempore cessationis à divinis ex privilegio Leonis X. concesso monachis S. Benedicti, *Peyrin. t.* 1. *de privil. Minim. in Constit.* 2. *Sixti IV. n.* 52. & alio etiam privilegio Nicolai V. de eligendis sex personis, quæ tali tempore assistant Missis, & divinis officiis, recipiantque Sacramenta, positis tamen quibusdam conditionibus. Casarub. Sorb. & Lezana.

Quær. VII. An tempore interdicti gaudeant supradictis privilegiis famuli, aliique monialium officiales.

Resp. Gaudere. Quare famuli, familiares, Syndici, Advocati, Procuratores, & officiales ordinarii possunt per moniales, quibus inserviunt, ad divina admitti. Rodriq. *t.* 2. *q.* 114. *art.* 1. *& seqq.* Idem de laboratoribus, & aliis salario, vel gratis, sive obsequio tantùm inservientibus, asserunt Suar. & Tamburin. *de jur. Abbat. disp.* 6. *q.* 16. *n.* 8. Nam familia gaudet privilegio domini.

Ze-

Zerol. *in Prax. p. 3. v. Episcopi num.* 4. Item puellæ educationis gratia, aliæque fœminæ titulo famulatus, aut ex justa alia causa in monasterio degentes dicto gaudent privilegio ex concessione Eugenii IV. facta Cirstentiensibus, & relata à Sayro *t.* 5. *de censur. cap.* 7. *n.* 22.

Adnotandum tamen diligenter, ut rectè monet Lezana *t.* 1. *qq. Regular. cap.* 21. *n.* 20. an quando ponitur cessatio à divinis, vel interdictum auctoritate Apostolica, revocentur privilegia regularium, quia tunc non licebit illis frui; sicuti neque quando scandalum aliquod inde exurgeret propter singularitatem; nec si talia privilegia non sint in usu; neque si solùm sint vivæ vocis oracula, ut est illud Nicolai Franchi Sedis Apostolicæ Legati de admittendis quindecim personis tempore interdicti, quia sunt abrogata.

QUÆR. VIII. An moniales tempore interdicti generalis possint aliquando publicè divina peragere.

RESP. Posse, pulsatis campanis, voce alta, apertisque januis divina facere in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis B. Mariæ. Ita *in cit. cap. Alma Mater.* Sorb. *in addit. ad compend. v. interdictum* 3. §. 3. qui etiam hoc extendit ad festum SS. Sacramenti, & per totam octavam illius, per unam Extravagan. Martini V. Immò ex specialibus Regularium privilegiis etiã in festo Conceptionis & Nativitatis B. Virginis, & S. Jo: Baptistæ, ac in festis Sanctorum, & Sanctarum, sub quorum invocationibus Ecclesiæ sunt erectæ, seu

quorum corpora in ipsis Ecclesiis recondita existunt; nec non in festis Sanctorum respectivè suarum Religionum, & per octavas earundem omnium festivitatum; nec non quoties aliquam ex monialibus Monasterii ad professionem admitti, aut in Ecclesia sepeliri contigerit. Ita Leo X. supra adductus, Peyrin. Casarub. Lezan. *loc. cit.* & alii. Semper tamen exclusis nominatim interdictis, aut interdicto causam præbentibus.

QUÆR. IX. An vigore Concilii Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 12.* & Constitutionis Gregorii XIII. cujus initium *In tanta rerum*, revocata sint privilegia Regularibus concessa ad celebrandum tempore interdicti januis apertis.

RESP. Non esse revocata. Ita Doctores, quos plena manu congerit, & sequitur Peyrin. *loc. cit. nu.* 51. contra Navar. Garziam, & Barbos. Quia mens Concilii fuit, ea tantùm revocare privilegia, quæ à quibusdam vigore quorundam specialium privilegiorum prætendebantur de nullo modo interdictum servando, inter quos Milites Hierosolymitani, & Fratres Ministri. Ita Sorb. & Peyrin. *locis cit.* Et per Constitutionem Gregorii non revocantur nisi illa privilegia, quæ Concilio adversantur. Medina, Rodriq. & de la Cruz. Et redditur omninò certa hæc sententia saltem pro festis suorum Ordinum per Constitutionem Clementis VIII. editam *die* 17. *Octob. anno* 1595. Ita enim habet: *Ut temporibus interdicti quacunque etiam Apostolica auctoritate apposita, festa Sanctorum Ordinis S. Francisci &c. solemni ritu celebren-*

brentur, perinde ac si interdictum hujusmodi minimè appositum esset. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Universalibus, & Provincialibus Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus. Unde per hanc Constitutionem corruit etiam declaratio Sac. Congregat. in oppositum relata à Barbosa *in Collect. Bullar. v. Privilegium*.

Quær. X. An Moniales virtute suorum privilegiorum possint in propria Ecclesia exteriori admittere personas laicas ad sepulturam.

Resp. Ex Pignatel. *t.* 4. *consult.* 177. non posse, nisi hujusmodi Ecclesiæ habeant jus sepulturæ vel ex particulari privilegio, vel ex indulgentia speciali. Desumitur *ex cap. in nostra de sepult.* Illudque concedere spectat ad Episcopum ex jure communi, Abbas, & alii *in cap. penult. eod. cap.* & resolvit Rota coram Cavaler. *decis.* 15. *nu.* 2. ubi subdit, Legatum à Latere id posse. Et in specie quòd laici, sive viri, sive fœminæ, non queant sepeliri in Ecclesia Monialium exteriori, licèt solvere vellent pœnam synodalem, declaravit expresse Sac. Congregat. Episc. *in Maceraten.* 8. *Novemb.* 1652. Etiamsi essent Principes, & eorum majores ibi tumulati fuissent, *in Gravien.* 1. *Octob.* 1650. Ac nisi de scientia ejusdem Sac. Congregationis, & consensu Monialium, ut *in Feretrana* 21. *Novemb.* 1603. *& in Vercellen.* 18. *Maii* 1696. Quam licentiam requiri etiam pro ibi construendo sepulcro, decrevit eadem Sac. Congreg. *in Ferrarien si* 12. *Julii* 1604. illamque

concedere solet personis benemeritis,& cum eleemosyna competente, ut *in Messanen.6. Augusti.* 1601.

Neque refragatur cap. ubicunque 13. *q.* 2. Concilii Triburiensis. Nam cessant modò rationes Canonis, quia loquitur de facultate eligendi sepulturam in Ecclesiis Monialium stante necessitate temporum, vel locorum. Et secundùm hanc explicationem repellitur objectio deducta ex declaratione Gregorii XIII. quam refert Marzil. & ex eo Portel. ex quo Pellizar. *de Monial. cap.7. nu.* 10. dicentes illum declarasse, corpora volentium sepeliri in Monasterio Monialium debere sepeliri in Ecclesia exteriori, & non intra claustra; nam talis declaratio intelligenda est juxta *d. cap. in nostra*, dummodò scilicet ex necessitate temporum, vel locorum, aut ex particulari privilegio, vel indulgentia speciali liceat Ecclesiis Monialium ad Ecclesiasticam sepulturam recipere laicos, qui apud ipsas eligunt sepeliri. Tum quia dicta declaratio est revocata posterioribus decretis supracitatis, per quæ decreta impeditur etiam quoad hoc Monialibus participatio privilegiorum cum Regularibus, qui habent ex privilegio jus sepulturæ, *ex Clement. Dudum de sepult.*

Quær. XI. A quo debeat peragi officium super cadavera, quando ex licentia, vel privilegio in Ecclesiis monialium tumulantur.

Resp. Si moniales sunt exemptæ, à regularibus est peragendum, quia, cum communicent in privilegiis cum religiosis sui Or-

Ordinis, ut diximus, exemptæ sunt à jurisdictione Parochorum, & aliorum in materia funeralium, ut declaravit Sac. Congregatio 15. *Martii* 1649. Ita quòd nullus intra earum Ecclesias nec Canonici nec Clerus possunt peragere officia defunctorum, nec reliqua ad hujusmodi officium pertinentia, Peregrin. Lezan. Belat. & Bordon. qui refert decisum à Sac. Congregat. Concil. 19. *Martii* 1609. Non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili in contrarium. Sac. Congregat. rituum 8. *Augusti* 1629. & in aliis similibus declarationibus, quas refert Barbosa.

Si verò sub Episcopi regimine degant, censeo pariter, officium funeris esse peragendum à Confessario. Quia moniales non obstante subjectione Ordinario, adhuc fruuntur privilegiis, & exemptionibus regularium. Tum quia sicuti quo ad personas à jurisdictione Parochorum sunt plenè exemptæ, ita etiam quo ad Ecclesias; nam locus, & persona, ut alibi adnotavimus cum Sperello, ambulant pari passu. Tum quia Confessarius est monialium Ecclesiæ Parochus, in illis enim exercet omnia jura parochialia, unde ad ipsum spectare debet officium funeris privativè quo ad alios.

Quær. XII. An moniales delinquentes confugientes ad Ecclesiam gaudeant immunitatis privilegio, ita quòd à Superiore extrahi non possint, ut puniantur.

Resp. Non gaudere, sed absolutè posse extrahi, docet aliis relatis Peregrin. *de immunit.*

cap. 12. *nu.* 3. Quia immunitas personalis, quæ monialibus competit, non impedit, quin puniantur à superiore: ergo neque impediet immunitas localis, quæ vel minor est personali, vel saltem non potentior, cum utraque oriatur ex eo, quòd tam persona, quàm Ecclesia sint Deo dicatæ. Gaudere verò, affirmant alii quamplures penes eundem Peregrin. *loc. cit.* quia privilegium immunitatis Ecclesiarum est locale; unde illo gaudere debent quicunque ad Ecclesiam confugientes, quia natura privilegii concessi loco talis est, ut omnes existentes in tali loco comprehendat. Utramque sententiam conciliat Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 11. *nu.* 10. & ait, posse extrahi, quando Superior procedit ad pœnitentias salutares ut pater, non ad ultrices pœnas ut judex.

Quær. XIII. An Moniales gaudeant aliquo privilegio, per quod excusentur à recitatione Officii Divini.

Resp. Clemens VII. ut *in Compend. privil. v. Moniales* §. 30. indulsit Monialibus Clarissis sub cura Fratrum Minorum degentibus, quòd propter imperitiam, judicio Prælatorum, Confessorum, vel Abbatissarum satisfaciant dicendo Officium laicarum. Idem Clemens concessit Regularibus, qui occupantur infirmitate propria, aut infirmorum fratrum curatione, quòd satisfaciant pro horis canonicis, recitando certos psalmos per superiorem eis assignandos, numero non minus septem, aut sex cum devotione, & Orationem Dominicam septies, & Symbolum Apostolicum bis. Graviter verò

ægro-

ægrotantes Orationem Dominicam ſepties in die recitando, ſeptem horis canonicis pariter ſatisfaciant. Conceſſit inſuper Innocentius IV. per Bullam X. Monialibus Sanctæ Claræ, & conſequenter etiam aliis per communicationem, ut caſu quo ob rationabilem cauſam non poſſint dicere horas canonicas, ſatisfaciant, laicarum Officium recitando. Occaſio autem, vel cauſa rationabilis cenſetur adeſſe, ſi monialis ſit ſcrupuloſa circa recitationem Officii divini, ſi ſit fatigata ex aliquo extraordinario labore, ſi præ manibus habeat aliquam extraordinariam applicationem, quæ illam defatiget, vel angat, & ſimiles. Ita Salmanticenſes *in Theol. mor. tom. 4. tract. 16. cap. 3. punct. 7. num. 62.*

QUÆR. XIV. An monialis admiſſa ex vi privilegii Clementis VII. ſuperiùs relati ad recitandas orationes laicarum, peccet mortaliter, ſi eas omittat.

RESP. Videtur quòd ſic, quia orationes laicarum, cum ſubrogatæ ſint in locum officii divini, ad quod monialis tenebatur ſub mortali, trahunt ſecum eandem obligationem; nam ſubrogata res cenſetur eadem cùm principali, & ſub eadem diſpoſitione comprehenditur. Authent. *de hæred. ab inteſt. venien.* & notant Bald. Decian. Natta, & Rota coram Merlino *deciſ.* 445. *nu.* 2. Negant tamen Salmanticen. *loc. cit. num.* 51. Quia monialis illa perinde ſe habet ac monialis laica, quæ ſub mortali ad talem recitationem non tenetur. Et regula illa de ſubrogatis non procedit quando verſamur

in odiosis, aut privilegiis, ex traditis à Barbos. *de axiom. jur. axiom.* 223. *num.*4. 6. *& seqq.*

Quær. XV. An vigore privilegii Leonis X. possint Moniales satisfacere præcepto recitandi horas canonicas, si illas tantùm mentaliter dicant.

Resp. Affirmant sine ulla distinctione Jo: de la Cruz, Sanctorius, Persicus, & Tamburin. *Opusc. de Sacrif. Missæ lib.*2. *cap.*9. §. 3. Limitat Peyrin. *De Privil. Minim. ad Constit.*28. *Leonis X.* quo ad scrupulosos, & secundùm illam partem tantùm, quæ secretè esset dicenda. Negant absolutè, & meritò Baldellus, Lezana, & Diana, quia dictum privilegium, utpote vivæ vocis oraculo concessum, modò sublatum est per Constitutiones Gregorii XV. & Urbani VIII.

Quær. XVI. An Moniales gaudeant aliquo privilegio pro supplendis defectibus in Officio divino commissis.

Resp. Innocentium VIII. & Alexandrum VI. concessisse, quòd, quando Regulares aliquid dimittunt in divino Officio, non ex dolo, possint supplere cum aliquo psalmo, vel dicendo Orationem Dominicam, vel Ave Maria. Et Sixtus IV. indulsit non valentibus persolvere divinum Officium benè, ac diligenter in choro, pro ut tenentur, vel ex defectu visus, aut auditus aliquid prætermiserint, non teneantur illud omissum iterùm persolvere, sed dicant unum psalmum in fine horarum, & sufficiat. Quæ privilegia locum habent, ut advertit Navarrus, quando agitur de parte non notabili. Alia etiam

pri-

privilegia ad hanc materiam spectantia refert Casarub. *in compend. v. officium divin. nu.* 1. 5. *& 6.*

QUÆR. XVII. Quid indulgeat Leo X. per orationem illam *Sacrosanctæ* in fine Officii solitam recitari.

RESP. Indulgere, ut possint acquirere remissionem omnium defectuum ex humana fragilitate in divini Officii recitatione commissorum. Ad hanc autem remissionem consequendam requiritur primò, quòd ille defectus contractus sit tantùm culpa venialis, quia ea oratio non potest habere tantam efficaciam, ut deleat mortalia, etiam ex voluntate Papæ. Secundò requiritur, quòd illam recitans non sit in peccato mortali, aliter oratio illa nihil prodesset, quia venialia non remittuntur remanentibus mortalibus, ut omnes docent Theologi cum D. Thoma. Tertiò requiritur, quòd ad illorum remissionem se disponat saltem per actum attritionis sufficientem ad destruendum peccatum veniale; nam hæc oratio delet prædictos defectus veniales, quatenus est sacramentale, sacramentalia autem non remittunt peccata venialia ex opere operato, quia non sunt instituta à Christo, sed ex opere operantis, qui proinde debet esse dispositus saltem per actum attritionis excitatum per sacramentalia, & hæc est communior opinio de sacramentalibus. Vide Fabrum *disp.* 42. *de Pœnit. nu.* 54.

QUÆR. XVIII. An moniales sive exemptæ, sive Ordinario subjectæ gaudeant omnibus indulgentiis non solum proprii Ordi-

nis, sed etiam aliorum Ordinum Regularium.

Resp. Gaudere. Philippin. in *Filiat. Spirit. nu.* 438. cùm communi, & clarè habetur ex Bulla Pauli V. §. 8. ubi ait: Volumus autem, ut omnes supradictæ indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus unius Ordinis tam monastici, quàm mendicantis dumtaxat concessæ, etiam omnibus monialibus cujusvis regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam clausuram servãtibus, tam Ordinariis locorum, quàm etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, regulæ, & instituti, suffragentur.

Quær. XIX. An moniales immediatè Sedi Apostolicæ, aut Ordinario subjectæ possint in suis templis exponere indulgentias Ecclesiis Ordinis pro Sæcularibus concessas, v. g. Indulgentiam Portiunculæ, loquendo de monialibus Ordinis Minorum.

Resp. Negat Pellizar. *de monial. cap. 9. nu.* 40. quia tenor concessionis præcisè loquitur de Ecclesiis Ordinis, templa autem monialium Sedi Apostolicæ, vel Ordinario immediatè subjectarum, verè Ecclesiæ Ordinis dici non possunt, utpote à potestate Ordinis exempta. Affirmat nihilominùs Nogueira *disp.* 1. *q.* 10. *n.* 14. & suadet ratio; sicut enim moniales, ut diximus, per hoc, quòd subdantur Ordinariis, non desinunt esse moniales sui Ordinis; ita neque earum Ecclesiæ per hoc, quòd sint Ordinariis subjectæ, desinent esse Ecclesiæ sui Ordinis; nam locus, & persona ambulant pari passu, ut notat Sperel.

decis.

decis. 3. *n.* 4. & ideò hanc sententiam in terminis Indulgentiæ Portiunculæ sustinet aliis relatis Gobat *t.* 2. *par.* 2. *cap.* 9. *nu.* 354. §. 3. quia Sixtus IV. hanc indulgentiam ad omnes S. Francisci Ecclesias extendit sine aliqua exceptione, ut tradunt Miranda, Emanuel, & Hieronymus Rodriq. adducti à Nogueira *loc. cit.*

Alia plura extant pro monialibus privilegia, quorum aliqua sparsim in hoc tractatu referuntur, reliqua verò penes privilegiorum Regularium Collectores videri possunt.

CAPUT XI.

De Particularium Monialium obligationibus, & Privilegiis.

§. I.

De obligationionibus, & Privilegiis Abbatissæ.

QUÆR. I. AN Abbatissa teneatur sub mortali tollere transgressiones regulæ, quæ in subditis non sunt peccatum mortale.

RESP. Videri quòd non. Non enim potest esse urgentior obligatio vitandi, vel tollendi alienas transgressiones, quàm proprias; sed ad vitandas, vel tollendas proprias transgressiones Abbatissa non tenetur sub gravi, quia regula tam strictè non obligat; ergo ne-

que ad tollendas alienas. Ita Lorca *in* 2.2. *D. Tho. diſp.* 45. *nu.* 4. Verùm oppoſita ſententia ſuſtinenda. Nam ad decorem, & perfectionem religionis multæ obſervantiæ inſtitutæ ſunt, quæ vel non obligant ſingulas, vel obligant tantùm ad culpam venialem, ut ſilentium, jejunia &c. quæ tamen ſi deficerent, grave detrimentum pateretur religio. Unde cum Abbatiſſæ incumbat conſervare religionis integritatem, ſi negligat hæc inſtituta inviolata cuſtodire, in re magni momenti deeſt ſuo muneri, & peccat mortaliter. Ita Trullenc. & alii, quos refert, & ſequitur Bartholomæus à S. Fauſto *q.* 152. *n.* 3.

Quare Abbatiſſa diſſimulans, regulam, ſeu conſtitutionem abire in deſuetudinem, & non attendens ad promovendas moniales ad perfectionem, quam poſtulat ſtatus, ipſa mortaliter peccat, quamvis moniales non peccent niſi venialiter. Tenetur itaque corrigere, & caſtigare etiam ſub mortali, quando videt obſervantiæ regularum, aut conſtitutionum grave damnum imminere: aliter, ſi ob verecundiam, timorem, aut puſillanimitatem diſſimulet, erit in ſtatu perditionis. Etiam peccata venialia frequentia monialium tenetur carpere, & corrigere, quando aliàs imminet periculum, ne diſciplina religioſa magna ex parte minuatur. Lugo, Diana, Peyrin. & alii. Aliquando tamen poterit diſſimulare aliqua peccata minora, quæ ſcilicet ſcandaloſa non ſunt, nec ab animo obſtinato patrata, *cap. ipſa pietas*, §. *verum* 33. *qu.* 4. Nec non diſſimulare ad tempus peccata illius, quæ

efficeretur deterior, si peccatum relinquere compelleretur; nam minus malum quandoque sustinendum est, ut majus evitetur, *cap. duo mala dist.* 13.

QUÆR. II. An licitum sit Abbatissæ, moniales errantes aliquando conviciis increpare.

RESP. Affirmat ex D. Thom. Peyrinus *tom.* 2. *de Prælat. q.* 2. *cap.* 3. §. 16. *nu.* 147. Quia si licitum est, illas disciplinæ causa verberare, cur non licebit ob eandem rationem illas conviciis reprehendere? Ad hoc tamen ut reprehensio contumelioſa fiat sine peccato, debet fieri cautè, modestè, & cum magna necessitate, & solùm debet significari vitium, cujus emendatio prætenditur, non alia vitia jam correcta, & emendata. Cavendum insuper est, ne fiat ex ira, alioquin peccaret mortaliter Abbatissa. Navar. Sylvest. & Peyrin. *loc. cit. num.* 148. Sicuti pariter peccaret reprehendendo monialem coram sæcularibus, vel etiam Novitiis (nisi fortè coram ipsis peccasset) quia monialis sic objurgata multùm apud illos gravaretur.

QUÆR. III. An Abbatissa sit capax potestatis spiritualis.

RESP. Negativè. Ita communiter cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 1. Immò esse incapacem jurisdictionis spiritualis etiam delegatæ, tradunt Sotus, Victoria, Abbas, & alii, contra Salas, Bonac. & Tamburin. Sicut enim, quia est incapax Ordinis, neque ex delegatione potest ei competere potestas Ordinis; ita quia est incapax juris-

riſdictionis ſpiritualis ordinariæ, erit etiam incapax delegatæ. Hinc eſt, quòd ex defectu poteſtatis ſpiritualis, non poſſit in ſignum ſuperioritatis benedicere in loco publico neque aquam, neque veſtes in forma Eccleſiæ; poteſt tamen moniales benedicere ad modum, quo parentes ſuos filios benedicunt, Sylveſt. Mirand. Tamburin. & Paſqualig. *in Lauret. nu.* 743. Nec poteſt docere in Eccleſia, aut concionari, neque ex Summi Pontificis diſpenſatione, quia hoc mulieribus prohibetur divino præcepto. *Ad Timoth.* 1. *cap.* 2. Neque declarare Evangelia, aut ſuper iis verba facere, neque inſtruere moniales ſuper caſibus conſcientiæ: quare ſi in hoc contraveniret, mortaliter peccaret, quia in re gravi faceret contra præceptum divinum, niſi excuſaretur ratione parvitatis materiæ, quæ attendenda eſt quoad quantitatem ſermonis, non quoad numerum, quia ſemel uſurpare ſibi munus prohibitum, ſufficeret ad peccatum mortale. Solùm igitur poterit habere hortatorios ſermones ad moniales, etiam in Capitulo, ita tamen, ut non utatur teſtimoniis Sacræ Scripturæ, quia tunc non purè hortaretur, ſed inſtrueret, & doceret. Ita Paſqual. *loc. cit.*

QUÆR. IV. An Abbatiſſa poſſit diſpenſare moniales ſubditas quoad edendas carnes, ſeu lacticinia, quoad jejunia, & cæteras religionis obſervantias.

RESP. Non poſſe, quia hoc quoque dependet à juriſdictione ſpirituali, qua caret. Ita Enriq. Sanch. Fauſt. & alii. Verùm, licèt non poſſit diſpenſare auctoritativo modo;

do ; potest ministerialiter, & ex commissione sui Prælati, ut notant Tamburin. Lezana *tom.* 1. *qq. regul. cap.* 26. *nu.* 16. & alii. Quia tunc censetur dispensare ipse Prælatus, & Abbatissa solùm exequi dispensationem. Rursus potest etiam declarare, quòd hic, & nunc jejunium, seu aliquod præceptum cessat obligare. Et in hoc sensu accipienda sunt privilegia, quæ videntur concedere Abbatissæ facultatem dispensandi.

QUÆR. V. Quid possit Abbatissa circa monialium subditarum vota.

RESP. Ob deficientiam potestatis spiritualis neque posset in votis monialium dispensare, ut tradunt communiter Doctores. Hujusmodi tamen vota, si non sint reservata, dispensari, & commutari poterunt ab earundem Prælatis, etiam Regularibus, si ipsis subjiciantur. Ita Richard. Sotus, Sylvest. & alii. Ab Abbatissa verò poterunt solummodò irritari, in quo conveniunt omnes Doctores. Quia Abbatissa habet potestatem dominativam supra moniales sibi subditas, quæ major est, quàm sit parentum supra filios ; cum monialium voluntas ratione voti obedientiæ sit translata in voluntatem Abbatissæ ; & ideò, si parentes possunt ratione potestatis dominativæ vota filiorum irritare, poterit à fortiori monialium vota irritare Abbatissa. Et hoc habet locum non solùm quoad vota, quæ versantur circa materiam supererogationis, sed etiam quoad vota de materia, quæ concernit regulam, quia etiam in iis voluntas subditi subordinatur voluntati Superioris, & ab illa dependet. Sylvest.

Na-

Navar. Sot. & Tamburin. quos adducit Pasqual. *loc. cit.* ubi subdit, hanc facultatem extendi etiam ad votum transeundi ad strictiorem, contra Lessium, Tambur. & Pellizar. quia hujusmodi votum ante executionem non immutat subjectionem, quam habet religiosus ex natura religionis, unde semper remanet votum voluntatis subordinatæ, & proinde semper stat sub potestate dominativa Superioris.

QUÆR. VI. An Abbatissa possit irritare vota emissa cum ipsius consensu.

RESP. Negat Richard. quia dum Prælatus consentit voto, non pendet ampliùs ab ejus potestate, nec habet ampliùs tacitam conditionem, si Prælatus velit. Affirmant Cajetan. Sylvest. & Armilla. Quia per hoc, quòd Prælatus consentiat, sicuti non tollitur subjectio religiosi, sed manet in eodem statu priori, ita etiam voluntas ipsius quoad omnes suos actus remanet dependens à voluntate Superioris, & ipsi subordinata, & proinde retinet potestatem dominativam supra voluntatem subditi, & consequenter facultatem irritandi votum. Verum tamen est, quòd ad irritandum votum emissum de Superioris consensu, exigitur sufficiens causa, alioquin Abbatissa, seu quivis superior peccaret; ut specialiter tradunt Panormit. Cajet. Rodriq. & Tamburin. Quia, cùm semel consenserit, non potest ampliùs sine justa causa recedere; irrationabiliter enim subtraheret Deo obsequium illud, quod per executionem voti resultat, & quod ipse obtulerat in voluntate subditi. Si verò Abbatissa non con-

consentit in votum, potest illud absque causa irritare, etiam si sit de materia concernente regulam, quia est satis justa causa irritandi, quòd subdita conservetur in illo statu obligationis, quam habet ratione regulæ, nec ejus onera augeantur. Pasqu. *loc. cit.*

QUÆR. VII. An Novitiarum vota possit irritare Abbatissa.

RESP. Non posse. Palud. Sylvest. & Lessius. Quia cum nondum emiserint votum obedientiæ, earum voluntas est adhuc sui juris. Et hoc valet tam quoad vota emissa ante ingressum, quàm quoad emissa post ingressum; solummodò poterunt illa quoad executionem suspendi, si officiant probationi, ut notant Lessius, & Sylvest. citati, quia, quòd non impediatur exercitium probationis, est causa valdè justa differendi executionem voti. Vota verò, quæ à Novitia fuerunt emissa, dum erat sub potestate parentum, poterit irritare Abbatissa, quia in Ordine ad regendam Novitiam in parentum locum succedit, & proinde etiam in eorum potestatem dominativam.

QUÆR. VIII. An Abbatissa possit instituere beneficia, & capellanias conferre.

RESP. Posse. Deducitur *ex cap. dilecta de Major. & obedient.* & docent Felin. Gonzal. & alii; hoc enim præstat Abbatissa quoad titulum, & possessionem tantùm, non autem quoad potestatem, quam habet beneficiarius quoad jurisdictionem fori externi; nam hanc accipit ab eo, qui admittit, & authorizat collationem, & institutionem,

ut notat aliis relatis Tamburin. *de jure Abbatiſ. diſp.* 33. *q.* 12. Unde tota inſtitutio, & collatio in nominatione conſiſtit juxta *cap.* 1. *de Monach.* ut tradit Felin. Quare Abbatiſſa in ſupradictis actibus ſe habet tantùm miniſterialiter, & exequitur tanquam procuratrix, quæ ſunt juriſdictionis, ut notat Gloſs. *in cap. Novam de pœnitent. & remiſs.*

QUÆR. IX. An Abbatiſſa habeat jus ſuſpendendi clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos.

RESP. Non poſſe, prout ſuſpenſio eſt cenſura eccleſiaſtica, quia caret ſpirituali juriſdictione. Ex quo ſequitur, quòd neque à fortiori poſſit interdicere, aut excommunicare, ut habetur *ex cap. dilecta de Major. & obedien.* & docent communiter Doctores in materia de cenſuris. Poterit tamen privare illos beneficiis, auferendo, quod dedit, ſcilicet titulum, & poſſeſſionem; nam poſita hac ablatione, cenſetur Summus Pontifex auferre jus ſpirituale; quia, ſicuti beneficium confertur dependenter à deſignatione Abbatiſſæ, & collatione tituli, & poſſeſſionis, ita etiam cenſetur conſervari juriſdictio à Summo Pontifice dependenter ab iiſdem, quibus ſublatis, reliqua caduca fiunt. Paſqual. *loc. cit. nu.* 741. Poterit etiam, Capellanum per Patronum monaſterii præſentatum impedire, ſi ſit juvenis, vel non ſit idoneus. Immò invito Patrono etiam amovere ex facilioribus cauſis, quàm amoventur alii inſtituti. Feder. de Senis *conſ.* 95. *nu.* 3. ubi, quòd amovere illum non poſſit, etiam cum

Con-

Conventu, si dignus non sit amotione; quòd si vel non admittat, vel amoveat sine causa, potest per Superiorem compelli etiam censuris Ecclesiasticis.

QUÆR. X. An Abbatissa possit ab officio amovere monialem suspectam, & inditiatam tantùm de aliqua culpa in ejusdem officii exercitio commissa.

RESP. Negativè cum Antonio à Spiritu S. *in direct. regular. tract.* 4. *disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 177. Licèt enim Abbatissa possit auferre à moniali illud officium, v. g. januam, Sacristiam &c. concurrente tamen tali circumstantia quòd fuerit inquisita, vel suspecta magnum gravamen inferret moniali, quia videretur intuitu delicti auferri, atque adeo esset confirmatio quædam delicti, quæ injusta est, dum de illo non constat. Hoc tamen intelligendum est, quando ex tali amotione monialis fama periclitaretur; ita Rodriq. Peyrin. Torres, quos refert, & sequitur Girag. *part.* 3. *dub.* 6. *num.* 66. unusquisque enim tenetur bonam proximi famam non ledere; quando tamen ex tali amotione ejus fama non periclitatur, potest illam Abbatissa à tali munere amovere; in hoc tamen cum maxima prudentia est procedendum; ita Torres & Palaus, quos refert & sequitur Girag. *supra nu.* 67.

QUÆR. XI. An Abbatissa habeat liberam bonorum sui monasterii administrationem.

RESP. Habere quoad omnia, quorum fœmina est capax. Ita omnes ferè Doctores *in cit. cap. dilecta*, juxta Glos. Quod intelligen-

gendum est juxta Constitutiones, & statuta religionum. Sanch. in Decal. *lib. 7. cap. 19. nu. 44.* ubi addit, propterea posse Abbatissas dare monialibus sibi subditis facultatem habendi peculium, & convertendi in proprios usus, quæ labore manuum acquirunt, dummodò consuetudo, aut Constitutiones religionis non obstent. Sicuti etiam possunt suis monialibus licentiam concedere, dandi, & recipiendi, quam suis subditis dare possunt etiam Prælati, nisi jure, vel consuetudine sit illis prohibitum. Quare non possunt licentiam concedere faciendi munera immoderata, & maximè quibusdam personis ad moniales non pertinentibus, id vetante obligatione conservandi votum paupertatis.

QUÆR. XII. Quam summam de bonis monasterii possit expendere Abbatissa.

RESP. Posse expendere omnem illam summam, quæ in commodum, decentiam, & splendorem communitatis cedit; dummodò monasterii vires, & status religiosi terminos non excedat. Salmanticen. *tom. 3. tract. 13. cap. 6. punct. 7.* Cum enim illi incumbat bonorum monasterii administratio, substituitur loco totius communitatis, ut id faciat, expendat, commutet, emat, vendat &c. quæ communitas faceret, si prudenter se gereret. Quare potest ex bonis superfluis monasterii eleemosynas elargiri vel suis parentibus si indigeant, vel pro nuptiis puellarum, atque adeò pro complenda dote puellæ pauperis in religionem recipiendæ usque ad summam decem aureorum singulis annis, vel si conventus sit dives, etiam bis in anno;

& hoc sine consensu monasterii, si aliud non præscribat regula, vel religionis consuetudo, aut Superioris prohibitio. Peyrin. *t.* 2. *qu.* 1. *cap.* 5. §. 1. *nu.* 56. Non tamen potest in opera pia, ornatum Ecclesiæ, & fabricam superfluam monasterii expendere notabilem summam, si moniales patiuntur necessitatem; quippe Abbatissa dispensatrix est eorum bonorum juxtà cujuslibet indigentiam, utpote quæ toti communitati sunt destinata. Ita aliis relatis Sanchez *in sum. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 28. qui pariter *nu.* 19. sustinet, quòd neque potest sibi licentiam assumere ad superflua, scilicet ad ea, quæ nec ad suos usus, nec ad conventus debitam provisionem, ac decentem administrationem sunt necessaria. Imò neque quo ad suos usus potest assumere nisi ea, quæ aliis potest concedere, quia non minùs quàm aliæ moniales voto paupertatis adstringitur.

QUÆR. XIII. An Abbatissa teneatur bona communitatis suis subditis dividere attenta meritorum, & necessitatis, non verò personarum ratione.

RESP. Affirmativè. Ita Lugo *de just. disp.* 1. *sect.* 3. *t.* 1. Quia subditæ juxta proportionem meritorum, & necessitatis exigẽtiam habent jus ad omnia bona religionis, Lessius *de just. cap.* 22. *dub.* 3. *n.* 15. *lib.* 2. Unde Abbatissa non potest ad libitum sibi, vel alteri meliorem cellam, vestem, cibum, vel potũ tribuere; sed hæc omnia, & alia juxta merita, & necessitates regularũ, & non secundũ dignitates in monasteriis reformatis debent dividi; ex bonis enim communitatis nulli etiam Abbatissæ aliqua por-

portio assignatur, Navar. 3. *comment. de regular. nu. 6.* sed sunt omnia destinata indivisè pro omnibus alendis, & sustentandis; & licèt in religione aliquis ordo sit servandus, iste ordo ille debet esse, quem necessitas exegerit. Unde si dignior æqualiter indigeat ac inferior, tunc præferenda est dignior; non tamen si inferior in majori fuerit necessitate, nam ordo charitatis tunc postulat, ut inferior sive in dignitate, sive in ætate superiori præferatur,

Imò, cum Abbatissa constituta sit non in sui ipsius, sed subditarum utilitatem, & commodum, ut cum communi docet Peyrin. *de Prælat. q. 1. cap. 7. num. 2.* sequitur quòd non procurando magis utilitatem communem, & particularem subditarum, quàm propriam peccat mortaliter, quia lædit justitiam operando in re gravi contra finem Prælatiæ, Peyrin. *supra num.* 14. Sicut pariter peccat si ad sui famulatum assumat plures conversas, vel utatur actionibus aliarum monialium pro sua utilitate, & conservatione; utitur enim actionibus subditarum sine jurisdictione, nam habet solùm jurisdictionem utendi hujusmodi actionibus in bonum commune. Girag. *supra nu.* 33.

QUÆR. XIV. Quos contractus possit Abbatissa sine Capituli consensu celebrare.

RESP. In contractibus de rebus modicis, quæ pertinent ad victum, & vestitum monialium, Capituli consensu non indigere, quia durissimum esset, quòd quoties aliquid ad monialium usum vult emere, teneretur Capitulum convocare. In contractibus verò

gra-

gravioris momenti debet Capituli consensus intervenire, *ex cap. ea nòscitur, de his quæ fiunt à Prælato*, quia quòd omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

QUÆR. XV. An teneatur conventus stare contractui facto de consensu Abbatissæ, & majoris partis Capituli, si talis contractus cedat in damnum monasterii.

RESP. Affirmativè. Nam delictum Prælati, & Capituli nocet Ecclesiæ, *cap.* 2. *de ordin. cognit.* Tum quia cum Monasterium consenserit in tale damnum, nulla ei facta est injuria. Quod verum est etiam si tale monasterium habeat tantùm Vicariam loco Abbatissæ mortuæ; cum enim talis Vicaria habeat eandem potestatem jurisdictionis, ac Abbatissa, si simul cum Capitulo contrahit, valet contractus; Bordon. *resolut.* 53. *nu.* 12. ubi alios adducit.

QUÆR. XVI. An Abbatissa nomine conventus, sed sine ejus consensu, mutuas percipiens pecunias ad usum monasterii, obliget conventum, si illa absque conventus commodo in suis usibus expendat.

RESP. Negativè. Nam cum conventus commodum ex tali mutuo non reportat, neque debet incommodum reportare. Ita Tapia, & Bordon. *loc. cit. q.* 8. Imò addo, quòd, si Abbatissa à Capitulo postularet consensum ad petendam dictam pecuniam mutuam, & totum Capitulum taceat, adhùc si Abbatissa eas in suum commodum expendit, conventum non manere obligatum, nam in præjudicialibus ex taciturnitate, & non resistentia consensus non inducitur. Pas-

qualig.

qualig. *t.* 2. *q.* 195. Aliter dicendum est si illa pecunia recepta sit nomine conventus, ad sublevandam ejus indigentiam, & conventus in tali mutuo verè consensit, licèt postea ab Abbatissa malè expenderetur. Nam, cum acceptatio mutui legitimè facta fuerit, remanet conventus obligatus, Sanch. *lib.* 7. *moral. cap.* 31. *nu.* 13.

QUÆR. XVII. An Abbatissa cum consensu Capituli possit remittere summam debitam monasterio.

RESP. Posse ex justa causa docent Sanch. Alphons. de Lione, Lugo, & alii relati, & approbati ab Ant. à Spiritu S. *tract.* 4. *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 67. qui idem asserit *nu.* 398. cum Lezana de repudiatione legati, aut hæreditatis. Secùs verò justa causa cessante, quia Abbatissa, utpote bonorum monasterii administratrix, non domina, illi non potest præjudicare. Quòd si de facto Abbatissa repudiet legatum, aut hæreditatem sine causa, peccat quidem mortaliter, quia notabiliter lædit monasterium, non tamen incidit in pœnas Extravagantis *Ambitiosæ*, quia non acquisitio ad effectum incurrendi pœnas non dicitur alienatio, Lezana *tom.* 2. *cap.* 19. *nu.* 60. ex Riccio, Gavanto, Barbosa, & aliis. At neque cum causa posse Abbatissam propria auctoritate, vel cum consensu Capituli remittere summam debitam, aut repudiare hæreditatem, censeo cum Molina, Lambert. Bonac. & aliis, quia in utroque casu monasterium habet jus ad rem, cui proinde neque Abbatissa, neque Capitulum potest renunciare, ut infra videbimus.

QUÆR.

QUÆR. XVIII. Quid possit, aut non possit Abbatissa cum Capitulo quo ad bonorum monasterii alienationes.

RESP. Non posse Abbitissam neque cum cõsensu Capituli disponere de rebus quæ sunt de proprietate monasterii, sive res sint mobiles prætiosæ, quæ servando servari possunt, ut sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casulæ pretiosæ, calices, tapetes, nec non argentea, aut aurea vota magni valoris alicui sacræ imagini oblata, & similia: sive sint immobiles, inter quæ computantur non solum res corporeæ, & fixæ, sed etiam actiones, jura, & reditus longi temporis, seu jus diuturnum ad illos, nec non jura, seu debita rerum immobilium, seu mobilium pretiosarum.

Hinc non potest Abbatissa locare bona monasterii ultra triennium, neque transigere, aut compromittere super bonis monasterio incorporatis, vel quæ ipso jure ad illud perveniunt. Ita Filliuc. Rebuf. & alii. Excipe nisi res sit litigiosa, vel præ judicialis, Bordon. *resol.* 21. *num.* 59. Neque oppignorare bona mobilia monasterii pretiosa, ex declaratione Sac. Congregationis teste Lezana, *v. alienat. num.* 14. nisi maxima urgeat necessitas, ratione cujus neque Pontifex, neque Sac. Congregatio possit adiri. Peyrin. *in formular. litt. A. capit.* II. *num.* 3. Consensus tamen Episcopi est expectandus. Neque imponere censum, aut servitutem super bonis monasterii, sive servitus sit per hypotecam specialem, aut generalem, ut cum Quaranta, Novario, & aliis docet

cet Ventriglia *annotat. de alienat.* §. 2. *n.* 7. sivè per fidejussionem, aut contractum assecurationis; quia per hujusmodi servitutes bona monasterii remanent obligata satisfactioni. Neque recipere pecunias ad cambium cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis. Sac. Congregat. 21. *Maii* 1626.

Poterit tamen alienare fructus, & alia bona, quæ servando servari non possunt. Ita omnes cum Cajet. *cap.* 75. Nomine autem fructuum veniunt præcisi fructus, non verò res frugifera. Unde alienare non potest gregem ovium, licèt possit fructus gregis; sicuti neque boves, & alia animalia ad culturam agrorum monasterii necessaria, quia utpote agris accessoria, & addicta computantur cùm illis inter bona stabilia, Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *cap.* 27. *num.* 18. Secùs si non sint addicta, Panormit. *in cap. nulli de reb. Eccles. non alien.* Vel si affixa, versantur tamen in aliquo discrimine. Donat. *Rer. Regul. tom.* 1. *p.* 2. *tract.* 14. *q.* 21. *num.* 61. Pretium tamen debet investiri in alia, calamitate transacta.

Neque potest cædere arbores fructiferas, aut infructiferas in magna quantitate, nec etiam paucas, sed maximæ æstimationis. Bonac. *tom.* 1. *tract. variar. disp.* 2. *qu. unica, punct.* 2. *de alien. bonor.* Benè tamen potest cædere illas, quæ sunt nimis densæ, vel caducæ, vel quarum totus, aut præcipuus fructus consistit in incisione. Unde non est prohibita incisio arborum ex nemoribus ad eas vendendas pro utilitate monasterii, dummodo

do ex tali inciſione damnum notabile nemori non inferatur; Palaus *tract.* 12. *diſp. unica p.* 15. §. 1. *nu.* 7. Neque inciſio arborum infructiferarum, & umbratilium, ad hoc ut earum loco fructiferæ ſubſtituantur, ſi aliàs tales arbores non ſerventur ad amænitatem, Peyrin. *tom.* 1. *privileg. conſt.* 9. *nu.* 17. quidquid in contrarium aſſerat Bonac. *loc. cit.* qui admittit poſſe cædi arbores ad reparationem monaſterii, quia hæc inciſio eſt potiùs localis mutatio, quàm alienatio.

QUÆR. XIX. An dentur alii caſus, in quibus Abbatiſſa cum aſſenſu Capituli, & licentia Epiſcopi poſſit res monaſterii alienare.

RESP. Affirmativè. Primus eſt, quando agitur de parva re, quæ ſit modici valoris, ſcilicèt quæ non excedat ſcuta vigintiquinque monetæ Romanæ, Genuenſ. Quaranta, & alii, & alienatio ſit in evidentem utilitatem monaſterii. Secundus quando alienatio eſt neceſſaria ex præcepto teſtatoris, ut ob fideicommiſſum. Tertius quando eſt neceſſaria ex lege contractus, ut propter pactum de retrovendendo in eodem contractu incontinenti appoſitum, quando res fuit acquiſita monaſterio. Quartus quando hæreditas eſt gravata ære alieno; tunc enim vendi vel conſignari poteſt creditori pro tanta parte, qua illi poſſit ſatisfieri, quia hæreditas ſecundum illam partem, quæ neceſſaria eſt pro ſolvendis debitis, non acquiritur abſolutè, ſed ſolùm in ordine ad extinguenda debita, & ideo eſt acquiſitio temporanea, & ex vi ejuſdem hæreditarii juris reſolubilis, ac proinde non incorporatur bonis monaſte-

rii; Bordon. *resol.* 27. *num.* 63. Pignatel. *t.* 6. *consult.* 95. *nu.* 36.

Item quando alienatio est necessaria jure exigente, ut si legentur bona immobilia fructifera, vel mobilia pretiosa monasterio illorum bonorum incapaci, ut docent Socin. *reg.* 110. *num.* 3. Dec. *in cap. in præsentia de probat. num.* 271. & Quaranta *num.* 41. §. 6. Sicut etiam potest alienari res inutilis monasterio, ut si relinqueretur Bibliotheca magni valoris. Quod verum est etiam si ea omnia relicta essent cum conditione, ne alienarentur, Filluc. *tract.* 44. *cap.* 6. *num.* 6. cum Rosel. Rodriq. & aliis. Pretium tamen converti debet in alia mobilia monialibus convenientia.

Quær. XX. An pecunia redacta ex redemptione census, vel ex aliqua re immobili, aut mobili pretiosa, possit per Abbatissam sine solemnitatibus alienari solvendo debita monasterii.

Resp. Non posse. Ita Redoan. Ric. Genuen. & alii relati à Delbene *tom.* 2. *dub.* 17. *num.* 17. Sicuti enim sine solemnitatibus non potest pro extinctione debitorum vendi res immobilis, vel mobilis pretiosa, ita neque pecunia, quæ loco rei successit, *arg. ex l. ita costante ff. de jur. dot.* Imò neqne pecunia relicta à testatore sine aliquo onere expendi potest in extinctionem debitorum, si auctoritate Abbatissæ, & Capituli destinetur ad emendam rem immobilem, vel mobilem pretiosam, Vasquez cum aliis quos refert, & sequitur Palaus; nam cum talis pecunia jam sit destinata ad rem immobilem emendam,

dam, inter res immobiles computatur, sicut de quacunque alia pecunia ad hunc effectum destinata docet cum aliis Lezana *t.* 2. *cap.* 19. *nu.* 59. licèt contrarium teneat Bordon. *loc. cit.* ubi ait pecuniam destinatam ad emenda immobilia, distrahi posse ad emenda mobilia necessaria monasterio. Posse tamen pecuniam ex census extinctione, vel mobilium pretiosorum venditione retractam implicari in extinguendo censu super bonis monasterii inconsulta Sac. Congregatione, docet Anton. à Spir. Sancto, *tr.* 3. *disp.* 6. *sect.* 6. *nu.* 1169. sicut enim onerare fundum monasterii alienatio est; ita illum exonerare erit reacquisitio.

Nequaquam tamen hujusmodi pecunia converti potest in censum vitalitium, quia cum sit destinata pro rebus immobilibus, & non sit sub dispositione libera tanquam de proprietate monasterii, non potest converti nisi in bona immobilia; inter quæ non computatur census vitalitius, cum sit in continuo periculo amissionis, sicuti est vita illius super qua est duraturus. Angel. *in l. non solet, ff. de pet. hæred. in cap. contingit de dol. & contum.* Cornel. *cons.* 173. *vol.* 3.

Quær. XXI. An saltem Abbatissa possit licentiam concedere moniali particulari, ut constituat censum vitalitium ex pecunia illi ab extraneo concessa.

Resp. Distinguit Sanchex *lib.* 7. *moral. cap.* 22. *num.* 16. Si pecunia illa ita concessa est, ut concedens noluerit dominium in monasterium transferri, sed omninò cedere in monialis usum, & monialis acceptantis ea-

dem mens fuerit potest Abbatissa licentiam præbere, ut census vitalitius constituatur, quia nullatenùs pecunia illa est monasterii. Si autem ita data sit, ut dominium in monasterium transierit, nequit Abbatissa absque consensu Capituli, & Prælati id efficere. Quia pecunia illa monasterii est, nec in constitutione census vitalitii, utpote amittendi, res monasterii utiliter agitur.

QUÆR. XXII. An Abbatissa cum consensu Capituli possit alienare Sanctorum reliquias in sua Ecclesia asservatas.

RESP. Affirmant Bordon. Antonel. & Barbosa relati à Diana *p.* 10. *tract.* 14. *res.* 23. Quia in Paulina fit tantùm mentio de alienatione rerum pretio æstimabilium, cujus naturæ non sint Sanctorum reliquiæ. Verùm negativa sententia communior est, & in praxi consulenda; reliquiæ enim inter mobilia pretiosa communiter computantur. Hoc tamen debet intelligi cum Lezana *t.* 3. *v. alienatio, num.* 14. de reliquiis muro clausis, vel insignibus, aut ipsarum partibus notabilibus, vel perpetuæ traditis sepulturæ. Cæterùm exiguarum particularum alienatio, non videtur comprehendi sub prohibitione alienationis. Declaratum proinde fuit à Sac. Congregatione, teste Barbosa *in collect. Bullar. v. reliquiæ*, reliquiam modicam jam factam alienabilem, posse donari alicui Ecclesiæ, vel Oratorio.

QUÆR. XXIII. An Abbatissa teneatur omnes superabundantes reditus in eleemosynam elargiri.

RESP. Affirmant Sanch. Rodriqu. Sotus, & Re-

& Reginal. Verùm circa præsentem quæstionem placet Dianę opinio Suar. qui ait in hoc non posse assignari regulam generalem. Regulariter tamen loquendo, necessarium non esse, neque conveniens, reditus superabundantes in eleemosynas elargiri; quia melius est, si commodè potest, augere, & perficere monasterium ipsum vel quoad ea, quæ pertinent ad cultum divinum, aut habitationem, vel quoad perpetuos reditus, ut ex eis plures moniales sustentari possint, vel saltem perfectiùs vita communis conservari, quod majus Dei obsequium est, quàm eleemosyna, quæ tamen in aliquibus circumstantiis non tantùm laudabilis est, sed etiam sub præcepto esse potest, quod pendet ex occurrentibus proximorum necessitatibus.

QUÆR. XXIV. An Abbatissa jure suo possit applicare bona opera monialium subditarum personis extraneis, iis tribuendo litteras communicationis.

RESP. Posse. Colligitur ex Navar. quem citat, & sequitur Lezana, consentit Sorbus, & in terminis tradunt Bassæus *v. Abbatissa num.* 22. & Philippinus *in Filiat. Spiritual. nu.* 199. Ratio est, quia, sicuti quælibet monialis tanquam domina potest applicare sua bona opera communicabilia quibuscunque voluerit, ita idem poterit Abbatissa, cum hæc communicatio proveniat à potestate dominativa, ex vi voti obedientiæ, ut habetur ex Rodriq. aliisque Doctoribus relatis à Philippin. *loc. cit. num.* 141. quæ potestas residet penes Abbatissam, undè competit illi

libera administratio, cura, & authoritas ordinaria dispensativa bonorum spiritualium sub ipsius regimine, & propria Congregatione contentorum. Ex quo etiam fit, quòd Abbatissa possit indicere suis Monialibus certas preces pro benefactoribus, maximè si occurrat causa, v. g. ad implendam obligationem impositam Monasterio ex justitia. Bassæus *loc. cit.*

QUÆR. XXV. An Abbatissa teneatur transgressiones monialium occultas inquirere, ut corrigat.

RESP. Teneri. Ita D. Tho. 2.2. *q.* 33. *art.* 2. *ad* 4. Si enim hoc negligeret, moniales faciliter impunè regulam transgrederentur, cùm facile ipsis esset cavere, ne in cõspectu Abbatissæ statuta violarent. Atque ita cum maximo boni communis detrimento omnia transgressionibus scaterent, ac vigor disciplinæ omninò dissolveretur. Verùm, quamvis hæc sit Abbatissæ obligatio; tamen, ut optimè advertit Lorca, prudentiæ moderamine est temperanda, ne scilicet sit nimia sollicitudo, aut intempestiva inquisitio, quia hujusmodi excessus non solùm esset inutilis, sed molestus etiam monialibus, & odibilis, possetque detractiones fovere, passiones accendere, & rixas excitare.

QUÆR. XXVI. An Abbatissa audiens, & non impediens monialem de altera detrahentem, peccet mortaliter.

RESP. Quòd sic; quia non obstans damno proximi, ad quod tenetur, delinquit graviter in suo officio, & habetur expresè *in cap. facientis dist.* 86. ubi textus: *Negligere cum*

pos-

possit deturbare perversos, nihil aliud est quàm fovere. Ideo hanc sententiam tradunt, D. Thom. 2. 2. *q.* 74. *art.* 4. *in corp.* Aragon. Salas, Sotus & alii penes Peyrin. *de Prælat. q.* 1. *cap.* 3. §. 11. *nu.* 107. Ubi pariter asserit teneri Abbatissam damnum famæ compensare, si detrahens famam detractam non restituat, & instante parte læsa, detrahentem ad famæ restitutionem compellere; sicut enim ex officio illi incumbit, furem alicujus rei cogere ut restituat, multò magis raptricem famæ; cum deteriores sint, qui famam, quàm qui bona nostra surripiunt, *cap. deteriores 6. q.* 1.

QUÆR. XXVII. An Abbatissa teneatur curare, ut quotannis legantur decreta Clementis VIII. de largitione munerum in vulgarem cujusque regionis sermonem versa.

RESP. Expedire quidem, non tamen teneri, sentit Pellizar. *de Monial. cap.* 7. *nu.* 30. quia putat, obligationem per non usum fuisse sublatam; quod non videtur admittendum, nam ex una parte lectio annua dictorum decretorum monialibus quoque est expresè præcepta; ex alia verò per Constitutionem Urbani VIII. omnis non usus contra hujusmodi decreta, adeoque non usus non legendi ipsa quotannis tollitur, & reprobatur.

QUÆR. XXVIII. An Abbatissa possit monialibus limitare, vel impedire usum privilegii collati universo Ordini, vel licentiæ factæ à Prælato Monasterii.

RESP. Posse intervenientе justa causa, & nisi in cõcessione sit expresè denegata facul-

tas. Ita Corduba *in reg. S. Franc. cap.* 10. *q.* 2. *p.* 6. ex quo Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *n.* 9. & Peyrin. *de R. S. q.* 1. *cap.* 8. §. 6. Ratio est, quia quælibet gratia ita est intelligenda, ut jus alterius non lædat. Abb. *in cap. nostra in notab.* 3. *de rescript.* Loter. *de re benef. lib.* 1. *q.* 28. *num.* 162. & pluries Rota. Idque adeò verum est, ut quamvis in rescriptis non fuisset apposita clausula *sine præjudicio tertii*, tamen illa semper subintelligatur, Marant. *resp.* 13. *num.* 9. Vivian. de *jurepatr. lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 8. Quælibet igitur concessio privilegii collati universo Ordini, vel licentiæ factæ à Prælato moniali particulari, ita est intelligenda, ut non lædat potestatem illam dominativam, secundum quam Abbatissa sibi subiicit omnes monialium actiones ratione voti obedientiæ. Adeoque ita est intelligenda, ut ejus usus taliter subordinetur voluntati Abbatissæ, ut justa de causa possit ab ipsa vel limitari, vel suspendi. Et regula illa 17. *in* 6. *Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum*, limitatur, quando auferendi intervenit causa, Peyrin. *loc. cit.*

Poterit pariter remittere, aut saltem moderari pœnitentiam impositam moniali subditæ à Prælato monasterii, dummodo concurrat justa, gravis, & rationabilis causa, nec sit facilis ad Superiorem recursus. Quia in talibus circumstantiis præsumitur relaxandi facultas à Superiore concessa; cum præsumatur, Superiorem commodo, & bono subditorum velle providere. Extra hujusmodi circumstantias non potest, quia inferior non potest se immiscere in iis, in quibus Su-

pe-

perior manum apposuit, ut per Doctores communiter *in cap. quod super his de majorit. & obedien. & in cap. inferior. dist.* 21.

QUÆR. XXIX. An Abbatissa possit licentiam monialibus concedere, ut pueros suscipiant in Baptismo, aut Confirmatione.

RESP. Non posse; quia hoc monialibus est prohibitum *in cap. pervenit* 1. *dist.* 18. *q.* 2. *cap. non licet, & cap. Monachi dist.* 4. *de consecrat.* Et licèt in prædictis locis fiat tantùm commemoratio de Monachis, communiter tamen à Doctoribus ad quoscunque religiosos extenditur prohibitio. Ita Ledesma, Sanch. & Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 30. *nu.* 36. ubi adducit Rituale Romanum, quod de hujusmodi Patrinis agens, inquit: *Ad hoc admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales.* Ex quo colligit prædictus Doctor, monialem suscipientem peccare mortaliter, quia violat prohibitionem. Concedit tamen, contrahere cognationem spiritualem, quia in illis textibus nullum est verbum irritans factum; & subdit, posse monialem suscipere in Confirmatione, si monialis pariter sit confirmanda. Verùm moniales mortaliter non peccare suscipiendo pueros in Baptismo, aut Confirmatione, docet cum aliis Cespedes *de Exempt. regul. cap.* 6. *dub.* 134. *num.* 4. quia in textibus præallegatis nulla sunt verba, quæ contineant prohibitionem strictam, & rigorosam.

§. II.

De Vicariæ, & Discretarum, seu Decanarum Obligationibus.

QUÆR. I. AN Vicaria possit dici Prælata.

RESP. Negativè; quia instituta est tanquam coadjutrix Abbatissæ, nec ullam habet jurisdictionem; quare facere non potest, quod potest exequi Abbatissa. Lezan. *qq. Regul. tom. 2. cap. 13. nu. 40.* Unde non potest concedere licentiam monialibus aliquid recipiendi, expendendi &c. cum penes ipsam non resideat potestas neque domestica, neque œconomica, nisi hoc specialiter à Superioriſſa indulgeatur. Barchius *in specul. Religios. cap. 17.* Quòd si contingat, Abbatissam decedere, putat Lezana *loc. cit. num. 41.* posse ea facere in casibus occurrentibus, quæ ipsa faceret Abbatissa, si viveret, quia eo tempore prædicta Vicaria vel est Prælata, vel quasi, cùm non deceat, monasterium esse pro illo tempore sine capite.

QUÆR. II. An Vicaria possit monialibus præcipere ex vi voti obedientiæ.

RESP. Non posse; quia, ut diximus, non est monialium Prælata, cui fit votum obedientiæ. Tenentur tamen moniales ipsi parere ex potestate civili, & politica, quæ utique competit Vicariæ, cùm & ipsa sit Superioriſſa monasterii, quamvis subordinata,

quod

quod sufficit, ut moniales obligentur ad obediendum sub peccato, etiam mortali, si res præcepta sit ex objecto gravis, & modus præcipiendi indicet intentionem præcipientis esse obligare sub gravi.

QUÆR. III. An Vicaria possit eligi in Abbatissam.

RESP. Quoad Moniales Ordinis Minorum negat Miranda *de Monial. q. 7. art. 9. conclus.* 2. propter quandam constitutionem Sixti V. quæ id prohibet, & etiam propter quoddam decretum Cardinalis Matthei Protectoris Ordinis Minorum *sub die* 13. *Junii* 1592. At in cæteris monialibus hoc non habet locum, unde sive perfuncta sit vicariatus munere, sive in eo duret, eligi potest Vicaria in Superioriſſam Conventus. Quia Constit. Gregorii XIII. solùm prohibet, ne perfunctæ Abbatissatus munere permaneant in aliquo officio, in quo habeant auctoritatem, & regimen, aut administrationem. Non autem hoc prohibet Vicariis, cùm sit diversa ratio, quia scilicet officium Vicariatus est subordinatum Abbatissæ, adeòque ad Vicarias non est extendenda Constitutio.

QUÆR. IV. An Vicaria, & quælibet Discreta teneantur cum aliis interesse, quando convocantur ab Abbatissa ad consulendum, seu decernendum aliquid spectans ad bonum regimen Monasterii.

RESP. Teneri, nisi aliquo legitimo impedimento detineantur. Ratio est, quia, quando ad Vicariæ, vel Discretæ munus eliguntur, suscipiunt in se obligationem pro-

cu-

curandi bonum communitatis; unde quotiescunque de communitatis bono agitur, tenentur ex officio interesse, ad hoc ut possint promovere. Ita ex Molfesio Duardus *in cap. Omnis utriusque sexus t. 2. disp. 16. sect. 20. num. 4.* Et licèt quilibet possit favori suo renuntiare, hoc tamen non habet locum, quando agitur de favore mixto, scilicet, quando id, quod renuntiatur, non solùm proprium ipsius renuntiantis, sed etiam favorem alterius, seu publicam utilitatem respicit. Felin. *in cap. si diligenti num. 16. de for. compet.* Castren. Calderin. & alii. Unde neque Vicaria, neque alia Discreta poterunt ab aliarum congressu se subtrahere, quando de monasterii sit agendum utilitate.

QUÆR. V. An Vicaria, & Discretæ possint sine scrupulo tacere, quando Abbatissa vult aliquid non bene determinare.

RESP. Si quod vult Abbatissa decernere, est evidenter contra monasterii utilitatem, mortaliter peccant tacendo, quia qui de collegio sunt, in his, quæ ad universale commodum pertinent, ex vi officii sui tacere non possunt, *arg. cap. 1. de his, quæ fiunt à majori part. capit.* Nec valet dicere, quòd Abbatissa, vel major discretarum pars est determinata exequi, quod decernit, & sic, quòd vana foret oppositio; nam confidere debet se invictam veritatem proferentem, alias quoque, vel etiam Abbatissam in suam sententiam adducturam; veritas enim omnia vincit, *cap. consuetudo 8. dist.* Si verò dubium sit tantùm, an Abbatissa non benè determinet, tunc, præcipuè majori Discretarum

rum parte in Abbatissæ placitis consentiente, poterunt aliæ quoque tuta conscientia vel tacere, vel approbare, quia in dubiis prudenter aliorum sequimur consilium. Azor. *t.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 17.

Quær. VI. An Vicaria, & Discretæ possint saltem tacere, si prævideant, quòd contradicendo, vehementer contristabitur Abbatissa, atque adeò illas torvis oculis aspiciet.

Resp. Non posse, quando agatur de rebus ad bonum commune maximè conducentibus; nam ut dici solet, scandalum potiùs permittendum est, quàm veritas deserenda. Debent tamen tale medium adhibere, ut contradicendo, humaniter, & suaviùs procedant. Unde si aliqua ratione res verborum lenitate temperari valet, integra tamen, & illæsa semper veritate, id omni conatu debent procurare. Rodriq. *qq. Regular. t.* 2. *q.* 45. *art.* 4.

Quær. VII. An excusentur tacendo, quando prævident, Abbatissam irritandam, & magis ex contradictione in sua sententia obfirmandam.

Resp. Videri, quòd sic. Quia sicuti correctio fraterna tunc intermittenda est, quando timetur, ne ob illam frater fiat deterior, juxta tradita à D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. Ita Vicaria, & Discretæ, quando rationabiliter suspicantur, earum consilium potiùs obfuturum, quàm profuturum, prudenter agent tacendo, aut in tempus opportunius differendo. At contrarium est tenendum. Nam correctio duplex est; quædam, quæ pro-

provenit ex charitate, & tunc tantùm exercenda est, quando fructus speratur. Altera, quæ ex justitia proficiscitur, quæ nullo pacto est omittenda, etiam si nulla futuræ emendationis spes proponatur, bono publico id exigente. Unde cùm in nostro casu consilium, quod à Vicaria, & Discretis præstatur, ad actum potiùs justitiæ pertineat, non videtur prætermittendum, quamvis ex illo nullus fructus speretur. Ita Rodriquez, *loc. cit. art.* 7. Quòd si prævideant bonum publicum magis periclitari loquendo, non peccant, si taceant, quia hoc non est damno communitatis cooperari, sed ipsius majus damnum avertere. Verùm diligenter attendant, ne his inanibus suspicionibus, & humanæ imbecillitatis commentis sui officii partes omittant.

QUÆR. VIII. An Vicaria, & Discretæ peccent mortaliter de monialium transgressionibus Abbatissam non admonentes.

RESP. Peccare; quia si in hac parte nimiùm dissimulent, religiosa observantia in communitate labefactatur: quare graviter peccant, sicut peccaret Abbatissa sciens tales transgressiones, & non corrigens, cùm posset; nam etiam ipsæ ratione muneris tenentur communitatis bono consulere. Ita Suarez, & Ægidius.

§. III.

De Obligationibus Magistræ Novitiarum.

QUÆR. I. A Quo, per quod tempus, & cujus ætatis eligi debeat Novitiarum Magistra.

RESP. Inspicienda esse cujusque Religionis statuta. Secundùm Regulam S. Benedicti electio Magistræ spectat ad Abbatissam; Superior tamen ex justis causis ad se talem electionem avocare potest, ac decernere, ut electio postea facta per Abbatissam sit nulla. Sac. Congregat. *in Florent.* 14. *Novemb.* 1603. Eligi debet ac mutari quotannis; nec consanguineæ, vel aliæ moniales se ingerant in instruendis Novitiis, *in Pisan.* 13. *Julii* 1618. Sit maturioris ætatis, & quæ saltem trigesimum quintum annum expleverit, ut de Novitiorum magistro statuitur in Decreto Clementis VIII. *sub die* 19. *Maii* 1603.

QUÆR. II. Ad quid teneatur Magistra, ut rectè suum munus obire possit.

RESP. Tenetur experiri Novitias quoad constantiam in vocatione, quoad capacitatem ad spiritualia exercitia, & etiam ad corporales labores juxta varietatem personarum decenti modo, & unicuique accommodato, & etiam juxta statum vel Choristarum, vel laicarum, quem intendunt assumere. Illas in cultu Dei, & religionis observantia, debet erudire, sicut præcipit Con-

Concilium Provinciale Mediolanense 1. sub D. Carolo Borromæo *p. 2. de Monial. §. de Præfectis.* Assiduis admonitionibus ita eas instruere satagat in spiritualis, & sanctæ vitæ ratione, ut progredientes Deo adjutore, perfectæ ejus ancillæ possint evadere.

QUÆR. III. Quomodo Magistra instruere Novitias debeat circa Regulam.

RESP. Debet illas instruere in his, quæ ad regulæ substantiam spectant, ideſt secundùm significationem generalem, & simplicem verborum cujuscunque voti, obligationis, aut præcepti in regula contenti. Nam Novitiæ ad professionem admitti non possunt, nisi de regula, quam profiteri volunt, notitiam habeant, quia juxta D. Thom. 1. 2. *q. 76. art.* 2. communiter receptum, quisque addiscere tenetur, & noscere pertinentia ad suum statum, ideſt leges universales status, seu officii, quod assumere intendit, ut benè declarant Vasq. Azor. & Sanch. *in decal. lib. 1. cap. 16. num.* 35. Cùm ergo Novitiæ assumere intendant religionis statum, patet, teneri ad præfatam regulæ intelligentiam, priusquam professionem emittant; unde tenebitur magistra ex vi muneris illas instruere, cùm Novitiæ sint ejusdem curæ ad hunc effectum commissæ. Duard. *loc. cit. disp. 16. sect. 34. nu. 2.*

QUÆR. IV. In quibus præcipuè debeat Magistra Novitias exercere.

RESP. In oratione, & meditatione, cùm hæc sit medicina malorum, quibus ægrotant, in lectione librorum spiritualium, ut discant, quid agendum sit, quid vitandum; mul-

nullo modo libri prophani sunt permittendi; in Sacramentorum frequentia, quia summoperè conducit ad comparandam animæ puritatem; in jejuniis, vigiliis, ciliciis, & disciplinis, maximè à regula præscriptis. Debent arceri à conversatione sæcularium, etiam consanguineorum, & non nisi valdè rarò, & ex causa graviori permittendus accessus; siquidem non solùm distrahuntur, & amore eorum, quæ reliquerunt, iterum ad mundana resiliunt, sed etiam gravissimis tentationibus exponuntur.

QUÆR. V. An Magistra debeat in spiritu lenitatis, vel rigoris Novitias regere.

RESP. Cum Rodriq. *qq. Regular. tom.* 3. *q.* 26. *art.* 10. rigore potiùs, quàm lenitate esse educandas. Quia *Proverbior.* 10. præcipitur: *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur: tu: virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Cautè tamen procedat, ne Novitiæ tædio religionis affectæ ad sæcularem libertatem resiliant.

QUÆR. VI. An Magistra correctionis causa Novitiam percutiens excommunicationem Canonis contrahat.

RESP. Titulo correctionis licitum esse Novitiarum Magistræ, illas castigatione moderata punire, prout ratio culpæ, & qualitas personæ exigit, ac consuetudine receptum est. Quare nullam incurrere excommunicationem tradit aliis relatis Diana *t.* 5. *in opere coord. tract.* 2. *res.* 14. Ubi ex Sylvestro, & Toleto docet, Canonis excommunicatione affici Magistram, si percutiat præ-

tex-

textu correctionis, non tamen ex fine corrigendi, sed ex odio, quia ex fine correctionis tantùm est concessa facultas ad percutiendū. Notat tamen Turrianus *de cens. lib.* 3. *disp.* 29. *d.*2. tale odium, à quo movetur, debere aliquo signo externo manifestari, aliàs non potest Ecclesia eum actum punire.

Quær. VII. An prædictam censuram incurrat Magistra excedens modum percussionis relatæ ad correctionem.

Resp. Affirmant Glos. *in cap. Universitatis de sentent. excommunic.* Negat pariter eadem Glos. *in cap. cum voluntate eod. tit.* Hanc contrarietatem conciliat Diana ex Sylvestro, Toleto, & Tabiena, docens, non contrahi hanc censuram, quando excessus est venialis, quia sine mortali culpa non infligitur gravis pœna; contrahi verò, quando excessus est gravis, quia sub gravi, & irrationabili modo non censetur cōcessa talis facultas.

Quær. VIII. Quomodo se gerere debeat Magistra, si dubitat, an Novitia sit nec ne ad professionem admittenda.

Resp. Exponat fideliter Abbatissæ, & Capitulo novitiæ mores, ac qualitates, nec non defectus illos, ratione quorum hæsitat, an sit, vel non sit admittenda. Confessarium insuper, aut alium virum idoneum consulat, & illorum prudentiæ, ac consilio acquiescat; Vech. *in praxi Novit. disp.* 12. *dub.* 3. *num.* 4. Ubi advertit, quòd imperfectiones temporales, seu corporales, si notabilem deformitatem non afferant, neque impediant novitiam ab obligationum regulæ observantia, non sunt causa sufficiens

ad

ad ipsam expellendam, quia re vera ob tale impedimentum non censetur inhabilis, nisi conjungatur cum alio defectu, qui inhabilitatem inducat.

Quoad imperfectiones spirituales, addit idem Vecchius, quòd prudentet se gerere debet Magistra, eo quòd fragilitas humana est charitativè ferenda, eò vel maximè, quia valdè difficile est habitus vitiosos brevi tempore superare. Concludit denique, facilius esse delinquere in exclusione, quàm in admissione novitiæ; eo quòd exclusio à religione fieri nequit tuta conscientia, nisi intercedat aliqua gravis causa, quamvis necessariò non debeat esse mortifera. Admissio verò licitè fieri potest, si novitia ea saltem habilitate polleat, qua obligationes regulæ disciplinamque regularem observare valeat, sitque aliquo modo utilis religioni.

Quær. IX. An Magistra possit ex charitate occultare aliquod novitiæ impedimentum, pro quo non potest jure secundum religionis statuta profiteri.

Resp. Non posse, quia talis occultatio cederet in grave monasterii detrimentum, quod Magistra tenetur impedire tum ratione officii, tum ratione boni publici, quod debet privato novitiæ comodo anteferri. Et hoc procedit, etiam si tale impedimentum fuisset Magistræ sub secreto detectum, quia ex D. Thom. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 2. custodia seccreti non potest in Magistra impedire fidem, quam debet ratione muneris religioni. Peccaret igitur occultan-

tando, & novitia profitens non esset verè professa, si religionis statutum esset auctoritate Pontificis confirmatum cum clausula irritante, quia stante tali clausula, & impedimento, nulla est potestas in admittente. Sanch. *in sum. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 60. Secùs autem si nullum extaret decretum irritans, quia ex jure canonico nulla ægritudo, etiam mortifera, annullat professionem; imò ex eodem jure contrarium elicitur; nam collatio facta criminoso improbatur quidem tanquam illicita, sed non reprobatur ut nulla, Felin. *in cap. postulasti de rescript.* Cæterum si impedimentum sit omninò occultum, & nullum ex illo immineat religioni detrimentum, celari potest, & debet. Salmanticen. *tom.* 3. *Theol. moral. tract.* 15. *cap.* 3. *punct.* 4. *num.* 71.

QUÆR. X. An negligentia Magistræ in experiendo novitiam tempore probationis possit impedire professionem expleto anno faciendam.

RESP. Negativè. Quia non est de substantia novitiatus actualis probatio, sed satis est novitiam permanere sub obedientia in religione, & se ad probationem necessariam exponere, Suar. *t.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 15. Vecch. *cit. dub.* 8. *nu.* 6. Ubi docet Magistram negligentem graviter peccare, quia defectu probationis contingere potest, quòd admittatur inhabilis ad ferenda onera religionis, cum magna observantiæ regularis jactura; vel impotēs ad officia exequēda juxta statū, quē assumit, cum notabili monasterii detrimento, & cęterarū monialiū incomodo.

QUÆR.

QUÆR. XI. Ad quid teneatur Magistra circa puellarum sæcularium educationem.

RESP. Teneri impendere totam illam diligentiam, & curam, quam præstare debent parentes. Magistra enim stat loco parentum, ratione muneris, &, ut advertit Coninch. *disp.* 28. *dub.* 5. *num.* 68. acquirit conjunctionem quandam, & quasi specialem cognationem cum puellis suæ curæ commissis. Quare tenetur illas in fidei articulis, præceptis Dei, & Ecclesiæ, nec non in aliis ad salutem pertinentibus instruere; ad virtutis, & orationis studium, Sacramentorumque frequentiam promovere. In manuum quoque operibus juxta cujusque statum, & conditionem exercere; delinquentes corrigere, etiam, si opus est, moderatè verberando. Nullatenùs eis permittendi sunt amatores, neque fuci, aut ornamenta superflua, ut adamentur, quamvis puellæ hoc faciant, ut in uxores à juvenibus appetantur. Ideo enim à parentibus in monasterio recluduntur, ut ab amatorum aspectibus, & colloquiis separatæ, in Dei timore, & disciplina educentur. Unde Magistram in supradictis notabiliter negligentem à culpa lethali non excuso, siquidem graviter deest suo muneri, ratione cujus tenetur privato puellarum suæ curæ commissarum bono consulere, ut communiter firmant Doctores.

QUÆR. XII. An Magistra possit indulgere puellis, ut ad honestam animi relaxationem ludant sacras preces.

RESP. Negat Ludov. Lopez 2. *p. instruct. cap.* 32. quia putat irreverentiam esse, imò

etiam

etiam ſimoniam, quando ludentes vellent civiliter ſe obligare. Sed Navar. Rebel. & Sanch. quos refert, & ſequitur Diana *tom. 6. tract. 4. reſ. 4.* hunc ludendi modum approbant, nec in eo aliquam irreverentiæ ſpeciem agnoſcunt, cum potiùs fiat ob ſacrarum precum ſtimationem; & ſic eſt in uſu inter religioſos, & perſonas devotas. Nec intervenit ſimonia, etiam ſi ſe obligare intendant; quia eſt ludus rei ſpiritualis pro ſpirituali, quod non eſt ſimonia niſi in beneficiis, ut notant in hac materia ſcribentes. Eſſet tamen ſimonia, ſi ſacras preces luderent contra rem aliquam temporalem.

§. IV.

De Novitiarum obligationibus, & Privilegiis.

QUÆR. I. AN Novitiis debeat conferri Sacramentum Cofirmationis, antequam ſuſcipiantur ad probationem.

RESP. Quòd ſic, ſi commodè fieri poteſt; habetur ex decreto Sac. Congregat. apud Gavant. *Manual. Epiſc. v. Moniales* §. *Monial. recept. num.* 36. Quòd ſi non conferatur ante ingreſſum, debet poſteà miniſtrari per feneſtellam, per quam moniales Euchariſtiam recipiunt. Nec poteſt Epiſcopus ob hanc cauſam ingredi clauſuram, niſi monialis eſſet in periculo mortis, & ſubinde non poſſet ad feneſtellam ibi confirmanda accedere, & periculum eſſet de-

decedendi absque illo Sacramento. Sanch. *lib.6. cap.16. nu.54.*

QUÆR. II. An Novitiæ obligentur ad observantias regulares.

RESP. Ex justitia non obligari, quia cùm nõdum religioni sint incorporatæ, illius legibus per se, & directè non subiiciũtur. Quia tamen in regularum experimento versantur, illas debent ex conveniẽtia servare, tum ut probent, an posteà futurę sint potentes servare ex debito, qui fuit finis illarum ingressus, tum ne aliis sint scandalo. Ita Rosel. Tabien. Sylvest. penes Peyrin. *de Prælat. q.3. cap.1. §. 4. n.106.*

QUÆR. III. An saltem Novitiæ voto religionis obstrictæ obligentur ad observantias regulares.

RESP. Negativè, quia votum non obligat nisi ad ingrediendum, vel ad perseverandum in religione; & sicut non tenetur ad horas canonicas, qui vovit suscipere Ordines Sacros, nisi fuerit verè ordinatus; ita neque tenetur ad regulæ præcepta, & onera, qui vovit suscipere religionis statum, nisi illum per solemnẽ professionem suscipiat. Ita Sotus, Thesaur. & Suar. Quod tamen locum non habet, si novitia aliqua se obligavit, ne dum ad religionis ingressum, sed etiam ad præcepta regulæ observanda, quia obligatio voti extenditur juxta intentionem voventis. Verùm si apertè non constet de tali intentione, dicendum est ad ingrediendum tantùm teneri, quia in dubio possessio stat pro libertate.

QUÆR. IV. An Novitię teneantur tempore probationis implere vota, quibus in sæculo erant adstrictæ.

Resp. Vota personalia, quæ cum religionis operibus non sunt compatibilia, probationis tempore sunt ipso jure suspensa, Palud. D. Antonin. Sylvest. & alii, quos refert Vecch. *disp.* 10. *dub.* 5. *num.* 5. Si operibus religionis non obstent, aggravent tamen, & reddant difficilem in religione perseverantiam, possunt suspendi per Abbatissam, Sanch. *in sum. lib.* 4. *cap.* 33. *num.* 33. quia in utroque casu sunt majoris boni impeditiva. Et quia hæc ratio locum non habet in aliis votis, sive personalibus, sive realibus, quæ religionis operibus non adversantur, ideo ad illa tenentur novitiæ, nec possunt per Abbatissam suspendi. In aliquo tantùm casu posset suspendi votum reale, nimirum, si novitia indigeret bonis, quæ habet, ad se alendum, quia monasterium non subministrat alimenta necessaria, vel non sufficientia; tunc enim militaret ratio superiùs tradita, nam expensis à novitia bonis in voti executione, redderetur multò onerosior religio, necessaria sustentatione deficiente. Sanch. *loc. cit.* qui advertit *num.* 39. quòd novitia ad sæculum rediens tenetur præfata vota servare, nisi sint annexa tempori, vel illi statui, ex ipsius voventis intentione.

Quær. V. An Novitiæ regularibus subjectæ subdantur casibus in religione reservatis.

Resp. Si Prælatus reservet eos etiam quo ad novitias, subjacere; ita Suar. Layman, Corduba, & alii penes Lezan. *tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 7. Quia Prælatus regularis jurisdictionem habet non solùm adversus professas,

sed

sed etiam adversus novitias, quatenus sunt partes religionis ab omni alia jurisdictione exemptæ. Secùs verò si eos reservet pro religiosis, nulla facta de novitiis mentione; quia novitiæ computantur inter religiosas quo ad favores, secus autem quo ad odia. Possunt tamen per religionis Prælatum absolvi à casibus, & censuris Ordinario reservatis, ante ingressum incursis, Sylvest. Tabien. & alii communiter. Verùm si antequam profiteantur, à monasterio recedant, in easdem censuras reincidere, tradit Rodriquez, quia absolutio per Superiorem impertita tacitam habet conditionem, *si novitia religionem fuerit professa*. Quod tamen negant Suar. Vecch. & Sanctor. quos refert, & sequitur Lezan. *tom.* 5. *in mari magno Minor. num.* 55. Quia novitiæ absolvi possunt sicut aliæ professæ; istæ non absolvuntur ad reincidentiam; ergo nec illæ.

QUÆR. VI. An si Novitia ingrediatur religionem ficto animo, & post aliquot menses, imo post expletum totum annum, mutata sententia, velit profiteri, teneatur annum novitiatus repetere.

RESP. Non teneri docent Suarez, & Sanchez, si per aliquos tantùm menses fictum animum retinuit; at quia rationes suadentes de aliquibus mensibus, militant etiam de toto anno, ideo Antonius à Spiritu S. absolutè sustinet non teneri. Nam novitiatus opere magis perficitur, quàm intentione; cum enim novitiatus institutus sit, ut novitia probet religionis austeritates, & religio novitiæ mores, id totum habetur non obstante

ficto animo, unde ceſſat repetitionis finis. Ob quam rationem citatus Sanchez, & Portel. *in dub. regul. v. Novitii nu.* 5. eximunt à repetitione novitiatus, ſi contingat ratificari profeſſionem nullam vel defectu ætatis, aut libertatis, vel quia facta eſt ante completum novitiatus annum, vel ex alio impedimento. Quod abſolutè non placet Bordono requirente, quòd Novitiatus ratificetur à Superiore, ad hoc ut legitimus habeatur.

QUÆR. VII. An Novitia capitulariter ad profeſſionem admiſſa, poſſit ante profeſſionem dimitti, emergente nova cauſa, vel veteri detecta, ſed priùs ignorata.

RESP. Poſſe, ut diximus *cap.* 2. §. 1. *qu.* 15. cum Peregrino, cui addo Peyrin. & Vecch. *diſp.* 12. *dub.* 7. Sicut enim revocari poteſt conſenſus ab altero conjuge ante ratum matrimonium, ſi aliquid ſuperveniat, quo cognito non fuiſſent contracta ſponſalia *cap. quemadmodum de jure jur.* Ita à Conventu ante profeſſionis emiſſionem poſſunt revocari ſuffragia valida, valet enim argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale, *capit. inter corporalia de translat. Epiſcop.*

QUÆR. VIII. Quænam Novitia priùs admittenda ſit ad profeſſionem, ac præcedere debeat, illa ne quæ priùs acceptata eſt ad habitum, an quæ priùs habitum ſuſcepit.

RESP. Pro Novitia priùs acceptata facit, quòd ex admiſſione, & acceptatione anteriori intrat privilegium antianitatis, ratione cujus hujuſmodi præcedentia deferri ſolet; *l.* 1. *ff. de alb. ſcrib. l. ſemper, ff. de jur. immun.*

cum

cum concord. Rota apud Seraphin. *decis.* 326. *num.* 3. & in una Millevitana *Antianitatis* 18. *Maii* 1633. coram Episcopo Urgellensi. Verùm tenendum est, præcedentiam deberi novitiæ, quæ prævenit in susceptione habitus; ex quo enim priùs susscepit habitum, priùs quoque complevit annum probationis, qui incipit ab hora susceptionis habitus. Anan. *cons.* 93. *nu.* 6. Bald. *in l. cum anteriorib. nu.* 2. *C. de tempor. appellat.* Atque adeo priùs est vel reiicienda vel admittenda ad professionem ex Concilio Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 16. ubi mandat finito anno probationis novitias ad professionem admitti vel reyci. Qua ratione etiam S. Congregat. declaravit præcedentiam deberi ei, quę priùs habitum susscepit. Barbos. *de jur. Eccles. cap.* 46. *num.* 56.

QUÆR. IX. An Novitiæ teneantur profiteri secundùm rigorem Regulæ.

RESP. Non teneri. Ideò enim regula non obligat moniales professas ad sui ipsius observantiam in suo primo rigore, quia, ex quo per contrariam consuetudinem fuit legitimè mitigata, quoad hoc amisit vim obligandi. Ergo neque obligabit Novitias ad profitendùm secundùm se ipsam in suo primo rigore, quia potentia semel extincta, nullum potest parere effectum. Ita Bordon. *de Paupert. Relig. cap.* 21. *n.* 43. *ubi n.* 45. subdit, quòd, ut Novitiæ sint tutæ in conscientia, non requiritur expressa intentio profitendi secundùm regulam mitigatam, sed sufficit implicita virtualiter contenta in consuetudine sic vivendi, quia eadem est virtus taciti, & expressi.

QUÆR. X. An Novitia frequentes ſtimulos, & lapſus carnis experta, poſſit religioſa vota emittere.

RESP. Videri, quòd non. Quia votum eſt de meliori bono, reſpectu autem talis Novitię ſtatus religionis non poteſt eſſe melius bonum, atteſtante Apoſtolo, quòd *melius eſt nubere, quàm uri*. Nihilominus affirmandum cenſeo cum Lugo *in reſp. moral. l.* 1. *dub.* 28. Quia Novitia poteſt prudenter credere ſibi expedire magis ad ſalutem ſtatum religioſum, in quo tranſacta tentationis vehementia, faciliùs poterit reſipiſcere, & corrigi, cum habeat optima Sociarum exempla, & diſciplinæ obſervantiam. Nec facilè ſibi poteſt perſuadere minorem ſe habituram in ſæculo occaſionem peccandi contra caſtitatem, quàm in religione, præſertim ſi nubere non poſſit juxta ſtatus decentiam, & ſine gravi incommodo.

QUÆR. XI. An Novitia delicatæ complexionis, quæ religionis auſteritates ita ſanitati obeſſe experitur, ut medicorum judicio vita ſit notabiliter abbrevianda, teneatur deſerere religionem.

RESP. Viſum eſt aliquibus teneri religionem deſerere, quia vitam ſibi abbreviando directè ſe ipſam occidit, quod eſt illicitum. At poſſe permanere, & profiteri, ſuſtineo cum Gobat. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 54. Quia præceptum de conſervanda vita obligat ſolùm ad evitanda pericula, quando non adeſt rationabilis cauſa ad illa ſubeunda, ſecus autem quando adeſt; unde vita poteſt exponi pro ſalute ſpirituali proximi. Cur igi-

tur

tur ob tam nobilem, & rationabilem causam, qualis est spirituali propriæ saluti consulere, non poterit novitia religionis austeritates etiam cum periculo vitæ subire? Maximè quia in præsenti casu periculum non est inevitabile; fieri enim potest, quòd tractu temporis prædictis incommodis assuescat, & vires reddantur, ad ferenda religiosæ observantiæ onera, promptiores.

QUÆR. XII. An novitia peccet egrediendo.

RESP. Si egrediatur ex minùs justa causa, non peccare docet Suarez. Quia ad hunc finem institutus est annus probationis, ut religio experiatur novitiam, & novitia religionem. Si exeat ex levitate, vel religionis tædio, peccare venialiter, affirmat Sanchez, quia cum hic egressus fiat sine fine honesto, atque adeò sit deordinatus, non potest excusari à veniali peccato. Si verò Novitia priùs voto religionis erat adstricta, peccare mortaliter docet Peyrin. cum aliis ab ipso relatis *loc. cit.* Licèt oppositum sustineant Gandav. Navar. & alii, & quidem probabiliter, teste Sanch. *lib.* 4. *cap.* 16. *nu.* 89. Quia votum intelligi debet juxta canones annum probationis concedentes: cùm igitur canones probationis annum concedant ad experiendam religionem cum omnimoda libertate, cum eadem libertate exeundi intelligendum est votum ingrediendi religionem.

QUÆR. XIII. An Novitia egrediens teneatur solvere expensas factas à Monasterio.

RESP. Non teneri, tradunt communi-

ter Doctores, quia multoties posset contingere, ut impotentia ad solvendum, libertatem tolleret ad egressum. Fallit tamen conclusio, quando intervenit pactum solvendi expensas, vel Religionis consuetudo, quæ est conformis Concil. Trident. *c. 16. de regul. sess.* 25. ubi præcipit omnia restitui Novitiis abeuntibus, *excepto victu, & vestitu*. Et proinde Sac. Congregat. Episcop. *die* 2. *Martii* 1635. decrevit expensas esse solvendas monasterio à consanguineis cujusdam novitii, qui ante professionem habitum exuerat. Lezana *tom.* 1. *qq. Regular. cap.* 24. *num.* 3.

QUÆR. XIV. An Novitia volens discedere, sit impedienda ex titulo, quòd non solverit expensas debitas vel ex pacto, vel ex consuetudine Monasterio.

RESP. Non posse, ut notant Doctores *in cap. non solum, de regular. in* 6. per illum textum, qui prohibet sub pœna excommunicationis impediri novitias, ne redeant ad sæculum. Possunt tamen repeti post discessum, & actio instituenda est contra ipsius bona, vel eorum, ad quos spectat eas solvere. Ita Doctores relati à Pasqual. *in Lauret. par.* 2. *qu.* 50. *num.* 4. ubi subdit, neque posse denegari professionem novitiæ nolenti solvere expensas debitas ex pacto, vel consuetudine, quia non solvere expensas non detrahit de habilitate, cùm sit quid extrinsecum, & habilitas attendatur secundum personalia; judicium autem, & deliberatio de admittendo, vel non admittendo ad professionem regulari debet secundùm mensuram qua-

qualitatum personalium. Quod tamen limitandum est, nisi non solutio argueret aliquod vitium personale, quia tunc ratione talis vitii posset reiici.

QUÆR. XV. An Novitiæ egredienti sit restituendus habitus factus suis expensis.

RESP. Omnes vestes esse restituendas per verba illa *omnia restituantur*, quibus utitur Concil. *d. cap.* 26. *in fin.* Dictio enim *Omnis* est universalis, ut cum aliis citatis probat Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 101. *num.* 39. ubi refert, Sac. Congtegationem censuisse, habitum religiosum non esse exeunti restituendum, sed tantùm ei solvendum ejus pretium, habita ratione valoris illius temporis, quo eum deponit, non quo factus est, ut notat Peyrin. *loc. cit.* subdens *num.* 108. quòd si dictus habitus emptus sit non pecunia novitiæ, sed eleemosynis devotorum, eo fine datis, ut religionem ingrederetur, tunc non venit ex justitia restituendus; cùm enim convenire non possit novitiæ nisi quatenus religiosæ, censetur datus intuitu religionis, & per consequens religioni. Sicuti, licèt legatum factum Episcopo ab ejus consanguineo censeatur intuitu personæ relictum, *cap. requisisti de testament.* si tamen est de re convenienti Ecclesiæ, Ecclesiæ acquiritur, quia ex qualitate rei donatæ præsumitur intuitu Ecclesiæ relictum, Sanch. *de matrim. lib.* 6. *disp.* 26. *num.* 15.

QUÆR. XVI. An Novitiæ possint sibi eligere sepulturam.

RESP. Posse, quia cùm nondum sint obedientiæ voto astrictæ, habent proprium

velle, & nolle; unde etiam testari possunt, & alia similia exercere, in quibus requiritur proprium velle, & nolle. Ita Armil. Tabien. Villalob. & Diana *part.* 5. *tract.* 3. *ref.* 109. contra Lavor.

QUÆR. XVII. Ubi sepelienda sit novitia si decedat non electa sepultura.

RESP. Esse sepeliendam in Monasterio. Ita Sanch. Grat. Lavor. & Peyrin. *loc. cit. num.* 130. Quamvis enim novitia non sit incorporata religioni, est tamen ipsi aggregata in ordine ad experiendum, & est religioni addicta in ordine ad Sacramenta, etiam quæ à Parocho ministrari debent, ut Viaticum, Extrema Unctio, & Communio Paschalis. Unde cùm non sit ampliùs subdita Parochi, sed religionis subjectione voluntaria, quoad sepulturam quoque spectabit ad Monasterium.

QUÆR. XVIII. Quid agendum, si novitia esset in proposito redeundi ad sæculum.

RESP. Non esse in monasterio sepeliendam, sustinet Sylvester, quia ex voluntate redeundi ad sæculum resultat evidenter, quòd velit in sæculo mori, & per consequens, quòd eligat in sæculo sepulturam. Oppositum tamen tradit Pasqual. *loc. cit. q.* 57. *nu.* 3. Nam hoc propositum non extrahit Novitiam à statu novitiarum, sicuti neque voluntas mutandi Parochiam subtrahit à jure parochiali, sed requiritur factum solvens illum contractum, quo novitia se tradidit experiendam religioni; siquidem actualis reditus, non voluntas redeundi ad sæculum facit redi-

redire. Unde non sufficit in hoc velle, sed requiritur executio, *l. quidam cum filium ff. de hæred. instit.* ubi Imola, Bartol. & cæteri Doctores.

QUÆR. XIX. Quibus expensis sepeliенda sit novitia.

RESP. Ex Peyrin. Layman, Samuele, & Lezana, si ex pacto, & consuetudine tenetur novitia solvere expensas alimentorum, tunc manebit obligatum ejus patrimonium, seu bona ipsius ad expensas pro sepultura, quia expensæ pro sepultura sunt accessoriæ ad expensas alimentorum, & qui tenetur alere, tenetur etiam curare sepulturam. Si verò Novitia non tenetur ad expensas alimentorum, tunc, quia Monasterium recipiens novitiam se obligat ad alendum, manet etiam obligatum ad expensas sepulturæ.

QUÆR. XX. An Novitiæ possint in mortis articulo profiteri intra annum probationis.

RESP. Posse, ut supra innuimus, *cap.* 2. §. 6. *q.* 2. dummodò sextumdecimum ætatis annum expleverint, quia hoc expressè mandatur in privilegio. Non per hoc monasterium succedit in dote, ut pariter dictum est *cap.* 2. §. 5. *q.* 24. & censuit Sac. Congregat. Concil. *in una Ordinis S. Francisci Minor. observ. die* 20. *Martii* 1649. *ad cap.* 15. *sess.* 25. *de regular.* Atque adeo non tenetur ad suffragandum animæ novitiæ defunctæ, neque ad orationes, & sacrificia, pro aliis monialibus fieri solitas; quia cum non sentiat commodum ex professione illa novitiæ, ne-

que incommodum sentire debet. Caram. *Theol.regular. n.*464.

QUÆR. XXI. An Novitiæ gaudeant privilegio canonis, & fori.

RESP. Gaudere; quia in favorabilibus novitius venit appellatione monachi, & quamvis sit tantùm in via ad monachatũ,reputatur tamẽ pro persona eccesiastica, ut tenet Glos. *in cap.religioso §. quamvis de sent. excom. in* 6. ubi Geminian. & cæteri Canonistæ. Nec refragatur,quòd novitiæ possint redire ad sæculum, nam etiam clerici in minoribus redire possunt ad statum laicalem, & tamen quandiù in statu clericali vivunt, censentur personæ ecclesiasticæ. Hinc est quòd Novitiæ ex receptissimo usu immunes sunt ab onere quoad personas, & quo ad bona, ut docent Molina cum aliis relatis à Pignatel. *t.4.consult.* 119. *n.* 6. Ubi ex probabiliori sententia extendit supradicta privilegia etiam ad novitias impuberes, quia verè sunt Deo dicatæ, nam sunt acceptatæ ad religionem per legalem, & juridicam susceptionem habitus regularis, juxta morem, & prescriptum religionis. Atque adeò, licèt non sint propriè novitiæ, quatenus non sunt intra annum probationis, sunt tamen cooptatæ ad communicandum in habitu religioso.

QUÆR. XXII. An Novitiæ gaudeant privilegiis religionis.

RESP. Gaudere; sunt enim etiam ipsæ pars, & membrum religionis, unde debent cum suo toto communicare; & si religionis sustinent onera, æquum est, ut sentiant

etiam

etiam favores, & privilegia. Ita aliis relatis Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 73. contra Rodriq. & Portel. negantes gaudere privilegiis, quæ conceduntur religiosis professis, nisi id ipsum in concessione exprimatur, uti de facto interdum exprimitur. Gaudere quoque religionis indulgentiis sicut moniales professæ, tradunt Casarub. Portel. & Rodriq.

§. V.

De Sacristanæ obligationibus, & Privilegiis.

QUÆR. I. AN Sacristana peccet mortaliter, si negligat conservare lampadem accensam coram Sanctissimo.

RESP. Affirmativè; quia eadem reverentia debet Eucharistia in ciborio custodiri, ac in sacrificio offerri, cùm sit idem Corpus Christi, quod custoditur in cibario, & offertur in sacrificio. Si igitur peccaret graviter, ex communi Doctorum sententia, offerens Corpus Christi sine lumine in Missa, peccabit quoque graviter castodiens illud sine lampade accensa. In utroque enim casu læditur maximè cultus divinus, Ecclesiæ consuetudo antiquissima, & lex canonica imposita *in cap. sanè de celebr. Missar.* Quare cùm cura, & obligatio, ut lampas semper colluceat coram Sanctissimo, Sacristanæ moniali sit specialiter demandata, peccat mortaliter negligendo. Ita Quintanadven.

Vol-

Volpi. Gobat. & Diana *t. 2. in opere coord. tract. 1. resol. 154.* Ubi tamen à peccato gravi illam excusat, si per dimidiam, vel unam horam, aut etiam aliquid amplius lampas non ardeat ex negligentia.

QUÆR. II. An Sacristana respondere possit in Missa, si adsit qui inserviat Sacerdoti, respondere tamen non calleat.

RESP. Ex Layman, Lugo, Martinon. & Dicastil. quos refert & sequitur Pasqualigus, *de Sacrif. nov. leg. q. 343. num. 5.* respondere posse de longe, quia in hoc non præstat propriè ministerium circa altare, quod est prohibitum *in cap. Sacratas dist. 23. & cap. inhibendum de choabit cler. & mulier.* sed se habet in respondendo tanquam populus assistens Missæ.

QUÆR. III. An Sacristana possit colloqui cum Capellanis, aut Concionatoribus suæ Ecclesiæ inservientibus.

RESP. Posse in his tantùm, quæ pertinent ad suum officium; concesso enim exercitio sui muneris, conceditur etiam totum id, quod pertinet ad hujusmodi muneris exercitium, *l. 2. ff. de jurisd. omn.* In reliquis verò ipsi quoque est interdictum colloquium, cum nulla suppetat ratio, quæ eam à generali prohibitione excludat. Unde Sac. Congregatio, ad tollendam Sacristanæ quamcunque occasionem colloquendi cum extraneis, præcepit, ut rota, seu fenestella, ex qua exponuntur sacræ vestes ad usum Sacrificii Missæ, duplici clave obseretur, quarum altera sit penes Abbatissam, altera apud Confessarium. Nald. *verbo monialis nu.* 10.

Tum

Tum ut clavis Feneſtellæ, ex qua moniales ſumunt Sacram Communionem, perpetuò maneat apud Confeſſarium, Gavant. *in manual. v. monialium Eccleſiæ num. 7.* Tum ne moniales poſſint habere oſtium, per quod è propria clauſura pateat acceſſus ad Eccleſiam earum exteriorem, Gregor. XIII. *Conſtit.* 8. Tum ne permittatur in earum Eccleſiis à perſonis ſæcularibus cantus ſimplex, vel figuratus, Barboſ. *de jur. eccleſ. lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 6. multò minùs acceſſus ſæcularium ſub prætextu docendi eas ſonum cymbalorum, vel alterius inſtrumenti, aut etiam muſicam, vel cantum, etiam ad crates, idem *loc. cit. num.* 62. Neque ut ibi inſtituantur Confraternitates laicorum, Sac. Congregat. 6. *Novembr.* 1595.

QUÆR. IV. An peccet mortaliter Sacriſtana admittens in ſua Eccleſia præter proprios Capellanos alios Sacerdotes ad celebrandum contra Superioris prohibitionem.

RSSP. Si nulla ſit impoſita gravis pœna, & aliæ non concurrant circumſtantiæ, venialiter tantùm peccare, quia cum ſimplex prohibitio ſit indifferens ad obligandum ſub mortali, vel ſub veniali, dicendum eſt ſub veniali tantùm obligare, Sanchez aliis relatis *in decal. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 26. nam ſumenda eſt illa interpretatio, qua efficitur, ut quis minùs obligetur, *ex l. ſi peculium* §. *ſicut ff. de pecul.* & notant Cravet. Pariſ. & Menoch. Si verò prohibitioni ſit addita gravis pœna, v. g. major excommunicatio ipſo facto incurrenda, tunc cenſeo mortaliter peccare, quia additio talis pœnæ oſtendit, men-

mentem Superioris esse obligare sub gravi, nam excommunicatio major nunquam imponitur nisi ob peccatum mortale. Neque excusari potest ex eo, quòd in una, vel altera admissione nulla adsint inconvenientia, quia satis est, quòd frequenter adsint; horum namque frequens periculum prætendit Superior suo præcepto removere.

QUÆR. V. An peccet Sacristana admittens Sacerdotes advenas, & peregrinos sine litteris testimonialibus ad celebrandum.

RESP. Graviter peccare, quia exponit se periculo admittendi, qui non debet admitti, & suo modo cooperatur peccato admissi, Pasqualig. *de Sacrif. nov. leg. q. 366. num. 2.* Ubi addit hoc non habere locum, dummodò aliud non obstet, si Sacristana cognoscat personam, & sciat talis esse conditionis, quòd non celebraret, si aliàs haberet aliquod impedimentum.

QUÆR. VI. An Sacristana Monasterii regularibus subjecti peccet admittendo Sacerdotes advenas ad celebrandum cum litteris quidem testimonialibus, sed non recognitis ab Episcopo, si hoc ab ipso monialibus etiam exemptis prohibeatur.

RESP. Non peccare, sustinere debent Doctores asserentes non posse Episcopum præcipere regularibus, ne admittant, quia præceptū dirigi solum potest ad subditos, & pro locis subjectis, *cap. ut animarum de constit. in 6.* Regulares autem exempti, & eorum Ecclesiæ non subiiciūtur Episcopis. Quæ ratio militat etiam pro monialibus regularibus subjectis, cum fruantur suorum Ordinum privilegiis.

Op-

Oppositum tamen sustinendū ex S.Congreg. *in Bononien.2.Julii* 1620.quæ respondit,*Non licere regularibus in suis Ecclesiis admittere presbyteros sæculares contra prohibitionem Illust. Archiepiscopi*.

QUÆR. VII. An peccet Sacristana exponendo Capellanis celebraturis vestes sacras laceras, aut immundas.

RESP. Peccare; & quidem mortaliter,si notabiliter sint immundę,aut laceræ.Desumitur ex Stephano Papa relato *in c. Vestimenta de consecrat.dist.*1. ibi,*Vestimenta ecclesiastica, quibus Domino ministratur,& sacrata debent esse,& honesta.*In eo autem consistit honestas ipsorum, quòd sint decentia pro functione, cui debent inservire; non sunt autem decentia,si sint lacera, vel immunda. Quod expressiùs habetur ex Innocentio III. in Concil. Lateranen.relato *in cap.2. de custod.Euchar.*ubi præcipit, vestimenta &c. munda, & nitida conservari,reddens rationem, *Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis*. Hanc sententiam sustinent Suar.Facund. & alii.

QUÆR. VIII.Qando nam vestes sacrę censendæ sint notabiliter laceræ, aut immundæ.

RESP. Non posse certam regulam definiri, sed hoc prudentis arbitrio esse relinquendum. Censet tamen Pasqual. *de Sacrif. nov. leg. q.* 185. *num.* 5. tunc esse notabiliter immundas, aut laceras, quando si tales essent vestes communes, virum nobilem dedecerent. Et subdit, quòd in judicando, quando sint, vel non sint notabiliter laceræ, aut immundæ, habenda est ratio qualitatis

Ec-

Ecclesiæ, pro qua inserviunt; nam quæ tales erunt respectu Ecclesiæ, in qua nobiliori modo tractari solet cultus divinus, non erunt tales respectu ecclesiæ pauperis, respectu cujus immunditia, & attritio magis conspicua esse debet. Advertit insuper, quòd, quàm difficile est, in hac materia mortaliter peccare, tam facile est peccare venialiter; quia quælibet indecentia, quæ insurgat ex vestibus immundis, aut laceris, sufficit pro veniali peccato.

QUÆR. IX. An Sacristana peccet convertendo vestes sacras in usus prophanos, dum retinent propriam formam.

RESP. Peccare, ex Pasqual. *loc. cit. q.*821. Quando enim res sacræ convertuntur in usus prophanos, suo modo violantur, & fit Deo injuria, & ideò tanquam violatæ remanent indecentes respectu cultus divini. Hinc peccati quoque est damnanda, si prædictas vestes concedat pro recitatione alicujus comædiæ sacræ à monialibus in monasterio repræsentandæ. Quia, licèt comediæ argumentum sit sacrum, & in loco religioso recitetur, ipsa tamen recitatio est prophana, atque adeò dictarum vestium violativa, unde excluditur hujusmodi usus. Verùm excusari in hoc casu à peccato docet Dicastillus *tr.* 5. *de Sacram. disp.*4. *dub.*11. *nu.*231.

QUÆR. X. An supellectilem sacram possit convertere in usus profanos, postquam amisit formam.

RESP. Posse, quia tota exigentia reverentiæ, quæ ipsi debetur, fundatur in eo, quòd sit sacra, mediante benedictione: ergo

ces-

cessante benedictione cessat etiam reverentiæ exigentia; cessat autem benedictio, & sanctificatio, dum destruitur forma, & ideò disponi potest de materia, ac si nunquam fuisset materia rei sacræ. Nihilominus, quamvis non sit necessarium, quòd vestes sacræ, amissa consecratione comburantur, sed possint in prophanum usum converti, decentissimum est comburi, quia Sacri Canones hoc ipsum præscribunt de convenientia, Pasqual. *loc. cit. q.* 834. *nu.* 9.

QUÆR. XI. An peccet Sacristana, si vestes, & alias supellectiles sacras non pretiosas, dum amiserunt formam, vendat, & commutet, ut de melioribus provideat.

RESP. Ex Lopez, & Manuel, quos refert, sed non sequitur Sanch. *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 67. non peccare, quia talis venditio, aut commutatio non habet propriam distractionis, aut consumptionis rationem, cùm nullam inde jacturam patiatur conventus, imò melioretur, unde potest rationabiliter supponi interpretativa Superioris licentia. Hoc tamen non admittit Bordonus in iis conventibus, in quibus practicatur licentia formalis, & expressa.

QUÆR. XII. An Sacristana possit tangere calices, corporalia &c.

RESP. Posse. Quia peccatum veniale quod aliàs committeretur, excluditur ex necessitate officii, ratione cujus mutare debet dicta vasa, & corporalia, quod sine tactu non potest præstare, unde consurgit tangendi rationabilis causa. Ita in terminis Pasqu. *loc. cit. qu.* 839. *num.* 9. ubi adducit Quintanad.

nad. & Suarez. Cessatque omnis dubitatio attento Privilegio Sixti IV. Ordini S. Augustini Congregationis Lombardiæ concesso, in quo indulgetur, quòd omnes laici professi, dum Sacristarum officium exercent, possint tangere calices, patenas &c. Poterunt igitur & moniales, cum & ipsæ gaudeant Regularium privilegiis etiam per viam communicationis, ut dictum est suo loco, licèt Episcopis sint subjectæ. Hinc est, quòd etiam possint lavare corporalia, & purificatoria; quod debet intelligi de corporalibus, & purificatoriis inservientibus propriæ Ecclesiæ, quia privilegium est concessum ratione officii, & officium tale non exercetur nisi ratione propriæ Ecclesiæ.

QUÆR. XIII. An peccet Sacristana, si aquam, in qua primùm lavantur corporalia, & purificatoria, non proiiciat in sacrarium.

RESP. Non peccare, secluso contemptu. & dummodò in decenti loco proiiciatur. Ita Ludovic. à S. Joan. *in sum. q.* 11. *de Euchar. art.* 2. *dub.* 1. *difficul.* 4. *app.* 1. Nam circa hoc nullum adest præceptum, cum Canon, *Nemo per ignorantiam de consecrat. dist.* 1. quoad hanc partem lotionis sit solùm directivus, & ideò solùm servari debet, quod exigitur ex natura rei, nempè ut non proiiciatur in loco immundo.

QUÆR. XIV. An Sacristanæ liceat in die festo lavare vasa sacra, purificatoria, & alia hujusmodi pro notabili tempore aliàs sufficienti ad peccatum mortale.

RESP. Licere; quia quamvis lavare de se

sit

sit opus servile, dum tamen versatur circa rem sacram, desinit esse servile, nam pertinet ad munus personæ Deo dicatæ quatenus talis est, persona autem Deo dicata quatenus talis est, non est destinata operi servili. Item potest ornare templum, verrere illud, & conficere hostias pro Missis celebrandis, quoties ex causa justa non potuerunt prædicta opera præveniri, Cajet. 2. 2. *qu.* 122. *art.* 4. *& in sum. v. festarum violatio*. Ubi addit, posse prædicta fieri in die festo, licèt ex negligentia non fuerint facta pridie festi, quia jam sunt necessaria in die festo. Hæc autem negligentia rarò, aut nunquam erit peccatum mortale, sed ad summum veniale, quando Sacristana putans bona fide posse fieri in festis, relinquit ea tunc facienda. Sanch. *tom.* 2. *Cons. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 23. *nu.* 4. cum aliis à se consultis.

QUÆR. XV. An Sacristana per notabilem diei partem vacans ornatui Ecclesiæ excusetur à jejunio.

RESP. Excusari. Ita Bassæus, Bonac. Trullenc. & Molfesius, qui expressè loquitur de religiosis *part.* 1. *sum. tract.* 10. *cap.* 4. *nu.* 42. & ratio est, quia labor, quem subit, notabilis est; nam huc, & illuc discurrendo portando ornamenta, & alia hujusmodi exercendo fatigatur. Unde labor ipsius æquiparari potest labori artificum, qui ratione artificii excusantur à jejunio. Et hæc excusatio extenditur etiam ad jejunia præscripta sub mortali in regula. Nam, ut diximus *cap.* 8. §. 4. *qu.* 5. cum Doctoribus, jejunium regulæ obligat ad instar præcepti ecclesiastici,

unde

unde cessat obligatio ipsius ex iisdem causis, ex quibus cessat obligatio præcepti Ecclesiæ, & proinde etiam ratione laboris. Quòd si nihilominus jejunium velit servare, potest illi largior colatiuncula indulgeri. Pasqualig. *de jejun. decis.* 312. *nu.* 2.

QUÆR. XVI. An possit aliquid dare proprio Ordinario occasione suarum festivitatum.

RESP. Negant Berti, & Hieronymus Sorbo; concedit Valerus *in suis differ. uriusque fori v. munera num.* 81. quia Bulla prohibens largitionem munerum intelligit, quando darentur pro pretio rerum spiritualium, non autem si dentur in quandam remunerationem incommodi suscepti, & honoris præstiti.

QUÆR. XVII. An non obstante prohibitione quòd nihil donetur extraneis occasione festivitatum, professionis &c. possit Sacristana aliquid elargiri Capellanis, aliisque Ecclesiæ inservientibus.

RESP. Quòd sic. Ita Valer. *loc. cit. n.* 82. Quia hæc non tam sunt munera quàm onera fiunt enim loco competentis salarii, salaria enim sunt communiter tenuiora, & habito respectu ad prædicta munera acceptantur per Capellanos, aliàs sine ipsis muneribus non acceptarentur. Adde quòd donatio facta occasione festivitatum, professionis &c. est donatio ob causam, & in remunerationem majoris laboris, quem subeunt, unde hæc non cadit sub prohibitione, quia donatione simpliciter prohibita, non prohibetur remuneratoria. Bald. *in authen. ex testamen-*

mento C. de collat. quem sequuntur ibi Corn. & Rom.

QUÆR. XVIII. An liceat Sacristanæ in illis diebus, in quibus habentur generales confessiones, prandium ministrare Confessario in Sacristia.

RESP. De Confessario regulari extat decretum Sac. Congregationis, 13. *Septemb.* 1583. in quo prohibetur, quòd nemo regularium, quacunque de causa, comedat, aut refectionem corporalem sumat in locis ubi sunt crates, vel rotæ in monasterium correspondentes, vel in locis adeo vicinis, ut videri, vel audiri possit à monialibus; neque ante portam clausuræ eadem refectio corporalis permittatur, multo minus intra clausuram, etiam si Superiores Ordinum essent. Et tunc tantummodo indulgetur refectio in prædictis diebus, quando Confessarii habitatio, aut virorum domus, aut monasterium in quo, à monialium, seu sororum monasterio, vel domo nimium distat. Quæ omnia militant etiam quo ad Confessarios sæculares, cum decreti finis, qui est occurrere scandalis, quæ contingere possunt, etiam ipsos comprehendat.

§. VI.

De Infirmarum obligationibus, & Privilegiis.

QUÆR. I. AN monialis infirma teneatur jussis medici obtemperare.

RESP. Salas *de legibus* relatus à Diana *in opere*

*opere coord.t.8.trac.8.ref.1.n.3.*putat, teneri ſub mortali, quia quilibet infirmus tenetur ad omnia ſimpliciter ob conſervationem ſuæ ſalutis neceſſaria, cum nemo ſit dominus ſui corporis, unde quidquid à medico præſcribitur tanquam neceſſarium ad ſalutem, tenetur exequi. Oppoſitum ſuſtinet Duardus *in cap.omnis utriuſq;ſexus tom.* 2. *diſp.* 25.*ſect.* 3. *num.* 3, aſſerens, quòd quamvis bonum ſit medicis fidem adhibere, quia unicuique experto in propria arte credendum eſt, nihilominus non tenetur infirma obedire medico ex præcepto, quoniam non eſt ipſius Prælatus. Hinc deducit, quòd quamvis medicus decernat ſecundum regulas artis neceſſariam eſſe infirmæ ad conſervationem vitæ ſectionem membri, ſi tamen ex cauſa talis ſectionis eſſent ingentes cruciatus tolerandi, poteſt infirma ſectionem recuſare, eſtò ex ejuſdem omiſſione credat certò ſe morituram; ſi quidem nemo tenetur cum tanto cruciatu vitam ſuam ſervare, ut habetur ex Azor. Leſſ. Molfeſ. & Diana, qui tamen id limitant non procedere, quando medici judicarent ſectionem eſſe neceſſariam ad vitæ conſervationem, nec magnos dolores eſſe perferendos; in hoc caſu teneretur ipſis parere non diſtincto præceto obedientiæ, ſed tantùm præcepto, quo quiſque adſtringitur propriam vitam conſervare.

QUÆR. II. An̄ monialis cancro, vel alio morbo graviſſimo in verendis laborans, teneatur chirurgi curam ſubire.

RESP. Non teneri. Tum quia nemo tenetur admittere curationem, à qua non minus

nus abhorret quàm ab ipso morbo, vel morte. Tum quia cum pudicitia sit grande bonum, potest illam vitæ præferre, licèt etiam possit sine peccato curationem permittere quamvis prævideat ex contactu pravos aliquos motus subortituros; isti enim sunt planè involuntarii, & contactus moraliter honestus, quia cùm fiat causa medendi, est consentaneus rectæ rationi. Ita Navar. Sà, Less. & alii relati à Diana *in opere coord. t.8. res.2.* ubi addit, quòd si medicamenta possent adhiberi à fœminis, tunc utique tenetur monialis illa sufferre, & verenda prædictis fœminis ostendere, nam cessant in hoc casu rationes pro affirmativa sententia adductæ, scilicet ratio verecundiæ, & periculum motus sensualis, qui à chirurgi contactu posset oriri.

QUÆR. III. An peccet monialis, quæ respuit humanum remedium, quod facilè haberi potest, soli se Divinæ Providentiæ committens.

RESP. Peccare, quia graviter delinquit contra præceptum, *Non tentabis Dominum Deum tuum*; Deum enim tentat, qui habens quod faciat, sine ratione exponit se periculo, experiens utrum liberari possit à Deo. Ita D. Tho.2.2. *q.97. art.*1.& Cajetan.ibi. limitans, quòd si citra mortis periculum respuatur medicina ad experiendos dolores, & sustinenda incommoda ob carnis mortificationem, & Jesu Christi Passionis participationem; tunc laudabile est, & meritorium.

QUÆR. IV. An possit respuere ad abbreviandam vitam, ut citiùs ab hujus vitæ ærumnis sit libera.

Resp. Non posse; quia præsentium ærumnarum evasio non est bonum tanti momenti quod bono vitæ valeat comparari, multò minùs rationabiliter anteferri. Ita Victoria, Ledesma, & alii apud Sanch. *Opusc. lib. 5. c. 1. dub. 33. n. 9.* Quousque igitur adest spes vitæ, non potest medicamenta respuere, quia nemo est dominus suæ vitæ. Non per hoc tamen, ut benè advertit Duard. *loc. cit. n. 6.* debet monialis, plusquam par est, esse sollicita, ut advocentur insignes medici, & pharmaca subministrentur pretiosa, quia hoc esset in grave monasterii damnum, & voti paupertatis detrimentum; eò vel maximè, si monialis infirma talis esset, quæ, si moraretur in sæculo, ad suas infirmitates vix ordinarium medicum adhiberet.

Quær. V. An monialis infirma laborans siti maxima in febris accessu, peccet, si bibat.

Resp. Si non advertat potum esse nocituram, vel si advertens putet, quòd ex illo non eveniet nisi dolor aliquis capitis, vel molestior tantùm febris, non peccat mortaliter, parvitate nocumenti excusante. Ita cum Navarro, & Cajetano, Sanchez *loc. cit. n. 7. & 8.* Mortaliter verò peccaret, si evidens mortis periculum consurgeret, vel infirmitas per longum tempus protraheretur cum gravi monialium incommodo, & monasterii detrimento.

Quær. VI. An, & quando monialis infirma excusetur à recitatione Officii.

Resp. Excusari, si ita laborat, ut non possit sine gravi incommodo, aut damno Officium

ficium recitare; secùs si ægritudo sit levis, neque ullum, aut saltem leve incommodum allatura. Ita communiter Doctores. In dubio standum est judicio medici, non quia medicus dispenset in obligatione, sed quia declarat morbi gravitatem, qua posita, ex se ipsa cessat obligatio. Quòd si contingat, ut etiam medicus de hujusmodi gravitate sit dubius, vel simpliciter conveniri non possit, obligari ægrotam ad horas canonicas tradit Suarez, quia obligatio recitandi horas canonicas est certa, dubia autem excusatio. At ab omni onere eam liberat Bonac. *de Hor. can. disp.* 1. *q.* 6. *punc.* 2. *n.* 5. quia licèt sit dubium an nocitura sit illa recitatio, tamen periculum an sit nocitura certum est. Quoniam ergo possessio, quam habet homo, non se exponendi periculo gravi, est prior præcepto recitationis Officii, illa prævalet, & excusat. Sed multò tutius est in tali casu consulere Abbatissam, quæ ex vi privilegii ministerialiter dispenset.

Quær. VII. An, si infirma possit insumere, & de facto insumat bonam diei partem familiariter colloquendo, aut libros recreationis causa lectitando, vel acu pingendo, debeat inferri, quòd etiam possit Officium recitare.

Resp. Cum Baldel. *tom.* 2. *lib.* 3. *disp.* 37. *num.* 16. negativè. Illa si quidem non requirunt serietatem, & attentionem, sed potiùs animum recreant, unde non possunt morbum gravare; e contra verò res seria est oratio, & recitatio, & ex sui natura animum colligit, molestiam adducit, & mentem gravat.

Neque ex eo quòd morbus aliquis, v. g. febris jam ceſſavit, ſtatim ad horas canonicas obligari debet infirma, ſi poteſt timeri ne morbus iterum revaleſcat, vel adhuc remaneat virium debilitas ex præcedenti morbo relicta, nam debilitas illa infirmitas quædam eſt, & excuſat.

Quær. VIII. An dolores, & ægritudines, quæ certis temporum intervallis recurrunt, & non durant tota die, ut eſt febris quartana, aut tertiana levis, ab horis canonicis ſimpliciter excuſent.

Resp. Non excuſare, quia illarum recitatio poteſt, immò debet anticipari, aut poſtponi pro aliis partibus diei, quibus ægritudo non urget. Ita Doctores relati à Baldel. *loc. cit. num.* 19. Quod intelligendum ſemper eſt, dummodò anticipatio, aut poſtpoſitio nocere non poſſint vel acceſſioni ſuperventurę, vel debilitati à præterita febri relictæ: qua in re ſi infirma ſit dubia, medicum conſulat, & quieſcat.

Quær. IX. An monialis infirma, quæ non poteſt recitare matutinum, & laudes, dubitat autem an poſſit reliquas horas, teneatur ad illas.

Resp. Si verè dubia ſit an poſſit, dicendum eſt de parte, quod ſuperiùs diximus de toto Officio. Quòd ſi certò conſtet ægrotam poſſe ſine gravi incommodo recitare aliquas horas, tenetur ad illas. Ratio eſt, quia materia præcepti indicentis horas canonicas eſt diviſibilis, unde etiam præceptum ipſum eſt diviſibile, atque adeo qui non poteſt implere majorem partem præcepti, tenetur ad mi-

minorem, quàm potest. Neque subsistit, quòd major pars trahit ad se minorem, & per consequens si desit potentia ad majorem Officii partem, cesset obligatio ad reliquam, ad quam fortè est potentia. Hæc enim doctrina remanet proscripta *in propositione* 54. inter damnatas ab Innocentio XI.

Verum tamen est, quòd si infirmitas impediat indefinitè divinum Officium, ut est febris gravis, vel aliquid simile, non est scrupulosè inquirendum, an possit infirma unam, vel alteram horam legere, ut notat Suarez *t. 2. de Relig. tract. 1. lib. 4. cap. 28. num. 27.* quia excusatio ex se indefinita æquivalet universali, ita enim consuetudo hanc legem interpretatur. Et fortasse ratio est, quia est valdè difficile in hujusmodi occasionibus attingere punctum in judicando, quid possit homo dicere, vel non dicere sine gravi incommodo, & ideò satis esse creditur, quòd Officium ipsum dici non possit sine notabili damno.

QUÆR. X. An infirma, quæ ex se quidem totum non potest Officium legere, potest autem cum socia, teneatur, vel sociam quærere, vel admittere si se offerat. Ad neutrum teneri, tradit Diana *in opere coord. t. 3. tract. 6. resp. 97. nu. 3.* Quia recitare cum socia, privilegium, & favor est, quo non uti liberè potest; alioquin, contra commune axioma, favor in gravamen verteretur.

QUÆR. XI. An monialis postquam febris, aut alia infirmitas illam deseruit possit Officium prætermitere dum convalescit.

Resp. Posse, quia imbecillitas à morbo relicta reputatur infirmitas, & Ecclesia, quæ est pia mater, vult ægris requiem aliquam indulgere. Ita Trullenc. & aliis relatis Sanch. *tom.* 2. *consl. lib.* 7. *cap.*2. *dub.* 45. *num.*5. Per quot autem dies possit ab Officio vacare, non potest statui certa regula, nam ex majori, vel minori morbi præteriti duratione, aut vehementia, validiori, aut graciliori complexione, ætate vivida, vel senili, potest remanere in moniali major imbecillitas, ratione cujus debeat major vel minor vacatio ab Officii recitatione indulgeri. Unde standum est prudentis arbitrio.

Quær. XII. An postquam convaluit possit diebus non impeditis in privata recitatione legere Officium de Sanctis duplicibus, aut semiduplicibus tempore infirmitatis omissis.

Resp. Videri quòd sic, per ea, quæ tradit Quintanad. *tract.* 8. *singul.* 9. *num.* 2. Ubi licèt loquatur de Officio omisso ex errore, vel oblivione, attamen, ut observat Lugo *in resp. moral. lib.* 5. *dub.* 8. *num.*8. etiam de impedimento orto ex infirmitate concludunt rationes ab ipso adductæ. Quarum prima est, quòd tunc transfertur è proprio die in alium diem nō impeditum Officium duplex, aut semiduplex, quando proprius dies est impeditus; cum igitur dies proprii Officiorum duplicium, vel semiduplicium in præsenti casu fuerint ab infirmitate impediti, poterunt eadem Officia in alios dies non impeditos transferri, atque adeo extra convalescentiam recitari. Secunda; Jure suo nemo

pri-

privandus est absque culpa sua, *l. crimen. ff. de pœnis l. sancimus C. eod. tit. c. ad fin. de his quæ fiunt &c.* Sed Sanctus, & recitans jus possident, ut de tali festo recitetur semel in anno, ergo hoc jure non debent privari ratione infirmitatis quæ illorum non fuit culpa. Tertia; Vvulgata juris regula est, quòd impedito non currit tempus. Cum igitur ratione infirmitatis fuerit impeditus dies festivatis illius Sancti, perinde est ac si proprius ejus dies non pertransisset; & die non impedito poterit recitari.

Neque ex hoc sequitur, ait idem Auctor, quòd posset etiã monialis recitare Officium Paschatis, si eo die fuisset infirma. Nam non transfertur Officium Paschatis, sicuti transfertur Officium de duplici, aut semiduplici, & ideo si illud non est recitatum proprio die, est omnino omittendum, & sic dicendum de Officiis aliarum solemnitatum, quæ translationi non subjacent.

Verùm oppositam sententiam absolutè sustineo cum Lugo *loc. cit.* qui prædictam opinionem reiicit tanquam singularem. Ratio est, quia rubrica de trãslatione festorum non loquitur universaliter de omni impedimento, sed solum quando dies impeditur Officio Dominicæ, vel festi, aut feriæ privilegiatæ tunc occurrentis. Adeoque concedit, imò & præcipit tantùm hujusmodi translationem quando impedimentum se tenet ex parte diei, non verò ex parte recitantis, pro ut in casu.

Quod pariter suadetur, quia ritus divini Officii recitandi non debet esse privatus, &

proprius singulis personis, sed publicus, & communis toti communitati, vel Ecclesiæ, ad quam pertinent recitantes; atque adeo singuli debēt semper Officium illud recitare, quod recitatur à tota communitate, vel Ecclesia, ad quam spectant, non solum in recitatione publica, sed etiam in recitatione privata, quia uti singuli sunt partes illius communitatis, vel Ecclesiæ, cui proindè debent conformari, nam turpis est pars, quæ non congruit cum suo toto, *cap. 2. dist. 8. & cap. 2. de sponsal. §. partes civitatis*, & docet Navar. *com. 2. de regul. nu. 63.*

Quær. XIII. An moniales infirmæ excusentur à jejuniis tam Ecclesiæ, quàm regulæ.

Resp. Excusari ex communi Doctorum sententia, ita Ecclesiæ legem, & præceptum regulæ interpretante; idque habere locum, etiam si infirmitas ex propria culpa contigerit, quacunque enim ex causa proveniat, semper corpus est tale, ut castigatio ipsius per jejunium semper evadat irrationabilis, & indiscreta. Ita Major. Palud. & Sanch. Sub nomine infirmarum veniunt etiam illæ, quæ licèt nullo actuali morbo laborent, sunt tamen complexionis malè affectæ, & proinde etiam istæ à jejunio excusantur, non solùm quia tenentur morbum præcavere, sed etiam quia illa prava affectio æquiparatur morbo continuo. Pasqualig. *de jejun. decis. 261. num. 7.*

Quær. XIV. Quanta debeat esse infirmitas, ut censeatur cessare obligatio jejunandi.

Resp.

Resp. Communiter Doctores hoc remittunt prudentis judicio. Sed hæc responsio difficultatem non tollit; semper enim dubitare potest Confessarius, an nimis laxè se gerat, vel nimis rigidè; ideò tradenda regula est, secundùm quam prudenter valeat judicare. Censeo itaque, tunc morbum, aut debilitatem ex convalescentia eximere à jejunio, quando impedit consuetas functiones; tunc enim morbus, aut debilitas sunt alicujus considerationis, & ideò est habenda ratio ipsorum, nec corpus ulteriori afflictione debilitandum. Hoc autem impedimenrum non debet necessariò esse tale, ut absolutè impediat, sed sufficit quomodocunque impediat. Ita Pasqual. *loc. cit. nu.* 5. qui etiam tradit *decis.* 256. *n.* 9. quòd si quæ ex aliqua infirmitate sit adeo debilitata, ut remaneat in statu simili senectuti, ita ut fiat in ipsa continua virium, & roboris naturalis diminutio, libera sit ab onere jejunii; sicuti enim ex morbo status senectutis, ita etiam anticipat exemptio à jejunio.

Quær. XV. An monialis infirma, ob vincendas carnis tentationes ad incontinentiam graviter illam extimulantes, teneatur jejunare, etiam si prævideat ob jejunium futuram diuturniorem infirmitatem maximo cum monasterii dispendio.

Resp. Affirmantem sententiam suaderi posse ex Fervend. *in Exam. Theol. part.* 4. *cap.* 12. §. 6. *num.* 1. quia juxta charitatis ordinem docemur spiritualia corporalibus anteferre. Unde damnum quod ex diuturniori infirmitate sequitur monasterio, se-

quitur per accidens, nam per se intenditur majus bonum. Contrarium tamen desumitur ex Homobono *in Examin. eccles. part. 2. tract. 8. cap. 7. qu. 17.* Quia ad vincendas tentationes alia occurrunt remedia, orationes videlicet, Sacramentorum frequentia, piæ adhortationes, & his similia. Ista igitur adhibeat, & tantæ jacturæ monasterium non exponat.

QUÆR. XVI. An laborantes febri tertiana, vel quartana, præcipiente medico ne cænent, ut dieta morbus vincatur, peccent contra præceptum jejunii, si comedant.

RESP. Contra præceptum jejunii non peccare tradit ex Sanchez Pasqual. quia morbus est talis, ut de se liberet à jejunio; affligit enim, & debilitat corpus, & consequenter incapax efficitur obligationis jejunandi. Peccare tamen contra naturale præceptum temperantiæ, notat Sanch. atque adeo aut venialiter, aut mortaliter juxta quantitatem damni, quod inde sequitur.

QUÆR. XVII. An, & quando moniales infirmæ excusentur ab audienda Missa.

RESP. Non tam facilè moniales ab audienda Missa excusari, quia intra monasterium audire possunt, & proinde habent faciliorem accessum. Pasqual. *de sacrif. nov. leg. qu. 1327. num. 5.* Nihilominus non tam decumbentes in lecto, quàm illas etiam, quæ adire Ecclesiam non possunt sine probabili salutis detrimento, eximunt communiter Doctores. Quanta verò debeat esse infirmitas, ut excuset, aut quantum nocumentum, quod timetur, videtur posse constitui hæc regula,

ut

ut nimirum, quando infirmitas impedit consueta exercitia, aut egressum è cubiculo, ita ut hoc existimetur congruere in ordine ad curam infirmitatis, & ad salutem corporalem, afferat etiam sufficientem excusationem in ordine ad audiendam Missam, attenta semper diversitate complexionis, & qualitate personæ. Hinc convalescentes, & debiles de facili possunt excusari præsertim hyemis tempore, & quando aeris intemperies nocere potest capiti; ut notant Præpositus, & alii relati à Pasqual. *loc. cit.* ubi idem concludit de senibus, si tales sint, ut debilibus valeant comparari. In dubio standum est judicio medici. Addunt tamen Leander, & Garzia, quòd manente dubio, possunt illud practicè deponere, & ab auditione Missæ abstinere. Laborantes febri tertiana aut quartana, non dubito, quoad illos dies, in quibus febri corripiuntur, excusari; in reliquis verò diebus considerandа est ipsarum complexio, & quomodo remaneant affectæ ex præcedenti febri, & secundùm hoc judicandum ut supra; regulariter puto non excusari.

QUÆR. XVIII. An liceat monialibus infirmis celebrari facere super Altari portatili in suis cellis vel devotionis gratia, vel ad satisfaciendum præcepto in diebus festis.

RESP. Affirmat Pasqual. *in decis. Moral. decis.* 176. *num.* 3. Superioris tamen, ad quem spectat, obtenta licentia pro sacerdote celebraturo ingrediendi clausuram. Fundatur in Privilegio Pii IV. Canonicis Regu-

laribus Sancti Salvatoris conceſſo *ſub die* 18. *Maii anno* 1565. & licèt hoc limitet ad illas tantum moniales, quæ vivunt ſub eodem ipſorum Regularium regimine, & inſtituto, nihilominus *deciſ.* 178. extendit etiam ad quaſcunque moniales ſubjectas Regularibus communicantibus in privilegiis. At hæc opinio eſt reiicienda, prout poſteà illam rejecit idem Paſqual. in opere *de ſacrif. nov. leg. q.* 480. *num.* 3. Quia per Bullam Gregorii XIII. circa clauſuram monialium, quæ eſt 28. *ejuſdem Pontificis*, *t.* 2. *Bullar.* ſtatuitur, quòd urgentibus tantum neceſſitatibus poſſit concedi licentia ingrediendi monaſteria. Unde cùm uſus prædicti privilegii dependeat ex una parte à relaxatione legis clauſuræ, & ex alia pro celebranda Miſſa in cubiculis infirmarum non interveniat illa urgens neceſſitas, quæ requiritur à Gregorio ad concedendum ingreſſum, ſequitur, quòd non poſſit quoad Moniales ſortiri ſuum effectum.

Adde, quòd Regularium privilegia celebrandi ſuper altari portatili hodie ſunt omninò adempta per nuperrimum Decretum Sac. Congregat. Concil. emanatum *ſub. die* 15. *Decembris* 1703. & publicatum *die* 8. *Januari* 1704. Clemente XI. approbante. In quo decreto pariter declaratur, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, ſeu Congregationis &c. aut aliis quibuſcunque ſacerdotibus, etiam ſi eſſent Epiſcopi, in Oratoriis privatis celebrare in diebus Paſchatis Sanctiſſimæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti,

aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis verò diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscunque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem.

QUÆR. XIX. An Monialis infirma dubitans an teneatur recitare Officium, jejunare &c. teneatur obedire Abbatissæ præcipienti ne Officium persolvat, ne jejunet &c.

RESP. Quòd sic, ex Salas, Soto, & Lezana *tom.* 1. *qq. Regular. cap.* 4. *num.* 28. Quia in his casibus tenetur credere, quòd præcipiendo illam rem dispenset ministerialiter in regula, in Officio &c. ac per consequens, quòd potest dispensare, quòd debeat ipsi se conformare. Idem dicendum, si esset dubia an Abbatissa dispensaret ex justa causa. Ita Navar. & Lessius apud Lezan. *loc. cit.*

QUÆR. XX. An Moniales infirmæ, quæ non possunt Ecclesiam adire ad lucrandas indulgentias à Paulo V. Regularibus concessas, possint eas consequi in lecto.

RESP. Posse dummodo agant aliquod opus pium arbitrio Confessarii imponendum. Ita Peyrin. *de Privileg. pag.* 331. ex declaratione Pauli V. Congregationi S.M. Fulien. anno 1609. ut habetur *in compend. suorum Privil. tit. Infirmi.*

QUÆR. XXI. An gravamen infirmitatis excuset monialem ab integritate materiali confessionis.

RESP.

Resp. Si gravamen infirmitatis tale sit, ut continuata confessione periculum immineat moniali decedendi sine Sacramento, dubium non est excusari. Quare tunc confessarius monere debet monialem, ut unum, aut alterum peccatum exponat, & absolutionem impendere; postea verò si tempus supersit, reliqua peccata audire. Si autem adsit tempus ad faciendam integram confessionem, sed infirma ex illius continuatione notabiliter gravetur, excusari pariter tradunt Doctores infrà citandi. Quia cum hoc Sacramentum sit pro charitate institutum, non debet contra charitatem converti; converteretur autem, si exigeretur confessionis integritas à moniali, dum sentit se in explicandis culpis gravari, & posset contingere, quòd stante morbi angore, & prolixæ confessionis gravamine, confessionem fastidiret, & pertæsa prosequi nollet, aut, si prosequeretur, absque debita dispositione continuaret. Ita Sylvest. Sot. Palaus, & quatuordecim alii relati à Pasqual. *de cas. occur. temp. mort. qu.* 134. Ubi advertit, detrimentum, quod ex integra confessione potest monialis subire, considerandum esse secundum subjectam materiam, & proinde pro gravi habendum esse, quod in se leve est, & tale esset in sanis. Et ideo si in illis horis in quibus ingravescit morbus, infirma ostendat gravari à confessione, absolvenda est, & in aliud tempus aliorum peccatorum explicatio differenda.

Quær. XXII. An monialis periculoso morbo laborans, non tamen decumbens in lecto,

lecto, neque viribus destituta teneatur adire Ecclesiam ad sumendum viaticum, vel possit illi ministrari in sua cella.

Resp. Plurimum expedire moniali accedere ad sumendum viaticum in Ecclesiam. Nam Ecclesia, ut habet Ugo Victorinus *de Sacram. lib. 2. p. 5. cap. 1.* est propriè locus, in quo dispensantur Sacramenta; & ex consecratione acquirit quamdam virtutem spiritualem, per quam redditur apta divino cultui, ut homines ibi concipiant devotionem quamdam, qua paratiores sint ad divina, ut ex D. Thom. *p. 3. q. 83. art. 3.* Unde valdè conferret ad excitandam devotionem monialis suscipientis viaticum, & ad uberiorem fructum percipiendum, in Ecclesia illud suscipere. Quod etiam teneatur adire Ecclesiam, nec possit illi ministrari in sua cella videtur esse secundum mentem Sac. Congregationis, quæ, ut notavimus supra *cap. 6. §. 6. qu. 2.* statuit, quòd Confessarius non audeat ingredi monasterium ad excipiendam confessionem monialis infirmæ, quando hæc potest commodè adire confessionale. Unde à pari neque poterit ingredi clausuram ad ministrandum viaticum dictæ moniali, quæ cum non decumbat in lecto, nec sit viribus destituta, potest commodè adire ecclesiam ad illud suscipiendum. Attamen attendendæ sunt circumstantiæ, conditio scilicet morbi, symptomata, quæ ex motu possunt oriri, & alia hujusmodi, & in tali casu judicandum an possit, vel non possit commodè adire.

Quær. XXIII. An ad solandam devotionem monialis infirmæ, quæ ob aliquo impe-

d

impedimentum non potest sumere viaticum possit ei deferri Eucharistia, ut adoretur.

Resp. Non posse, quia in sæpiùs repetita Gregorii XIII. Constitutione non permittitur Confessario ingressus in clausuram, nisi in casibus necessariis; in casu autem proposito nulla apparet necessitas. Quòd si tunc temporis contingeret, Confessarium ingredi ad communicandam aliam monialem, neque in tali casu posset deferri Eucharistia adoranda prædictæ moniali, ut apertè statuitur in Rituali Romano Pauli V. *tit. de com. infirm.* ibi. *Sed alicui adorandam solùm, seu devotionis, seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum non deferatur.* Et ita tenent Riccius, Barbosa, & alii relati à Pasqual. *loc. cit. q.* 256. ubi fuisse decisum à Sac. Congregat. testatur ex Zerol. *in prax. Episc. p.* 1. *verbo Eucharistia* §. 5.

Quær. XXIV. An Confessarius in communione monialis infirmæ per modum viatici possit omittere verba præscripta in Rituali, *Accipe soror viaticum &c.* & uti verbis consuetis, *Corpus Domini &c.*

Resp. Negant Tamburin. Quart. Cardinalis Brancat. & Clericat. *de* Euch. Sacram. *dec.* 19. *nu.* 12. Ex quo enim verba illa præscripta sunt in Rituali, debent omninò servari. Nam Rituale Romanum, quo ad ea, quæ in ipso præscribuntur, facit jus. Si quidem Pontifex in Bulla eidem Rituali prefixa exhibet, quæ in ipso præscribuntur, tanquam de jure servanda ut constat ex illis verbis *Inviolatè observent.* Tum quia prædicta verba sunt valdè proficua ex opere operantis tanquam ordinata ab Ec-

cle-

cleſia, movente, & docente illam Spiritu Sancto.

Verùm Tonellius *in ſuo Enchir. tit.* 1. *cap.* 1. *nu.* 6. ſuſtinet ex Paſqualigo non ſolùm poſſe Confeſſarium ea omittere, ſed etiam aliquando debere, ut ſi monialis minùs devotè, & cum magno animi mærore communionem per modum viatici ſit receptura. Sufficit enim ad recipiendam communionem per modum viatici, quòd morbus ſit periculoſus, & Euchariſtiam recipiat, quia ſolus actus ſumendi Euchariſtiam cadit ſub præcepto, pro quo implendo non requiritur intentio ſaltem actualis, ſed ſufficit interpretativa, quia actus ſemper præſumitur geſtus ex cauſa magis neceſſaria, & urgentiori, ut notant communiter Doctores.

Neque ex eo quòd prædicta verba ſint in Rituali præſcripta, infertur, quòd ſint de jure ſervanda. Quia, ut bene advertit Pignatel. *t.* 9. *conſult.* 86. §. *Neque*, non omnia præſcripta in Rituali cadunt ſub præcepto, ſed quædam præcipiuntur ſub obligatione aliunde proveniente, quędam verò præſcribuntur ſolummodo de decentia; nec authorizatio Summi Pontificis extrahit ea ab ordine ſuo, ſed ſolum facit, quòd intrà ordinem ſuum rectè procedant.

Quær. XXV. An moniali infirmæ poſſit pluries miniſtrari viaticum.

Resp. Affirmant communiter Doctores; diſcrepant tamen in aſſignanda temporis diſtantia, quæ inter unam, & alteram ſumptionem debet intercedere. Nam poſſe repeti viaticum poſt commiſſum peccatum mortale, do-

docent Tabiena, & Armilla; post triginta dies, Navarrus; post octo, aut decem, Henriquez, & Suarez; post sex, Possevinus; & Filliucius; post quatuor, Pasqualigus; tertio quoque die, Ludovicus à S. Joanne cum Vasquez; altero quoque die, Layman. Attendendam esse consuetudinem sustinent Caspensis, & Garzia. Placet sententia docens posse ministrari singulis diebus; quia hoc non obstat neque ex parte juris, cum nullibi reperiatur prohibitum, neque ex parte Sacramenti, cum hoc ex natura sua sit iterabile etiam singulis diebus, è contra verò maximè prodest ægroto; & proinde, cum simus in favorabilibus animæ, ampliandа est ministratio quantum fieri potest, consequenter ad singulos dies. Maximè quia, cum hoc Sacramentum sit institutum per modum cibi spiritualis refocillantis animam augmento gratiæ, ad peccati pericula superanda, & ad fugandas in illo statu tentationes occurrentes, consentaneum est, quòd, sicut quotidie anima in illis periculis versatur, ita quotidie subsidio, & ope ipsius roboretur. Unde hanc sententiam amplectuntur Palaus, Martinus à S. Josepho, Dicastil. & alii, quos refert, & laudat novissimè Clericat. *loc. cit. n.* 11.

QUÆR. XXVI. An in eadem infirmitate, variato tamen statu, possit moniali extrema Unctio pluries ministrari.

RESP. Affirmativè cum D. Thom. communiter recepto *in* 4. *dist.* 23. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 2. Quia effectus Sacramenti non se extendit ultra statum periculosum morbi; unde cessato prio-

priori periculo, & novo superveniente potest repeti Sacramentum; nam adveniente novo periculo, nova quoque supervenit hujus Sacramenti indigentia. Neque ad hujusmodi repetitionem necesse est, vel quòd infirmitas sit diuturna, qualis est paralysis, hydrops, aut Ethica, ut requirunt Durand. D. Antonin. & D. Bonavent. vel quòd elabatur annus, ut vult Albert. vel saltem quòd interruptio sit magna, ut Suarez; vel quòd infirma nova commiserit peccata venialia, ut Paludan. sed sufficit, quòd juxta peritorum judicium recedat prius periculum, & novum adveniat, sive longum, sive breve tempus intercesserit. Quia non tempus, sed imminens mortis periculum est fundamentum repetendi extremam Unctionem, ut tradunt Nugn. Hurtad. Gabriel. Tamburin. & alii apud Pasqual. *loc. cit. q.* 434. *num.* 8. Qui tamen *q.* 435. negat, posse repeti si durante eodem periculo, novum cujuscunque generis superveniat, quia auxilia non dantur contra morbum corporalem, sed contra spiritualem, qui non variatur ex variatione morbi corporalis, aut, si per accidens crescit, sufficiunt auxilia jam debita, quia dantur juxta exigentiam, quæ contingit toto tempore morbi periculosi.

QUÆR. XXVII. An valeat legatum annuum relictum monialibus pro necessitatibus infirmarum, si moniales ex instituto solis eleemosynis vivant.

RESP. Valere tradunt Ananias, Rodriq. & Portel. *in dub. regul. v. legatum nu.* 7. Quia legatum factum pro necessitatibus infirmarum,

rum, non monialibus propriè fit, ſed loco pro infirmis deputato. Negat Sanchez *in ſum. lib. 7. cap. 26. num. 47.* quia legatum hujuſmodi tollit rigoroſam mendicitatem, quam profitentur, cum deſerviat pro neceſſariis infirmarum alimentis, & medicinis, quæ nomine alimentorum etiam comprehenduntur. Utramque opinionem probabilem putat Diana *in Opere coord. tom. 7. tract. 1. reſol. 223.*

§. VII.

De Infirmariæ obligationibus, & Privilegiis.

QUÆR. I. QUa diligentia, & cura debeat Infirmaria vacare ſuo miniſterio.

RESP. Teneri vacare ea diligentia, ac cura quam miniſtri infirmorum paſſim ſolent adhibere; ad inſolitam & extraordinariam non teneri; quia talis præſumitur ejus intentio, dum ſuſcipit tale munus, ne alioquin nimis ſe gravet, ſibimet imponendo onera importabilia. Tum quia ubi agitur de obligatione, ſtricta adhibenda eſt interpretatio; unde etiam obligatio infirmariæ debet interpretari, ita ut obliget minùs quàm fieri poſſit, atque adeo non debet extendi niſi ad diligentiam communem, & ordinariam.

QUÆR. II. In quibus præcipuè Infirmaria poſſit peccare.

RESP. Ex Villalob. & Caſtropal. peccare mortaliter, quando relictis remediis

aſſi-

assignatis à Medico, aliis pro sua voluntate utitur, & aquam, aut vinum infirmis propinat, ut earum voluntati satisfaciat. Exponit enim infirmas absque ratione manifesto periculo moriendi, saltem citiùs. Item si tempus pro tradendo pharmaco, vel cibo præscriptum à medico, non servet, aut indigentiis infirmarum non provideat, vel Abbatissam de prædictis indigentiis non admoneat, si inde damnum, vel incommodum aliquod notabile infirmis emergat, Barchius *in Specul. Relig. c.* 25. Quia cum ratione muneris teneatur medico obedire, & infirmis providere, est causa indirecta damni, vel incommodi, quod consequitur ex omissione.

QUÆR. III. An infirmaria teneatur cum periculo vitæ parere Abbatissæ præcipienti, ut monialibus contagioso morbo laboranti bus inserviat.

RESP. Videri, quòd non, ob rationem D. Tho. 2. 2. *q.* 104. *ar.* 5. Quia in pertinentibus ad corporis sustentationem omnes homines natura sunt pares. Nihilominùs in contrarium facit, quòd Superior potest præcipere omnes illos actus exteriores, necessarios ad commune illud bonum, cujus curam gerit, & tunc subditi etiam cum periculo vitæ tenentur obedire; sicut Rex pro civitatis defensione potest subditis præcipere præliationem, quæ semper est cum periculo vitæ. Tum quia malè provisum esset in Religione fraternæ charitati, si tempore contagiosæ infirmitatis possent sanæ se subtrahere, desertis infirmis sine remediis, & servitute. Ita Cajet. Rodriq. Peyrin. & Sanch. *in decal. lib.* 6.

lib. 6. cap. 2. num, 56. Quòd tantò certiùs procedit in Monialibus Oblatis, quæ inserviunt infirmis, & sine dote ad hunc effectum sunt ad Monachatum admissæ, & receptæ, ut toto vitæ suæ tempore infirmis deserviant, Tamburin. alios referens *de jur. Abbatis. disp. 12. q. 2. num. 25.* Qui tamen excipit ab hac regula monialem illam, quæ esset admodùm infirmæ valetudinis, vel cujus vita esset valdè utilis bono communi religionis,

QUÆR. IV. An Infirmaria possit licitè egredi è clausura ad vocandum medicum, vel Confessarium ex repentina oborta necessitate alicujus monialis infirmæ ad extremum vitæ à morbo adductæ, & alius non adsit, qui possit vocare.

RESP. Affirmat Cassian. à S. Elia *v. clausura num. 161.* modò sit spes, medicum esse profuturum, aut probabiliter timeatur eam esse in mortali peccato. Ratio est; Quia præcepta Ecclesiæ non impediunt majus bonum, quia ita præscribunt bonum, ut si hoc bonum sit impeditivum alterius boni majoris, cesset ipsorum obligatio ex generali intentione ejusdem Ecclesiæ. Unde cùm in præsenti casu subventio proximi extremè indigentis sit majus bonum, quàm observantia clausuræ, illa enim provenit à virtute charitatis, hæc obedientiæ, obligatio primæ prævalere debet, & secundæ cessare.

QUÆR. V. An, & quibus in casibus Infirmaria excusetur ab audienda Missa.

RESP. Excusari, si illius assistentia est saltem necessaria, ne infirma notabiliter tristetur,

tur, nec habet, quas ſubſtituat. Ita communiter Doctores, quos approbans refert Paſqual. *de Sacrif. nov. leg. qu.* 1328. qui hoc admittit etiam ſi aſſiſtentia non eſſet neceſſaria, ſi tamen bona fide putaretur neceſſaria, cum ſufficiat, ut apprehendatur ut talis; nam tunc formatur recta conſcientia, quòd liceat omittere auditionem Miſſæ. Subdit inſuper, idem dicendum, ſi infirma pro ſua ſatisfactione vellet, Infirmariam ſibi aſſiſtere, quamvis aliæ ſubſtitui poſſent, ſi non obſequi illius voluntati eſſet cauſa, quòd triſtaretur, vel indignaretur, cum excitatio harum paſſionum poſſit infirmę notabiliter nocere. Neque infirma in tali caſu peccaret impediendo Infirmariæ pro tunc non ſibi neceſſariæ auditionem Miſſæ; quia complacentia illa, quam percipit ex ipſius præſentia, affert illi aliquod ſolamen, abſentia verò triſtitiam, & ideò habere poteſt motivum ſufficiens, ut detineat ab audienda Miſſa.

QUÆR. VI. An Infirmaria poſſit in diebus prohibitis comedere aliquid carnium, ut excitet in infirmis appetitum, & inducat ad comedendum.

RESP. Affirmant Navar. Sanch. & Diana *par.* 5. *tract.* 5. *reſ.* 32. Quia ſtante parvitate materiæ non adeſt materia integra prohibita, atque adeò nec materia peccati mortalis; quia verò apponitur finis honeſtus, & quem charitas imperat, deſinit etiam eſſe materia peccati venialis, quia ex fine appoſito ſubtrahitur à ratione ſub qua prohibetur, & conſtituitur in ratione honeſti.

QUÆR.

QUÆR. VII. An occupatio in deserviendis pluribus infirmis sit causa sufficiens excusandi Infirmariam à jejunio.

RESP. Ex Pasqual. *de jejun. decis.* 339. *n.* 5. affirmativè, quia tale servitium exigit continuam assistentiam, quæ secum trahit magnum laborem. Hoc autem est intelligendum de ea quæ parat cibos pro infirmis, & in cæteris servitiis necessariis ipsis ministrat, non de ea quæ solùm assistit. Neque pariter tenetur ad jejunium die sequenti, si per totam præcedentem noctem, vel majorem partem assistat alicui infirmæ; talis enim assistentia, quia privat debito sommo, causat magnam debilitatem, unde superveniens jejunium esset nimis onerosum. Ita ex Ledesma, & Rodriquez Pasqual. *loc. cit. n.* 6.

QUÆR. VIII. An & quando infirmaria ab Officii recitatione excusetur.

RESP. Excusari quando ita est in infirmarum servitio occupata, ut totum diei tempus, quod necessitatibus corporis moraliter, & sine magno incomodo subtrahi potest, in earum indigentiis sit insumendum. Charitatis enim præceptum urgentius, & excellentius est præcepto recitationis Officii, & proinde hoc cessare debet, utpote impeditivum majoris boni. Ita Sotus, Sanch. *tom.* 2. *conf. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 51. *num.* 2. & Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 28. *n.* 35. Ex quo pariter deducitur esse excusandam, etiam si aliqua modica diei pars pro honesta animi relaxatione supereſſet. Quia sicuti ob recitandas horas canonicas non tenetur sub-

tra-

trahere tempus cibo, & quieti, ita neque honestæ relaxationi, cum hæc non minùs necessaria sit ad corporis levamen, quàm refectio, & somnus, maximè si vires essent ex præcedenti occupatione de fatigatæ. Quòd si occupatio non sit integræ diei, tunc infirmaria debet hujusmodi occupationis tempus prævenire, vel recitationem postponere, quia præceptum obligat pro tota die. Potest tamen excusari quando impedimentum repentinum prævidere non potuit, vel quando ad illud non advertit, Suarez *loc. cit.*

§. VIII.

De Aromatariæ obligationibus, & Privil.

QUÆR. I. AD quid teneatur Aromataria.

RESP. Quæ suæ artis sunt tenetur scire. Etenim lex tam naturalis, quàm humana prohibet, ne quis artem, quam ignorat, exerceat, ut *in cap. non est sine culpa de regul. jur. in* 6. Neque sufficit, quòd instructa sit quo ad artis præcepta, & regulas, sed debet etiam esse instructa quo ad practicam, cum ex istius deficientia possint plurima, & gravia infirmis oriri incommoda. Tenetur quoque debitam in conficiendis pharmacis adhibere diligentiam, quia omnibus munus aliquod exercentibus obligatio inest, ut illud diligenter exerceant. Abb. *in cap. ad aures, num.* 3. 4. *&* 6. *de ætat. & qualit.*

QUÆR. II. An possit de se, & inconsulto medico pharmacum aliquod infirmis præbere.

RESP. Si habeat aliqua particularia medicamenta ad speciales morbos, nempe ad sanandas oculares fistulas, dolores dentium, & alia hujusmodi, & experta fuerit prodesse, potest utique illa præbere. In aliis casibus non potest; quia cum non habeat scientiam, & artem ad curandos morbos, manifesto vitæ periculo infirmas exponeret; imò neque potest, etiam si aliqualem habeat experientiam, quia exponeret se periculo occidendi infirmas, & contraveniendi decalogi præcepto *Non occides*. Sicut de Medico asserit Sylvest. *in sum. v.* Medicus, *q.* 1.

QUÆR. III. An licitum sit Aromatariæ præbere poculum moniali gravidæ ad procurandum abortum fœtus inanimati, ne fama periclitetur monasterii.

RESP. Negativè cum communi Doctorum, quia abortus fœtus inanimis est peccatum gravius pollutione, cum proximiùs opponatur generationi. Sicut ergo in nullo casu est licita pollutio, ita neque abortus fœtus inanimati. Unde meritò oppositum damnatur ab Innocentio XI. in propositione 34. sub qua tamen valdè dubitat Lumbier, an præsens casus comprehendatur, quia, ait ipse, propositio proscripta loquitur quando agitur de vitanda infamia puellæ, non verò de vitanda infamia religiosi cœnobii, quod valdè diversum est, adeoque prohibitio, subdit idem Doctor, ad præsentem casum non videtur extendenda, quia stri-

ſtrictæ interpretationis eſt, utpote odioſa. Reſolvit tamen illicitum eſſe etiam in præſenti procurare abortum fætus inanimati, quia ad evitandam infamiam coram ſæcularibus eſt aliud medium, ſcilicet præcipiendo in virtute ſanctæ obedientiæ obſervationem ſecreti.

Contineri pariter præſentem caſum ſub damnatione, patet, quia præfata propoſitio in tantum proſcribitur, in quantum aſſerit eſſe licitum procurare abortum puellæ ex periculo proveniente ab extrinſeco, quale eſt periculum vitæ, & famæ. Cum igitur etiam periculum diffamationis monaſterii ſit periculum proveniens ab extrinſeco, remanebit quoque damnata propoſitio aſſerens eſſe licitum procurare abortum monialis, ne infametur monaſterium. Neque fit extenſio prohibitionis ad caſum, ſed caſus dicitur comprehenſus ex identitate rationis.

Peccat igitur Aromataria pharmacum prębens ad procurandum abortum fœtus inanimis, & ſi eſt animatus contrahit etiam excommunicationem Sixti V. dummodo tamen ſequatur effectus. An autem effectu non ſequuto incidat in caſum reſervatum, aſſerit Belloch. Zech. & Bonac. negat aliis relatis Diana *in opere coord. tom.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 26. ubi advertit hoc non procedere, ſi monaſterium ſubdatur Regularibus, quia quo ad illos ex Decreto Clementis VIII. etiam effectu non ſequuto inducitur reſervatio. Quòd ſi dubium ſit an fœtus fuerit animatus, Moura, Præpoſitus, & Macadus putant non incidere in reſervationem, quia

reſervatio ad caſus dubios non extenditur tanquam odioſa, niſi aliud exprimatur. At in oppoſitum eſt communis ſententia, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda.

QUÆR. IV. An Aromataria poſſit lucri cauſa vendere extraneis medicamenta.

RESP. Extare pro Urbe Roma, ejuſque diſtrictu decretum Viſitationis Apoſtolicæ *die 29. Auguſti 1637.* in quo prohibetur tam Superioribus quorumcunque Ordinum in Urbe, ejuſque diſtrictu exiſtentium, quàm particularibus Religioſis quibuſcunque, ne in poſterum ſive religionis nomine, ſive particulari audeant, & præſumant per ſe, vel per alios in ſuis Conventibus artem aromatariam exercere, præter quàm pro ſuis religioſis, & Eccleſiaſticis, pharmaca vendere etiam prætextu amicitiæ, & familiaritatis, abſque ſpeciali licentia in ſcriptis obtinenda. Unde cum hoc decretum ſit pro Urbe Roma ejuſque diſtrictu, in aliis partibus ſtandum eſt juri communi ut reſolvit Sac. Congregat. Epiſcop. & Regular. *in Neapolitana 5. Octobr. 1646.* Jus autem commune non videtur prohibere hujuſmodi venditionem; pharmaca enim artificium honeſtum ſunt, & non propriè negotiatio. Maximè quia in hoc non tam ſpectatur lucrum, quàm utilitas infirmarum, dum enim extraneis venduntur, frequentiùs renovantur medicinalia, unde monialibus infirmis ſubminiſtrantur recentiora, atque adeo magis utilia. Quod etiam declaravit eadem Sac. Congregat. *in Neapolitana 26. Maii 1602.*

& in

& in una Dominicanorum 11. *Octobr.* 1647.

QUÆR. V. An Aromataria vendens, ut supra, medicamenta possit recipere pretium juxta taxam Aromatariis sæcularibus factam.

RESP. Videtur quòd sic; quia taxa non statuit pretium tanquam privilegium Aromatariorum sæcularium, sed tanquam pretium justum medicinalium. Unde quicunque illa vendit, potest recipere juxta taxam, quia recipit pretium justum. Verùm oppositum sustinendum cum Navarra *lib.* 3. *de restitut. cap.* 2. *num.* 40. & Reginaldo *in Praxi lib.* 25. *num.* 281. Quia in taxatione justi pretii non tam habetur respectus ad valorem medicinalium in se, & alias circumstantias, puta industriam, laborem &c. sed etiam ad expensas, quas subeunt Aromatarii sæculares in conductione officine, solutione vectigalium, salario famulorum, &c. à quibus omnibus expensis sunt exemptæ moniales. Unde pretium, quod est justum respectu Aromatariorum sæcularium, injustum est respectu monialium, quia detractis illis expensis, excedit valorem medicinalium.

QUÆR. VI. An possit vendere quid pro quo.

RESP. Non posse. Tum quia ementem decipit, dando aliam substantiam ab expetita; tum quia certum pretium recipit pro incerto medicamento; tum quia saluti infirmi non contulit, & utinam aliquando illam

non offendat, dum medicamentum illud ſuppoſitum fortaſſe diſſimile eſt, quamvis non videatur diſimile. Quare conſurgit obligatio reſarciendi omnia damna ex tali deceptione, fortè ſecuta. Solùm excuſari poteſt, ſi certa ſit ſuppoſititias res pollere eadem virtute, & fore æquè, vel quaſi æquè utiles ementi. Tenetur tamen reſtituere exceſſum pretii, ſi fortè acceptus eſt ſupra juſtum pretium rei traditæ (etiam ſi ejuſdem fuerit utilitatis) vel ſupra pretium, quo emptor rem eandem alibi fuiſſet empturus.

QUÆR. VII. An poſſit Aromataria vendere pharmaca minori pretio conſanguineis, vel amicis, donando illis quod ipſi deberetur ratione induſtriæ, & laboris.

RESP. Negat Bordonus, quia labor ille eſt pretio æſtimabilis, unde Aromataria donando ſuum laborem diſponeret de re pretio æſtimabili, quod eſt contra votum paupertatis. Diſſentit Joannes de Lugo *diſp. 3. de juſt. num. 149.* quia religioſus ſine præjudicio paupertatis poteſt alteri inſervire, eique gratis operam ſuam præſtare. Diſtinguunt alii; vel Aromataria degit in monaſterio, in quo viget præceptum, aut conſuetudo, ut moniales operas ſuas, & lucra inde percepta conferant in bonum commune; vel degit in monaſterio concedente monialibus, ut pro ſe laborent, & ſibimetipſis lucrentur. Non poteſt ſi in primo, quia præſumi non poteſt licentia Abbatiſſæ, obſtante conſuetudine, vel præcepto. Poteſt autem ſi in ſecundo, quia Abbatiſſa rationabiliter non cenſetur invita, cum nihil damni reſultet

mo-

monaſterio. Poterit etiam pharmacum aliquod levioris momenti pauperibus ſubminiſtrare ex præſumpta licentia Abbatiſſæ, quę præſumitur habere erga pauperes charitatem. Imò poterit etiam, renuente Abbatiſſa, ſi pauperes verſentur in extrema neceſſitate, ut alibi docuimus cum D. Thoma.

QUÆR. VIII. An liceat Aromatariæ venenum vendere.

RESP. Si venenum talis naturæ ſit, ut non niſi ad malum poſſit deſervire, non licet; quia eſſet præbere materiam peccati, & alieno peccato cooperari. Conveniunt omnes Doctores. Si verò ſit indifferens ad bonum, & malum uſum, & Aromataria neſciat, aut tantum dubitet, an emens eo ſit abuſurus, poteſt vendere ob finem juſti lucri, & honeſti, dummodò non intendat, ut emens eo malè utatur. Quia quando actio aliqua eſt de ſe indifferens, qui bono fine ad illam cooperatur non peccat, utitur enim jure ſuo. Reginald. *in Praxi lib.* 25. *num.* 263. Si autem ſciat, vel ſaltem probabiliter credat, ementem veneno abuſurum vel ad occidendum proximum, vel ad vitam ſibi adimendam, adhuc poſſe vendere ſuſtinent Cajetan. Angel. Navar. & Lorca, quia pravus uſus ementis non eſt volitus directè, neque indirectè; eſt enim effectus per accidens, & non per ſe conſequens, qui proinde non imputatur, etiam ſi ſit prævisus, dummodo non ſit intentus, ut ex D. Thom. 2. 2. *q.* 74. *art.* 8. *&* *q.* 20. *art.* 5. Oppoſitum approbo cum Armilla, Tabiena, Reginaldo *loc. cit.* & aliis. Quia ſuppeditare alteri materiã injurio-

riosè nocendi, vel sibi, vel proximo, est contra charitatem, aut contra justitiam, vel potius contra utrumque.

QUÆR. IX. An liceat Aromatariæ pharmaca conficere in die festo.

RESP. Negativè. Sot. *lib.* 2. *de just. qu.* 4. *art.* 4. *ad* 3. quia opus servile est, quod sola necessitas facit licitum in die festo. Unde ea tantùm pharmaca, quæ pro præsentis diei necessitate deserviunt, potest Aromataria componere, vel ea jam composita vendere omnibus horis, sicut qui herbas, pisces, & aves deferunt, Sac. Congregat. *Vicario Andrianen.* 16. *Augusti.* 1593. Neque licet rosas, violas, & alia hujusmodi saccaro condire, vulgò, *far Conserve*, Alcozer, & Sanch. *tom.* 2. *cons. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 5. neque aquam ex herbis per stillarium extrahere, quia hæc quoque servilia sunt. Excusare tamen, ut diximus, potest necessitas, quæ facilè contingere potest, si ex dilatione flores, & herbæ langueścerent, earumque virtus deperiret. Vel si tanta esset aquarum distillandarum copia, ut intra tempus aptum tota pro usu totius anni provideri non posset. Ex prædictorum enim carentia magnum monasterio resultaret incommodum, quod sicuti in aliis casibus per Doctores excusat, debet in præsenti pariter excusare.

QUÆR. X. In quibus aliis possit peccare Aromataria.

RESP. Peccare si in componendis pharmachis non omnia apponit præscripta à medico, Duard. *in cap. utriusque sexus tom.* 2. *disp.*

disp. 26. *sect.* 2. Vel si apponit, illa tamen sunt vetusta, vel non exigitam virtutem habentia, unde medicamentum parum prodest infirmo; D. Antonin. *par.* 3. *tit.* 8. *cap.* 4. §. 6. Item si inutilia, & multò magis si nociva immiscеat, mortaliter peccare, nisi excuset materiæ parvitas, communiter fatentur Doctores. Et in prædictis casibus non solùm lædere charitatem, sed etiam justitiam, adeoque teneri ad omnia damna inde secuta, tradit aliis citatis Homobon. *in comment. resolut. tract.* 10. *cap.* 4. *q.* 12. Non peccat tamen si in conficiendis medicamentis tantum aquæ, vel alterius liquoris immiscеat, quantum ad medicamenti compositionem est necessarium, quamvis eodem pretio medicamenti vendat, Trullench. *in decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 11. *nu.* 5.

§. IX.

De Celleraríæ obligationibus, & Privilegiis.

QUÆR. I. AN Celleraria, cui bonorum Monasterii incumbit administratio, possit aliquid de iisdem bonis in justam donationem, aut alienationem expendere.

RESP. Non posse, nisi id, quod ab Abbatissa illi commissum est. D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Ex quo fit, eam mortaliter contra votum paupertatis peccare, si

in alios usus, præter deputatos, quantumvis illi liciti sint, & communitati deserviant, rem expendat, absque expressa, vel præsumpta Abbatissæ voluntate; quia exercet actum dominii, & sibi commissæ administrationis metas excedit. Manuel. Sanch. & Peyrin. *t.* 1. *de subd. q.* 2. *cap.* 2. §. 9. qui tamen putat non peccare mortaliter subministrans moniali indigenti aliquod necessarium injustè ab Abbatissa denegatum, quia in eo casu Abbatissæ supplet defectum.

Quær. II. An de præsumpta Abbatissæ licentia possit remunerare merita, & obsequia ab extraneis administrationi præstita, & aliàs non debita.

Resp. Posse, attentis tamen viribus, & legibus suæ administrationis, nec non inspectis meritis, ac circumstantiis, non solùm quando merita pariunt actionem ex justitia, sed etiam quando ejus sunt naturæ, ut hominem deceat esse gratum, ac obligent ad antidora. Ita post alios Trullench. *in decal. l.* 7. *c.* 17. *dub.* 8. *n.* 4.

Quær. III. An peccet Celleraria contra votum paupertatis distribuendo bona Monasterii non juxta mentem Abbatissæ, sed proprio arbitratu.

Resp. Peccare saltem venialiter, si det plura aut pauciora, meliora aut deteriora, quàm sciat velle Abbatissam; qua parte enim recedit à mente Abbatissæ, incurrit in vitium proprietatis, dispensando ac si esset domina, nullatenùs ab alterius pendens arbitrio. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 178. aliique communiter.

Quær.

QUÆR. IV. An peccet Celleraria, si cælet Abbatissæ summam aliquam notabilem pecuniæ expendendam in usibus utilibus Monasterio, invita tamen Abbatissa.

RESP. Peccare si Abbatissa sit rationabiliter invita, & quidem non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam; quia Celleraria, cùm sit administratrix bonorum monasterii dependenter à principali administratrice, quæ est Abbatissa, non potest ea administrare, nisi ex voluntate ipsius sive expressa, sive tacita: Mandatarius enim debet diligenter observare fines mandati, *l. diligenter ff. mandati*. Undè si aliter administraret, iis uteretur, ac si essent propria, atque adeò secundùm hoc censeretur proprietaria. Si verò Abbatissa est invita quoad modum tantùm, non peccat nisi venialiter. Et si irrationabiliter sit invita, nullam culpam committit, quia tunc utiliter Monasterii negotium gerit, & operatur ex voluntate præsumta superioris Prælati, qui si adesset, illam expensam fieri omninò vellet.

QUÆR. V. An peccet, si monialibus tam sanis, quàm infirmis necessaria abundanter non provideat juxta religionis statuta.

RESP. Ex Peyrino *t.* 2. *q.* 1. *cap.* 5. §. 1. *n.* 58. affirmativè; ex quo enim Moniales per professionem religioni nomen dederunt, eique incorporatæ serviunt juxta vocationem suam, dignæ sunt ex justitia mercede sua, & jure naturæ sunt participes quoad necessaria bonorum temporalium, & spiritualium ipsius religionis. Excusari solùm potest à necessariis ministrandis propter monasterii inopiam, &

tunc communis paupertas est ab omnibus toleranda.

QUÆR. VI. An de Monasterii bonis possit largiùs distribuere amicis monialibus animo illas gratificandi, & quidem propria auctoritate.

RESP. Ex dictis non posse, & contraveniendo peccare, cùm enim sit simplex bonorum Monasterii administratrix, non potest administrare bona commissa nisi juxta voluntatem domini, qui in casu nostro est monasterium. Hinc à fortiori dicenda est peccare si ita abundanter aliquibus provideat, ut aliæ ea de causa graviter indigeant, quia fit aliis injuria, cum communitatis bona pro indigentibus sint communia. Rodriq. & Peyrin.

QUÆR. VII. An Celleraria possit sibi aliquid applicare de bonis monasterii ob labores officii,

RESP. Non posse, quia ex vi professionis, & contractus initi cum monasterio tenetur ex justitia inservire. Imò neque ob labores extraordinarios, & ultra obligationem susceptos, quia semper talis applicatio est actus dominii, cujus est incapax ratione voti.

QUÆR. VIII. An possit de bonis monasterii aliquas eleemosynas erogare.

RESP. Posse facere eleemosynas illas, quæ consueverunt per. Cellerarias dispensari. Quia Abbatissa committens officium censetur eo ipso committere consueta in illo officio exerceri. Ita Azor. & Tamburin. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. Imò si Celleraria fa-

facultatem habeat expendendi ſummam aliquam in utilitatem monaſterii, poterit eam in pias eleemoſynas erogare, quia eleemoſyna cedere ſolet in monaſterii ſplendorem, & decentiam, ac proinde in ipſius utilitatem, Salmant. *in Theol. moral. tom.* 3. *tract.* 13. *cap.* 6. *punct.* 7. *num.* 90. Unde poterit etiam aliis ejuſdem monaſterii monialibus diſtribuere, quia utilitas non modica monaſterii eſt monialium indigentias ſublevare; quo minus enim indigent, eo majori attentione divinis incumbunt, magiſque à ſæcularibus curis ſe abſtinent.

QUÆR. IX. An Celleraria quæ *ut ſupra*, de cōmiſſione Abbatiſſæ poteſt aliquas eleemoſynas pauperibus diſtribuere, poſſit in monaſteriis, in quibus non ſervatur vita communis, ſibi, vel aliis monialibus illas applicare.

RESP. Videtur negativè reſolvendum, quia eleemoſyna, cum ſit ſublevatio alienæ miſeriæ, neceſſariò eſt ad alterum. Unde ſi Celleraria talem pecuniam ſibi, vel aliis monialibus applicaret, illa applicatio non haberet rationem eleemoſynæ, quia non eſſet ad alterum, nam dominium ſemper remaneret apud eundem dominum, nempè apud monaſterium, cum moniales ex vi voti paupertatis nihil ſibi poſſint acquirere.

Adde, quòd, quando Abbatiſſa committit Cellerariæ diſtributionem eleemoſynæ, cenſetur committere ſecundum id, quod de ordinario ſolet praticari; vera enim mentis interpretatio deſumitur à practica, Bald. *in capit.* 1. *in princip. de feud.*

feud. sin. culp. non amit. de ordinario autem eleemosyna distribuitur extraneis. Maximè quia, cum paupertas tam Cellerariæ, quàm aliarum monialium sit cognita Abbatissæ, si vellet eleemosynas illis ipsis applicari, id exprimeret. Quare si Celleraria distribuit sibi, vel aliis, non distribuit juxta commissionem Abbatissæ. Unde peccat contra justitiam, quia privat pauperes illa eleemosyna, quæ, supposita applicatione Abbatissæ, est ipsis debita; & peccat etiam contra paupertatem, quia excedit facultatem suæ commissionis, atque adeo agit nomine proprio, & ut domina, quod est directè contra votum paupertatis. Sic D. Tho. 2. 2. *q.* 3. *art.* 8. *ad* 1.

At oppositum etiam sustinendum videtur per ea, quæ tradunt Sanch. *in sum. t.* 1. *lib.* 4. *cap.* 49. *nu.* 61. & alii relati à Barbosa *de off. & potest. Episc. p.* 3. *allegat.* 83. *num.* 25. qui asserunt, quòd religiosus electus à testatore ad distribuendam pauperibus eleemosynam, potest monasterio, vel sibi, vel aliis religiosis talem eleemosinam dispensare; militat enim in utroque casu par ratio. Nam Cellerariæ etiam in proposito commissa est ab Abbatissa distributio eleemosynæ inter pauperes, unde cum verè tam ipsa, quàm aliæ moniales sint pauperes, si sibi, vel istis distribuit, facit juxta formam mandati, & adimplet mentem Abbatissæ.

Neque Celleraria, aut aliæ moniales censeri debent excusæ, quia præsumendum est, quod Abbatissa committat dispensationem secundum exigentiam, & ordinem charita-

tis;

tis; ordo autem charitatis postulat, ut succurramus magis indigentibus, magisque nobis conjunctis, quales sunt moniales respectu Abbatissæ, cujus sunt filiæ spirituales, & versantur in majori necessitate, quia indigentia est magis in monialibus periculosa, *cap.* 1. *de stat. regul. in* 6. Et in hoc salvatur etiam quòd eleemosyna sit ad alterum, si non secundum jus proprietatis, quia moniales sunt incapaces proprii ratione voti, saltem secundum usum, cujus sunt capaces, Bartol. quem secutus est Abbas *cons.* 440. *nu.* 1. *lib.* 2.

QUÆR. X. An Celleraria possit sive intra, sive extra monasterium sine licentia Abbatissæ mutuare, aut commodare res monasterii, etiam si sint magni valoris, quando certa est de restitutione.

RESP. Non posse, præcipuè si res illæ sint per longum tempus mutuandæ, aut commodandæ, quia notabiliter deteriorari possunt; & frequenter has res mutuare, ægrè ferunt Superiores. Ita Garz. Lugo, Tamburin. & Joan. de la Crux *in epit. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 4. Qui tamen concedit, posse Celleram res magni valoris commutare, inconsulta Abbatissa, quando monasterium ex hac commutatione nullum patitur detrimẽtum. Quia talis commutatio non habet rationem distractionis, aut consumptionis, cum monasterium semper remaneat cum æquali valore, ac proinde non censetur Abbatissa rationabiliter invita quo ad substantiam, & sic datur ejus licentia tacita. At nequaquam posse tenent Sanch. Peyrin. & Barthol. à

S. Fau-

S. Fausto; quia commutare actus dominii est, cum transferat dominium rei in alium, idque validè fieri nequit nisi ab habente dominium rei, vel illius absolutam administrationem.

QUÆR. XI. An Celleraria teneatur ad restitutionem, si ex sua culpa pereant aut deteriorentur bona monasterii suæ custodiæ, vel dispensationi, aut administrationi commissa.

RESP. Non teneri, si hoc contingat ex culpa levi, aut leviſſima. Solùm enim se obligavit ad exercendum officium diligenter, & accuratè, sicut solet ab aliis ejusdem conditionis, & generis communiter exerceri. Ita Sotus, Lessius, Vasquez, & alii, qui solummodò illam obligant, quando intervenit lata culpa, quia perinde est, ac si dolo ea destrueret, nam lata culpa dolo æquiparatur in jure. Excusari tamen potest, si pereant, aut deteriorentur ex inconsideratione, aut oblivione inculpabili, quia nulla interveniente culpa theologica, nulla intervenit injuria, atque adeo nulla restitutionis obligatio, quæ tantùm oritur à gravi culpa.

§. X.

De Janitoriæ, Rotariæ, & Auſcultatricum obligationibus.

QUÆR. I. QUales eſſe debeant Præfectæ Rotæ, & Januæ.

RESP. Debere eſſe irreprehenſibilis vitæ, diſcretas, prudentes, & quæ ſæcularium oculis bonis moribus ſint ſpectabiles. Oſtiaria ſit ſupra 40. annos, Sac. Congreg. *in Bononien.* 30. *Junii* 1617. ejuſdem quoque ætatis Rotaria, niſi aliter prudentiæ Epiſcopi viſum fuerit. Ità in edicto Viſitationis Apoſtolicæ apud Pignatel. *t.* 6. *conſult.* 85. *nu.* 95. Neque Rotaria, neque Portinaria monialem ullam ad crates, aut rotas vocare debent, niſi perſona extranea habeat licentiam ſubſcriptam ab Epiſcopo, vel ejus deputato; & niſi monialis collocutura licentiam pariter obtinuerit ab Abbatiſſa. Aliter contravenientes ſunt ipſo facto privatæ voce activa, & paſſiva per tres menſes. Sub iiſdem pœnis prohibetur eiſdem Rotariæ, & Portinariæ, ne mittant aut recipiant litteras, munera, aut alia, niſi præcedente inſpectione Abbatiſſæ, & ejus licentia. Sac. Congreg. 20. *Septemb.* 1593. apud Pignatel. *conſult. cit. nu.* 179.

QUÆR. II. An peccent Portinaria, & Rotaria januam, & rotam reſpectivè non cuſtodientes.

RESP. Si faciant ex inadvertentia, certum eſt non peccare, immò addit Ceſpedes

de

de dub. milit. dub. 16. *neque si advertere teneatur*. Sic nauta, cui navis gubernium commissum est, non peccat si ex inadvertentia omittat, licèt teneatur advertere. Hoc tamen non placet Zumul. Valent. & aliis, quia advertere, & debere advertere, sicut scire, & debere scire, sunt paria. Si verò omissio custodiæ procedat ex negligentia, ex qua maximè moniales captent occasionem colloquendi cum extraneis, & extra mittendi res prohibitas cum periculo earum spirituali, talem omissionem mortaliter peccaminosam esse non dubito, quia omnibus exercentibus aliquod officium hæc communis obligatio est, ut illud cum debita cautela, & diligentia exerceant, ut habetur ex Panormit. *in cap. ad aures, nu.* 3. *de ætat. & qual.*

Quær. III. An Rotaria, & Portinaria, si videant ad januam, vel ad rotam delicta aliqua in occulto à monialibus perpetrari, teneantur revelare Abbatissæ.

Resp. Si moniales delinquentes fraternè admonitæ à sua nequitia non desistant, tenentur Rotaria, & Portinaria deferre Abbatissæ, ut resipiscant, quia bonum illarum spirituale bono famæ debet præponderare, Molin. Dicastil. Bannez, & alii. Quod à fortiori procedit, quando delicta illa vergunt in præjudicium communitatis; quia secretum non potest obligare contra justitiam, & charitatem alteri debitam. Rotaria autem, & Portinaria ex justitia, & charitate tenentur damna religionis præcavere; à qua obligatione non sunt immunes, etiam si

pro-

promisissent cum juramento non revelare ; quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Ita Doctores citati.

QUÆR. IV. An peccent Rotaria, & Portinaria videntes, & non impedientes moniales, quæ recipiunt, aut mittunt litteras sine licentia Abbatissæ.

RESP. Peccare, si extet præceptum regulæ, aut Superioris, vel vigeat constitutio Clementis VIII. prohibens, ne litteræ, seu Epistolæ ullo modo à monialibus scribantur sine licentia Superiorum, nec recipiantur, nisi priùs lectæ fuerint à Præfecta monasterii. Ratio est, quia licèt negativè se habeant, indirectè tamen, & interpretativè per voluntariam omissionem ejus, ad quod tenentur, censentur violationi præcepti, & monialium malo cooperari; & proinde deliqunt; nisi moniales essent talis conditionis, ut probabiliter judicari posset, Abbatissam daturam facultatem, si peterent, aut saltem ratum postea habituram, si sciret. Vel nisi ex consuetudine, aut patientia Abbatissæ scientis, & dissimulantis receptum esset, ut non tam severè nec cum tanto onere munus obeant custodiendæ rotæ, vel portæ. Dicastil. *tract.* 2. *disp.* 4. *dub.* 8. *num.* 165. & Rebel. *lib.* 2. *q.* 16. *nu.* 2.

QUÆR. V. An Rotaria, & Portinaria peccent, si occasione muneris curiosiùs inquirant ab extraneis ea, quorum notitia ad ipsas nihil attinet.

RESP. Per se solùm venialiter peccare, quia non est magna inordinatio, quòd appetant scire, quæ ad se non pertinent. Possunt

sunt tamen peccare lethaliter ratione circumstantiarum, nempè si esset illis graviter prohibitum in his vanis, & curiosis ad januam, vel ad rotam cum extraneis detineri; vel si vellent scire, quæ ad alias moniales spectant, cum illarum notabili displicētia, quia hoc posset rixas parere, & dissensiones. Item si collocutio esset periculosa, utpote inductiva ad peccatum; vel si non possent scire, nisi alterum ad malum inducant, ut si vellent scire arcanum alteri commissum, maximè si patefieri non posset sine alterius præjudicio; vel si appetant scire intentione utendi tali notitia in alteriùs damnum. Hæc omnia Lessius *de just. & jur. lib. 4. cap. 4. dub. 11. nu. 83. & seqq.*

QUÆR. VI. An peccent Rotaria, & Portinaria aperientes litteras monialium ad extraneos, vel extraneorum ad moniales.

RESP. Cum communi Doctorum affirmativè. Quia unusquisque habet jus ad suum secretum scriptis mandatum, ut ipse solùm sciat, vel cui voluerit per epistolam revelare, unde invito secreti domino illud per litterarum aperitionem inquirere est peccatum mortale; nisi interveniat consensus saltem interpretativus mittentis litteras, aut illius ad quem mittuntur, vel nisi excuset materiæ parvitas, aut curiositas absque periculo gravis damni, & injuriæ. Sanch. Navar. Azor. Trullenc. & alii; qui pariter excusant aperientem, quando rationabiliter credit, aliquid in proprium damnum in hujusmodi litteris contineri. Quia tunc jure suo utitur se indemnem ser-

ſervando, hoc enim pertinet ad jus propriæ defenſionis In his tamen caſibus ea ſolùm legere poteſt, quæ attinent ad finem, ratione cujus indagatio ſecreti ſit licita; reliqua contenta ſunt tranſilienda, & ſub ſecreto ſervanda.

QUÆR. VII. An Portinaria non impediens ingredientem intra clauſuram ſub prætextu facultatum peccet, & incidat in excommunicationem.

RESP. Affirmativè ex Gregorii XIII. Conſtit. quæ incipit *Ubi gratiæ*. Quia cum ex officio teneatur impedire, & non impediat, indirectè cooperatur, conſequenter ingredientem admittere cenſetur. Bonacina *de clauſ. q.* 1. *punct.* 6. *nu.* 25. qui pariter ſuſtinet in eandem excommunicationem incidere, quamvis nullo modo cooperaverit ingreſſui, ſi tamen perſonam ſic ingreſſam vel non expellat, cùm poſſit, vel diutiùs ſua locutione detineat; idem enim eſt, ac ſi admitteret, nam *admittere* in ſua propria, & rigoroſa ſignficatione importat etiam approbare jam factum, ut teſtatur Rebuffus *l.* 14. §. *rem admiſiſſe videtur ff. de verbor. ſignific.* Excommunicatio hæc eſt Summo Pontifici reſervata. Neque ad ipſam incurrendam requiritur præſumptio, cùm in præfata Gregorii Conſtitutione nullum adhibeatur verbum præſumptionem importans, ſicut in motu proprio Pauli V. adhibetur. Bonac. *loc. cit. num.* 18.

QUÆR. VIII. An peccet, & in eandem incidat excommunicationem admittendo, vel non impediendo ingredientes non ſub

præ-

prætextu facultatum, sed absolutè sine licentia.

Resp. Quòd sic. Quia Pontifex sub iisdem terminis eandem excommunicationis pœnam statuit contra admittentes, ac contra ingredientes, ibi, *Sub eadem excommunicationis pœna*. Cùm igitur excommunicatio contra ingredientes afficiat non solùm ingredientes prætextu facultatum, sed etiam ingredientes sine ulla prorsus licentia, ut ex stylo curiæ, Sac. Congregat. decretis, Doctorum auctoritate probavimus *supra cap. 7. §. 9. q. 2.* eadem excommunicatio afficiet etiam Portinariam non solùm admittentem ingredientes prætextu facultatum, sed etiam ingredientes sine licentia. Immò puto eadem excommunicatione ligari admittendo taliter ingredientes, etiam si existimet ipsos ingredi cum legitima facultate. Quia cùm ex officio teneatur inquirere de licentia, si omittit, tam est in dolo, quàm si sciens sine licentia admitteret, *Cap. fin. de clandest. desponsat. l. quod te*, §. *idem de reb. credit.* & ibi Gloss. Bart. Bald. & cæteri Doctores. Nec potest juvari à bona fide, quia, dum omittit inquisitionem, quæ ei incumbit ex officio, subintrat negligentia crassa, & affectata, quæ non excusat, sed habetur pro scientia, *Clement. 1. v. scienter de consanguinit. & affin.* Glos. *ibidem*, Anchar. & Tiraquel. Unde non potest excusare, nec inducere bonam fidem. Pasqualig. *in qq. Moral. juridic. q. 162. num. 8.*

Quær. IX. An peccet Portinaria admittens aliquem intra septa monasterii sine licen-

centia, ad tuendum illum à gravi damno in vita, bonis, aut honore.

Resp. Non peccare; quia ſicuti ingrediens in dictis caſibus non peccat, cùm lex poſitiva de clauſura non obliget ad ſui obſervantiam cum tanto rigore; ita neque Portinaria permittens ingredi perſonam illam peccabit, cum actio cooperantis bona dicatur, aut mala juxta bonitatem, vel malitiam actionis ejus, cui cooperatur. Duard. *in cap. omnis utriuſque ſexus t. 2. diſp. 16. ſect. 36. nu. 5.* & reſumitur ex Bordon. *reſ. 76. nu. 89.* ubi habet, quòd ſi religioſus actu à ſatellitibus curiæ laicalis inſecutus ſe reciperet intra clauſuram, cumque Portinaria admitteret, ibique per aliquot dies maneret, aliud ſecurius refugium non habens, & moniales id ignorarent excepta dicta Portinaria, quæ illum occultaret, nullum peccatum committeret tum religioſus ingrediens, & manens, tum Portinaria recipiens, quamvis aliàs talis religioſus eſſet culpabilis. Ratio eſt, quia ad laicos non ſpectat capere, aut corrigere religioſos, ſed ad ſuos Superiores. Neceſſe tamen eſt quòd inſecutio ſatellitum ſit actualis, & nullum aliud ſit effugium.

Quær. X. An Auſcultatrices propalantes, quæ occaſione ſui officii audierunt, peccent mortaliter.

Resp. Si id, quod propalant, vergat in grave alterius detrimentum, non eſt dubium peccare mortaliter, quia tam ex parte materiæ, quàm ratione officii ex pacto tacito ineſt gravis obligatio tacendi. Si verò leve alterius damnum ſequatur ex revelatione, dicen-

cendæ sunt mortaliter non peccare, parvitate materiæ excusante. Si prævideant, monialem ex revelatione etiam rei ex se indifferentis esse contristandam, peccant contra charitatem. Si detegant audita non ex animo lædendi, reverà tamen lædant, peccant mortaliter, vel venialiter juxta negligentiam, vel inconsiderationem; si enim hæc fuit gravis, erit mortale; veniale verò, si levis. Bassæus *v. secretum num.* 3. Tenentur tamen revelare Abbatissæ, si quæ viderint, vel audierint, religiosis moribus dissona, & regularis observantiæ destructiva. D. Thom. 2. 2. *qu.* 70. *art.* 1. *ad* 2. Auscultatrices enim sunt oculi Abbatissæ, adeòque ex officio tenentur explorare, & explorata referre, alioquin omittentes officio suo non satisfacerent, essentque causa indirecta scandalorum, quæ ex tali omissione possent oriri.

Quær. XI. An Auscultatrices, quando ratione officii assistunt collocutionibus, possint colloqui cum Regularibus accedentibus ad alloquendum cum moniali aliqua particulari.

Resp. Affirmat Pellizarius ex Bonacina, quia præsumitur tacita Superioris licentia ex regula connexorum, de quibus idem est judicium. Oppositæ tamen sententiæ adhæreo. Quia principium illud de connexis locum, habet quando connexa sunt inseparabilia, non sic si separabilia, ut communiter scribentes. Moniales autem cum licentia colloquentes, & Auscultatri-

ces

ces non sunt connexæ in ordine ad locutionem, siquidem loqui optimè possunt moniales aliæ, Auscultatricibus silentibus.

§. XI.

De Conversarum obligationibus, & Privilegiis.

QUÆR. I. QUænam in Conversarum receptione sint observanda.

RESP. Tam quoad receptionem, quàm quoad professionem ea omnia esse observanda, quæ supra de Novitiis choristis recipiendis, & admittendis sunt dicta; eadem enim praxis in utrisque servanda, ex Sac. Congregat. præter quàm in constitutione dotis; nam moniales velatæ tam intra, quàm supra numerum absque dotali eleemosyna non debent admitti: in monialibus verò Conversis non semper spectatur dos, sed aliquando necessitas monasterii, ex declaratione ejusdem Sac. Congreg. *die* 20. *Martii* 1596. qua necessitate cessante, exigendam esse à supranumerariis Conversis dotem duplicatam persolvi solitam, censet Tamburin. *de jure Abbatis. disp.* 5. *q.* 7. *n.* 1. juxta decretum Sac. Congreg. *die* 6. *Maij* 1604.

QUÆR. II. An Conversæ sint veræ religiosæ.

RESP. Quod sic; emittunt enim tria religionis vota, quæ religiosi status essentiam constituunt. Quare sunt incapaces proprii, & quidquid acquirunt, acquirunt monasterio, ipsisque est prohibitum testari.

Gaudent privilegio Canonis, & fori, quia sunt personæ ecclesiasticæ, & fruuntur omnibus Religionis privilegiis, quorum ratione sui status sunt capaces, quia verè per professionem sunt religioni incorporatæ. Lezazana *t.* 2. *qq. Regular. c.* 8. *n.* 29.

QUÆR. III. An Conversæ teneantur ad perpetuam clausuram.

RESP. Teneri, ex Bonifacio VIII. *c. periculoso de stat. regular. in* 6. Concil. Trident. *sess.* 25. *de regul. c.* 5. & ex Constitut. Pii V. quæ incipit *Cura pastoralis*. Ita quod neque possunt egredi ad ornandum Altare in Ecclesia exteriori. Sac. Congreg. 27. *Octobris* 1592. Neque ad effectum claudendi, vel aperiendi januam monasterii, sed hoc munus alteri extra clausuram degenti est demandandum. Eadem Sac. Congreg. apud Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 1. *c.* 44. *n.* 44. Si tamen alicubi vigeat consuetudo prædictas conversas egredi pro quæstu, poterit tolerari, ita tamen ut cessante monasterii necessitate, ipsæ quoque cessent à quæstu. Sac. Congreg. 14. *April.* 1615. & servatis conditionibus pro egressu ibi præscriptis, & à nobis supra relatis *c.* 7. §. 9. *q.* 13. quò Lectorem brevitatis gratia remitto.

QUÆR. IV. Utrum Conversæ teneantur ex præcepto recitare orationes, quæ sunt eis per regulam præscriptæ, sicut moniales choristæ horas canonicas.

RESP. Non teneri, quia regula, universaliter loquendo, non obligat ad culpam. Neque eadem est ratio de monialibus choro addictis, quia istæ non solùm tenentur ex

vi constitutionum recitare horas canonicas, sed etiam ex consuetudine universalis Ecclesiæ, quæ obligat illas sub gravi, ut diximus suo loco. Ita Peregrin. *ad Constit. sui Ordin. part.* 2. *cap.* 5. *litt. r.* Ubi subdit, quod, quamvis Conversæ teneantur de jure Divino preces ad Deum fundere pro benefactoribus, possunt tamen aliis orationibus, & piis operibus satisfacere. Imò suo modo pro benefactoribus orare censentur, dum monialibus orantibus inserviunt. Barthol. à S. Fausto *lib.* 6. *q.* 170.

Quær. V. An monialis professa, & choro addicta possit de Superioris auctoritate ad statum Conversarum transferri.

Resp. Contra Navar. *in c. quando de consecrat. dist.* 1. *q.* 21. *n.* 20. posse transferri, quia non variatur religionis status, sed illæsus manet. Debet tamen intervenire justa causa, quæ esse posset, vel punitio gravis delicti, vel ineptitudo ad alia munera. Ita Sotus, Aragon. Ledes. & Barthol. à S. Fausto *in suo Thesauro lib.* 6. *q.* 178. ubi addit, quòd monialis sic translata à divini officii recitatione fit libera. Quia hæc recitandi obligatio oritur ex consuetudine generali, in quantum est deputata ad chorum; unde eo ipso, quòd ex juxta causa, & Superioris auctoritate à chori obligatione est liberata, ab obligatione pariter officii debet censeri absoluta.

Quær. VI. An è contra monialis Conversa possit transferri ad statum monialium choristarum.

Resp. Affirmat, licèt cum aliqua formidine, Pellizarius *de monial. cap.* 1. *num.* 13.

ob rationem superiùs adductam, scilicet, quia per talem translationem non variatur status religionis substantialiter, sed tantùm accidentaliter, cum moniales laicæ, seu conversæ, & moniales vacantes choro adstringantur iisdem votis substantialibus, imò & iisdem obligationibus, excepta obbligatione recitandi horas canonicas. Ad hanc tamen translationem tria requiri, advertit Sanchez, *l. 6. moral. cap. 7. n. 81.* videlicet, causa justa, & gravis, consensus capitularis monialium, & licentia Episcopi, si moniales illi subdantur; Generalis verò, aut Provincialis, si sint exemptæ. Nullatenùs sufficit superioris localis licentia, quia hæc translatio gravis est, nec censetur Prælatis localibus concessa.

Negant alii posse fieri hujusmodi translationem inconsulto summo Pontifice; primò, quia obstat decretum Sac. Congr. jussu Clementis VIII. editum 19. *Maii* 1603. super receptione, & educatione novitiorum, quod ita habet: *Sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.* Secundò, quia sicuti sine Pontificis licentia nequit fieri transitus de arctiori ad laxiorem religionem, ita neque de statu arctiori ad laxiorem intra eandem religionem. Cum igitur status conversarum, utpotè ad inferiora ministeria deputatus, sit durior, & asperior, & juxta majorem, aut minorem austeritatem pensanda sit major, aut minor per-

perfectio quo ad transitum, ut per Sanch. *loc. cit. n.* 21. non poterit fieri transitus monialis Conversæ ad statum choristarum. Tertiò; principalis pars voti solemnis in Conversis sunt onera tali statui annexa, ita quod ex vi suæ professionis non teneantur obedire Superiori præcipienti aliqua ad statum Choristarum tantùm spectantia, cum professæ sint obedientiam secundum regulam, & regula ipsas non obliget ad aliquid ultra proprium statum. Sicuti ergo solius Pontificis est dispensare in eo voto solemni, ita & in hac principali parte.

Omisso nihilominùs an sufficiat solius Prælati licentia, an ulteriùs requiratur Pontificis dispensatio, censeo cum Lezana *t.* 2. *qq. regular. cap.* 8. *n.* 22. translationes hujusmodi non esse indulgendas. Tum ut Conversæ sequantur suam vocationem, qua vocatæ sunt, juxta præscriptum Apostoli 1. ad Corinth. 7. Tum ut auferatur ansa, vel occasio ambitionis, quæ ut plurimum ad talem translationem desiderandam eas solet impellere. Tum denique ut evitentur offensiones, æmulationes, & exprobrationes prioris status, quæ de facili magno cum scandalo possunt oriri. Certum enim est, quòd semper ex novitatibus mala excitantur, ac proinde tanquam pernicioſas reiiciendas esse, probat aliis adductis Valenz. *cons.* 70. *n.* 26. *& seq.*

Quær. VII. An eveniente casu hujusmodi translationis, debeat Conversa probationis annum repetere.

Resp. Videri quod sic, quia Conversæ non probant in suis novitiatibus omnes observantias, quas Choristæ; unde cum transferuntur, debent super his pariter experiri, & ita fuisse declaratum à Sac. Congregat. 1618. refert Peyrinus *tom.*2. *qu.* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 148. ubi contrarium sustinet; quia novitiæ non coguntur probare omnes austeritates, & observantias religionis; sed sufficit, quòd per annum permaneant sub obedientia suorum superiorum; additque, ita vidisse observatum in praxi, & decretum Sac. Congreg. citatum vel non esse autenticum, vel non esse usu receptum.

Quær. VIII. An Conversæ teneantur sub mortali exercere ea, ad quæ ex officio sunt deputatæ in Monasterio.

Resp. Peccare mortaliter, si notabiliter sint negligentes, quia in professione fit contractus inter religionem, & ipsas, per quem contractum religio illis omnia necessaria ad decentem statum promittit, ipsæ verò exhibent se religioni paratas ad ea munera, ad quæ per professionem sunt deputatæ. Quare ex justitia tenentur talia munera exhibere, alioquin peccabunt mortaliter contra justitiam. Peregrin. *loc. cit. litt. q.* ubi advertit non esse tam faciliter de peccato mortali damnandas, vel quia ad tam gravem obligationem non advertunt, vel quia Superiores tam rigorosè non exigunt, vel quia negligentia non est adeò notabilis, ut censenda sit constituere lethale peccatum.

Quær.

QUÆR. IX. An Converſæ poſſint aliquid exigere à monialibus particularibus pro famulatu ipſis præſtito de commiſſione Abbatiſſæ.

RESP. Negativè. Quia nequit aliquid exigi, aut recipi pro opere aliàs debito ex juſtitia. Sotus, Couvar. Medin. & Leſſius *de juſt. & jur. lib.2. cap.* 14. *dub.9. num.* 63. Illum autem famulatum monialibus tenentur præſtare Converſæ ex vi profeſſionis, & contractus initi cum Monaſterio, ut diximus, adeoque pro ipſo nihil poſſunt exigere, aut recipere; niſi fortaſſe eis detur in quandam liberalem remunerationem ſervitij præſtiti; quia ex una parte id quod datur ex gratitudine, non datur ut pretium ſervitij aliàs debiti; ex alia verò inter religioſos ejuſdem conventus ex præſumpta voluntate Abbatiſſæ permittitur aliqua donatio; nam quidquid acquiritur, ſemper conventui acquiritur. Llamas, Fagundez, Peyrin. Caramuel, & alii. Secus verò ſi aliquid daretur ob timorem, quòd ſegniter eſſent famulatum debitum præſtaturæ. Quia non cenſeretur dari ſponte, ſed coactè, Leſſius *loc. cit. nu.* 64.

QUÆR. X. An peccent Converſæ negligendo conſervationem illarum rerum, quæ ſunt earum curæ commiſſæ.

RESP. Peccare, quia tenentur ex juſtitia non ſolùm non diſſipare, ſed etiam conſervare res, quæ earùm curæ mandantur. Tum quia contra votum paupertatis eſt, bona monaſterii ex negligentia diſpergere; nam ut notat Layman *lib.4. trac.5. cap.7. n.6.*

posse rem arbitratu suo destruere, est actus proprius dominii; dominium autem repugnat paupertati.

QUÆR. XI. An excommunicatio lata ab Episcopo contra moniales cum extraneis colloquentes, vel ad januam, aut locutorium accedentes, afficiat Conversas.

RESP. Videri, quòd non, quia ut asserit Tuschus *litt. M. v. Moniales, concl.* 333. Conversæ non sunt verè moniales, quamvis Professionem emittant; differunt enim in multis, nempè nomine, exercitio, & in aliquibus locis non servant rigorosè clausuram, non habent vocem, non tenentur ad divinas preces, & multas differentias congerit Federicus de Senis *cons.* 213. Afflict. Franc. Abb. quos refert & sequitur Marcus Vidal. *in Arca Theolog. Mor. de Monialib. Inquisit.* 2. *n.* 91. Sed oppositum omninò sustinendum. Quia secundùm formalem significationem nomine Monialium veniunt etiam Conversæ, *can. ut lex* 27. *q.* 1. *c. non dubium de sent. excommunica.* Emittunt enim tria religionis vota, quæ essentiam religiosi status constituunt. Neque differentiæ adductæ extrahunt illas à formali statu monialium, quia sunt religioso statui extrinsecæ, & accidentales, atque adeò non mutant naturam rei. Abb. *cons.* 62. *in controversia n.* 8. *in fin. & n.* 9. *ver. de jure commun. lib.* 2. *& n.* 10. Januarius, & Diana *in opere coord. t.* 5. *tract.* 1. *ref.* 88. *n.* 2.

QUÆR. XII. An liceat Conversis per notabile tempus in die festo conficere, & coquere bellaria.

RESP.

Resp. Videri quòd non; opus namque servile est, & propriè pertinens ad servos, consequenter opus prohibitum. Oppositum nihilominus sustinendum. Sicut enim ex communi Doctorum sententia cum D. Tho. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 4. licitum est in die festo parare fercula quamvis superflua, & ad oblectationem tantùm inservientia, quia urget ratio aliqua necessitatis, & congruitatis, fundata in hoc, quòd hujusmodi fercula non ita suavia sunt, si altera die sint præparata: Ita licebit conficere, & coquere bellaria, cum neque illa ita congruenter se habeant, si sint anticipatè præparata. Imò stante consuetudine conficiendi dicta bellaria in die festo, ex tacito saltem Superiorum consensu, resultat probabilis conjectura, quòd non fuerit mens Ecclesiæ, sub præcepto abstinendi à servilibus tam ordinarias actiones comprehendere. Tamburin. *in decal. lib.* 4. *cap.* 3. §. 2. *num.* 10.

Et hoc locum habere etiam si bellaria vendantur extraneis, putant Sylvest. Angel. Rosel. Nald. & Sanch. *t.* 2. *cons. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 11. Quia lucrum non immutat operationem, ut cum aliis notat Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 25. atque adeo non facit, ut de licita fiat illicita. Ego tamen censo ex alio saltem capite non licere, scilicet, quia generaliter monialibus vetitum est parare, aut vendere cibos extraneis, exceptis rebus minimi momenti pro infirmis, ac consanguineis.

Sac. Congregat. teste Barbosa *lib.* 1. *jur. eccl. cap.* 44. *nu.* 58.

Quær. XIII. An liceat Conversis in die festo legumina à minutioribus purgamentis secernere, & diligenter emundare.

Resp. Affirmativè. Quia hoc quoque pertinet ad ciborum usum, quos parare licet in die festo per Doctores supra citatos. Tum etiam quia modicissimæ applicationis est hujusmodi occupatio, unde recreationis causa ab honestis etiam fœminis excipi solet. Non licebit verò, nisi aliqua gravis necessitas urgeat, farinam à furfure subcerniculo segregare, quia magnam exigit occupationem. Solùm excusabit à mortali materiæ parvitas, quam extendunt ad tres quadrantes horæ Bonac. Reginald. Joan. à Cruce, & alii; ad horam integram Azor. Suar. Sanch. Fagund. Palaus; ad duas integras horas Granad. Filluc. Enriq. & Diana; ad tres etiam horas ampliant Marchant. & Pasqualig. Quia octava pars respectu totius diei censetur exigua pars. Ego tamen à secunda sententia non recedo.

Quær. XIV. An Conversæ coquinæ deservientes, & parantes cibos pro numerosa familia sint immunes à jejunio.

Resp. Affirmativè. Quia in tali præparatione tractant cacabos, & ollas magnas, deferunt ligna, hauriunt aquam, huc, illucque discurrunt, ex quibus omnibus resultat labor valdè notabilis; & licèt pauca sint fercula, quantitas nihilominus cujuscunque ferculi parandi pluribus ferculis æqui-

æquivalet. Quòd si non laborant tota die, cum non habeant parare cœnam, tamen post prandium habent parare plura pro die sequenti; & deinde sufficit, quòd exercitium parandi prandium requirat magnum laborem, nam debent pro ipso conservare vires. Ita Pasqualigus *de jejun. decis.* 297. *nu.* 4. Ubi advertit, hoc quoque probabiliter procedere etiam, quando jejunia sunt de præcepto regulæ, quia regula, quamvis voluntariè susceptа, non obligat plusquam obliget lex, & ideo ipsa pariter desinit obligare, quando proportionaliter legis desinit obligatio.

Quær. XV. An Conversæ lavantes suppellectilem lineam, vulgò, *far la bocata*, excusentur à jejunio.

Resp. Excusari; quia hujusmòdi exercitium sive consideretur in præparatione eorum, quæ necessaria sunt pro lavatione, sive in actu ipso lavandi, sive in asportatione suppellectilis lineæ, ut Soli expandatur, & postea colligatur, inter laboriosa est reponendum. Et quidem labor ipsius excedit laborem nonnullarum artium, quas communiter Doctores admittunt inter excusantes.

Neque necesse est, ut exercitium hoc sit continuum, sed sufficit, quòd duret una, aut altera die, adhoc ut cesset pro illis diebus obligatio jejunandi; quia, sicuti obligatio est annexa diei, ita quando eadem dies habet aliquid incompossibile cum jejunio, excludit obligationem ad ipsum. Imò hoc pariter verum est, etiam si in

hoc exercitio non insumatur tota dies, sed tantùm bona pars ipsius; nam, cum sit exercitium laborioſum, requirit vires integras, & floridas, quod non contingit, quando vires macerantur per jejunium. Ita Pasqu. *loc.cit. dec.*304. Ubi etiam excusat complicantes suppellectilem lineam jam mundatam; quod an verum sit, judicent alii, ego enim in hoc non video laborem sufficientem ad excusandum.

QUÆR. XVI. An Conversæ inservientes mensæ frangant jejunium, si aliquid comedant immediatè antequam inserviant.

RESP. Non frangere, etiam si non indigeant ad vitandam debilitatem. Ita viginti Doctores, quos refert, & sequitur Pasqual. *loc. cit. decis.* 128. ubi addit comestionem illam posse esse in ea majori quantitate, quæ libuerit, ita ut, etiam si sit sufficiens ad constituendum prandium, non per hoc impediat, quin possint rursus, completo servitio, comedere. Ratio horum omnium est, quia prior illa comestio est moraliter eadem cum subsequenti; nam servitium illud, quod mediat, cum sit pars illius prandii, non interrumpit moraliter prandium; atque adeo comestio subsequens censetur complere priorem, & constituere unicum prandium cum ipsa. Neque requiritur intentio anticipandi prandium, sed sufficit, quòd opere ipso inchoetur. Imò etiam si proposuerint non comedere amplius post servitium, possunt mutare propositum, & rursum comedere, quia durat id per quod moraliter continuari potest subsequens comestio cum præcedenti.

§. XII.

§. XII.

De Tertiariarum obligationibus, & Privilegiis.

QUÆR. I. QUænam mulieres veniant nomine Tertiariarum.

RESP. Pro ut ad præsens nostrum institutum facit, venire mulieres illas, quæ vota essentialia non emittentes Regulam alicujus Religionis approbatæ servant in propriis domibus, & quandoque etiam in communi aliqua domo habitantes, ejusdemque Religionis habitum deferentes; quarum aliquæ juxta proprium profitendi modum à Summis Pontificibus approbatum emittunt votum simplex castitatis, vel obedientiæ, aliæ nullum nisi forsan obedientiæ, Casarub. *in Compend. privileg. mendic. v. Tertiarii n.* 25. Non sunt veræ religiosæ, nec illarum vivendi modus appellari potest religio, quia tribus votis essentialibus non ligantur. Casarub. Rodriq. Lezana *t.* 2. *qq. regular. cap.* 15. *n.* 7. Atque adeò dici non possunt Apostatæ, si ab eo statu recedant, matrimonio se copulantes, aut habitum deserentes. Peccabunt tamen in dimissione habitus, si illum per totam vitam voverunt gestare.

QUÆR. II. A quibus sint admittendæ ad habitum, & professionem.

RESP. Admittendas esse ad habitum à Superioribus Regularibus ad id privilegium habentibus, quales sunt Minores S. Francisci, Dominicani, Augustiniani, Car-

Carmelitani, Servitæ, & Minimi, Lezana *loc. cit. n.*8. *& seqq.* Debet tamen intervenire Ordinarii loci licentia, qui non aliter eam concedet, quàm si ei de qualitatibus ad id requisitis diligenti prævio examine constiterit. Sac. Congreg. 20. *Decembris* 1616. Non per hoc explorare debet earum voluntates, si domi degunt, & ibi cælibatus votum emittunt, ut ex Sac. Congr. refert Barbosa *in Collect. Bullar. v. Tertiariæ*. In manibus quoque alicujus Superioris eorum Ordinum, vel habentis à Superiore aliquo auctoritatem emitti debet professio, quam præcedere debet aliquod tempus probationis; cùm enim facultas recipiendi Tertiarias Prælatis Regularibus concessa intelligi debeat de personis idoneis, & pro talibus habitis, ad judicandum de illarum idoneitate, tempus aliquod est necessarium, Lezana *loc. cit. n.* 22.

QUÆR. III. Quænam qualitates in admittendis ad habitum requirantur.

RESP. Inter qualitates requisitas computandas esse illas, quas Sac. Congregatio Episcop. & Regular. 20. *Decemb.* 1616. observari præcepit. Prima, quòd non recipiantur ad habitum, *nisi spectatæ vitæ fuerint*, idest bonis moribus, seu virtutibus ornatæ. Secunda, quòd habeant *de proprio, ut inde sufficienter vivere possint*. Tertia, quòd sint *annorum saltem* 40. Quarta, quòd non habitent *cum aliis viris quàm cum consanguineis, vel affinibus in primo tantùm gradu*. Quinta, quòd non recipiantur, ut diximus supra, nisi *ab Ordinario loci licentia prius impetrata*. Sexta, quòd *in habitu deferendo omninò abstineant à velo*

supra

ſupra caput, quod ſuperjutum vocant, & à pectorali vulgo ſottogola, & à patientia. Nulloque modo tolerari debet, quòd, licèt domi habitantes, comam nutriant, cum habitus indecentia, & ſcandalo populi. Sac. Congreg. *in Hydruntina* 4. *Auguſti* 1625.

QUÆR. IV. An defectus hujuſmodi qualitatum irritet receptionem, ſeu profeſſionem prædictarum mulierum.

RESP. Videri quòd non, quia in decreto non apponitur clauſula irritatoria, neque Sac. Congregatio utitur verbo *non poſſint*, aut ſimili, ſed ſolùm *non admittantur*; bene verò peccare mortaliter decreti hujuſmodi transgreſſores. Lezana *loc. cit. n.* 40. Hæc tamen doctrina non eſt abſolutè admittenda, ſaltem quando deficeret Ordinarii loci licentia. Cum enim Sac. Congregatio utatur ablativo abſoluto, *ab Ordinario loci licentia prius impetrata*, inducit conditionem, ut notant communiter Doctores, & proinde etiam formam, Bald. Surd. relati à Paſqualig. *in Lauret. n.* 31. unde ſi non impleatur, admiſſio erit nulla.

QUÆR. V. Quibus Prælatis Tertiariæ ſubiiciantur.

RESP. Si loquamur de Tertiariis vitam cælibem virginalem, & caſtam non ducentibus ex voto, ſubjici Ordinario ex declaratione Sac. Congregat. apud Gavant. quem refert Lezana *loc. cit. n.* 35. qui *n.* 41. addit ſubjici pariter gubernationi Superiorum Ordinum, quarum ſunt Tertiariæ, quoad curam ſpiritualem tantùm; cùm enim ſint aliquo modo membra religionum, quarum

defe-

deferunt habitum, ſpecialem diligentiam de ſalute illarum ſpirituali tenentur habere. Caſarub. & Miranda apud d. Lezanam. Illas tamen punire non poſſunt, nec illæ peccant non obediendo.

Si verò ſermo ſit de Tertiariis vitam cælibem virginalem, & caſtam ducentibus ex voto, quia per declarationem Leonis X. *die* 1. *Martii* 1518. & decretum Sac. Congregationis ab Ordinarii juriſdictione ſunt exemptæ, conſequens eſt, ut Prælatis ſuorum Ordinum plenè ſubjiciantur, ne dicamus eas ſub nullius juriſdictione eſſe; atque ita poſſunt illas ſicut alios religioſos corrigere, & punire. Hinc Teodorus Stratius plura deducit, ſcilicet, Tertiarias hujuſmodi caſibus Epiſcopo reſervatis non ſubjacere; poſſe tamen Prælatos, quibus ſubſunt, quoad illas, ſicut quoad ſuos fratres, caſus aliquos reſervare, eaſque, ſaltem in foro conſcientiæ, ab omnibus criminibus, & exceſſibus, ac etiam cenſuris, & pœnis Sedi Apoſtolicæ reſervatis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ) abſolvere; nec non earum vota commutare, & cum illis in omnibus votis ſimplicibus, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis, diſpenſare, quia hoc ſpectat ad poteſtatem juriſdictionis; & illi habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Hæc tamen de mente Stratii ſint dicta.

QUÆR. VI. Qualiter peccent Tertiariæ ſuam profeſſionem tranſgredientes.

RESP. Delinquentes contra vota emiſſa peccare peccato ſacrilegii, non eſt dubitandum. Tranſgredientes verò ea, quæ in pro-

professione promittunt, nullum peccatum committere, etiam si obligatio regulæ respectu religiosorum aliquam culpam saltem venialem inducat, tradit Lezana *loc. cit. n.* 19. Quia etsi in professione utantur verbo *promitto*, nulla per hoc inducitur obligatio, praxi ita interpretante intentionem Pontificum talem modum vivendi approbantium, & Prælatorum Ordinum professionem hujusmodi suscipientium. Obligantur tamen ex Summorum Pontificum declarationibus apud Lezan. *loc. cit.* ad subeundam pœnam, sibi ob transgressiones regulæ à Superioribus suorum Ordinum infligendam.

QUÆR. VII. Quibus gaudeant privilegiis.

RESP. Gaudere suorum Ordinum privilegiis, quorum ipsæ sunt capaces, ex indultis Summorum Pontificum apud Lezan. *loc. cit. n.* 11. *&* 26. & præcipuè ex decreto Sac. Congregat. tenoris sequentis: *Sacra Congregatio censuit &c. hujusmodi mulieres, si vitam virginalem, aut cœlibem simpliciter expressè voverint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, privilegiis Ordinis, cujus Regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarii jurisdictione frui debere.* Undè gaudere privilegio fori affirmant Sylvester, Alterius, Duardus, & Pignatel. & ita declaravit Sac. Congreg. Immunit. *in Assisien.* 16. *Novemb.* 1655. & canonis, Gratian. Cassarub. Portel. & Lezana, præsertim, quia hoc non tam est privilegium, quàm jus commune competens cunctis personis

Deo

Deo dicatis; ac etiam exemptione à gabellis, eadem Sac. Congr. *in Tudertina* 4. *Augusti* 1627. Nec non indulgentiis concessis Ordini, cujus sunt Tertiariæ, ut constat ex concessione bullata Sixti IV. relata à Lezana *loc. cit. n.* 26. Quæ omnia intelligenda sunt concurrentibus qualitatibus juxta declarationem Sac. Congreg. Concilii requisitis, nempe si habitum assumpserint, & virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto vitam elegerint. An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, Ordinarii judicium spectetur. Sac. Congreg. Epis. 2. *Octobris* 1616.

QUÆR. VIII. A quibus recipere debeant Sacramenta.

RESP. Licèt Tertiariæ virginalem, cælibem, aut castam vidualem vitam ex voto ducentes possint quoad Sacramentorum receptionem uti privilegiis suorum ordinum, Lezana *loc. cit. n.* 34. Si tamen Ordinarii, vel Parochi jus illis administrandi Sacramenta etiam tempore Paschatis, vel aliàs in eis jurisdictionem acquisiverint, non posse ipsas de cætero adversùs Ordinarios, vel Parochos exemptione uti, sed observandam esse consuetudinem, censuit Sac. Congregatio apud Pignatel. *t.* 4. *consult.* 119. Sicut etiam fœminæ prædictam vitam non gerentes Eucharistiam in die Paschatis, extremam unctionem, & alia ecclesiastica Sacramenta (Sacramento pœnitentiæ dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote suscipere tenentur, ita enim decernitur in prædicta Bulla Leonis X. & Concilio Lateranensi.

QUÆR.

QUÆR. IX. Quo in loco ſint ſepeliendæ.

RESP. Tertiariæ, ſepulturam, *ubi voluerint, eligere valent*, ut habetur in Bulla Leonis X. & Concilio Lateranenſi. Quòd ſi de illis ſint, quæ nec virginalem, cælibem, aut caſtam vidualem vitam ducant ex voto, & non electa ſepultura decedant, in earum parochiis ſunt ſepeliendæ Parocho interveniente, qui pariter intervenire debet, etiam quando in Regularium Eccleſiis tradendæ ſunt ſepulturæ, ſi, dum vixerint, in ipſis elegerint tumulari, Barboſa *in Collectan. v. Tertiariæ*. E contra ſi de illis ſint, quæ virginalem, cælibem, aut caſtam vidualem vitam traducant, poſſunt in Eccleſiis ſuorum Ordinum ſepeliri à ſolis Regularibus, Parocho minimè requiſito, imò contradicente, Sac. Congregat. Epiſcop. *in Nepeſina* 11. *Decembris* 1615. apud Sell. *in ſelect. canon. cap.* 35. *num.* 20. & Sac. Congregat. Rit. *in Spoletana Terræ Viſo* 20. *Junii* 1609. apud Barboſ. *in Collectan. v. Regulares quod ſepulturam*. Etiamſi ſine ſepulturæ electione deceſſerint, quando tamen in dictis Eccleſiis communis ſepultura pro ipſis reperitur, Sac. Congregat. *anno* 1616. Ita ut ſi communis ſepultura in Eccleſiis ordinum, quorum ſunt Tertiariæ, non reperiatur, ſepeliri debeant in parochiis, quando contingit, eas ſine ſepulturæ electione decedere, ut habetur in eodem decreto.

QUÆR.

QUÆR. X. An Tertiariæ consequi possint legatum factum pro monachata.

RESP. Posse, dummodò habeant qualitates, *ut supra* in decreto Sac. Congregationis requisitas. Ita Diana *in opere coord. tom. 9. tract. 2. resol.* 175. alios citans, & ratio desumitur tum *ex* §. *sed hoc præsenti. Authen. de Sanct. Episc. coll.* 9. tum ex eo, quòd istæ sunt de ordine, ac modo vivendi approbato à Summis Pontificibus *in Clement.* 1. juncta Glossa *de relig. Domib.* & promittunt obedientiam, ut inquit Glossa *in d. Clement. v. obedientiam*, unde istæ sunt in aliquo sensu non improprio religiosæ. Hæc omnia juxta brevitatis nostræ institutum hucusque tradita S. R. Ecclesiæ censuræ omninò volo esse subjecta.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Prior numerus indicat caput, secundus paragraphum, tertius quæsitum.

A

ABbatissa tenetur sub mortali tollere transgressiones regulæ. cap. 11. §. 1. quæst. 1. Potest aliquando moniales errantes convitiis increpare. ibid. quæst. 2. Non est capax potestatis spititualis. ibid. quæst. 3. Unde non potest benedicere in loco publico neque aquam, neque vestes. ibid. Nec docere in Ecclesia, aut concionari, neque ex Summi Pontificis dispensatione. ibid. Potest solùm habere hortatorios sermones, ita tamen ut non utatur testimoniis Sacræ Scripturæ. ibid. Non potest dispensare moniales auctoritativè, benè tamen ministerialiter. ibid. quæst. 4. Non potest dispensare circa monialium subditorum vota, sed tantùm irritare. ibid. qu. 5. Etiam si sint emissa cum ipsius consensu. ibid. quæst. 6. Novitiarum vota irritare non potest. ibid. quæst. 7. Quomodo possit beneficia instituere, & Capellanias conferre. ibid. quæst. 8. An habeat jus suspendendi Clericos suæ jurisdictionis. ibid. quæst. 9. An habeat liberam administrationem bonorum sui monasterii. ibid. qu. 11. An teneatur de superfluis monasterii eleemosynas erogare. ibid. q. 23. Potest applicare bona opera monialium extraneis. ibid. quæst. 24. Tenetur transgressiones occultas inquirere, ut corrigat. ibid. quæst. 25. An possit, & quomodo præcipere mo-

monialibus in virtute ſanctæ obedientiæ. cap. 6. §. 1. quæſt. 5. v. *Obedientia, Electio.*
Alienatio quanto, & quomodo prohibita. cap. 11. q. 18. & ſeqq.
Annus probationis à quo tempore incipiat. cap. 2. §. 3. qu. 1. In qua ætate poſſint puellæ admitti ad annum probationis. ibid. qu. 2. debet eſſe completus. ibid. q. 3. & quidem de momento in momentum. ibid. quæſt. 4. nec non continuus. ibid. qu. 5. Quomodo, & quando interrumpatur. ibid. quæſt. 6. & ſeqq. debet compleri à puella habitu religionis induta. ibid. q. 10. poteſt protrahi juxta de cauſa. ibid. q. 11. & ſeqq.
Aromataria ad quid teneatur. cap. 11. §. 8. q. 1. Non poteſt inconſulto medico pharmacum infirmis præbere. ibid. quæſt. 2. Neque poculum moniali gravidæ ad procurandum abortum, ne fama periclitetur monaſterii. ibid. quæſt. 3. Poteſt lucri cauſa extraneis vendere medicamenta. ibid. quæſt. 4. Non tamen juxtà taxam aromatariis ſæcularibus factam. ibid. quæſt. 5. Non poteſt vendere quid pro quo. ibid. quæſt. 6. Poteſt donare conſanguineis quod illi deberetur ratione laboris. ibid. quæſt. 7. Non licet venenum vendere. ibid. qu. 8. Fallit in aliqno caſu. ibid. Non poteſt pharmaca conficere in die feſto niſi neceſſaria pro illo die ibid. quæſt. 9. Peccat ſi in componendis pharmachis non apponit omnia præſcripta à medico, item ſi vetuſta, & inutilia. ibid. q. 10.
Auſcultatrices an peccent propalantes, quæ audierunt occaſione ſui officii. cap. 11. §. 10. qu. 11. An poſſint colloqui cum regularibus. ibid. q. 12.

B

BEnedictio. Abbatissa debet benedici. cap. 9. §. 4. quæst. 5. quo die, & loco. ibid. qu. 6. ad quem spectet impertiri benedictionem. ibid. quæst. 7. an hæc facultas sit delegabilis. ibid. q. 8.

Benedicere non potest Abbatissa in loco publico neque vestes, neque aquam; benedicere tamen potest moniales, ad modum, quo parentes suos filios benedicunt. c. 11. §. 1. q. 3.

Baldachinum. Abbates habentes usum baldachini possunt illud erigere in Ecclesiis monialium sibi subditarum. c. 6. §. 3. q. 6.

C

CAstitas. Ad quid teneantur moniales ex vi voti castitatis. c. 5. q. 1. quando graviter, vel leviter peccent contra votum. ibid. qu. 2. quando peccent per tactus. ibid. quæst. 3. quando per aspectus. ib. q. 4. quando per verba, lectiones, cantilenas prophanas. ibid. qu. 5. quando litteris amatoriis. ibid. qæst. 6. quando per munerum receptionem. ibid. quæst. 7. quando persuasione, vel cooperatione. ibid. q. 8. & seqq. quando per superfluum ornatum. ibid. q. 14. quænam media sint apta ad tuendam castitatem. ibid. q. 18.

Cæca puella potest ad religionem admitti. cap. 2. §. 1. q. 7. Cæca tenetur recitare horas canonicas, si illas memoriter sciat. cap. 8. §. 1. q. 4. non potest eligi in Abbatissam. cap. 9. §. 1. q. 6.

Celleraria, cui bonorum monasterii cura incumbit, an possit aliquid de isdem bonis in justam donationem, aut alienationem expendere. c. 11. §. 9. q. 1. An remunerare merita, vel obsequia ab extraneis præstita. ibid. q. 2. An peccet distribuendo bona non juxta mentem Abbatissæ,

batiſſæ, ſed ſuo arbitratu. ibid. q. 3. An celandæ Abbatiſſæ ſummam notabilem pecuniæ expendendam in uſibus utilibus monaſterio. ibid. q. 4. Peccat negligens providere neceſſaria tam infirmis, quàm ſanis. ibid. q. 5. Item ſi largiùs diſtribuat amicis animo illas gratificandi. ibid. q. 6. Non poteſt ſibi aliquid applicare ob labores officii. ibid. q. 7. Poteſt aliquas eleemoſynas elargiri. ibid. q. 8.

Celleraria habens facultatẽ expendendi ſummam aliquam in utilitatem monaſterii, poteſt eam in eleemoſynas erogare. cap. 11. §. 9. quæſt. 9. Eleemoſynas, quas poteſt diſtribuere, poteſt etiam ſibi, vel aliis monialibus ejuſdem monaſterii applicare. ibid. q. 9. Non poteſt comodare, aut mutuare res monaſterii. ibid. q. 10. Tenetur ad reſtitutionem, ſi culpa ſua res monaſterii deteriorentur. ibid. q. 11.

Clauſura. Quid veniat appellatione clauſuræ. c. 7. §. 1. q. 1. An veniat limen oſtii. ibid. q. 2. An tectum. ibid. q. 3. clauſura eſt juris humani. ibid. q. 5. cuſtodia illius tam materialis, quàm formalis ſpectat ad Epiſcopum ibid. q. 6. etiam in monaſteriis exemptis. ibid. q. 7. competit Epiſcopo cumulativè quoad Superiores regulares. ibid. q. 8. quomodo debeat cuſtodiri. ibid. q. 10. à quibus ſervanda. ibid. q. 11. licentia ingrediendi clauſuram. *v. Licentia.*

Clauſura quoad ingreſſum Prælatorum. In quibus caſibus poſſint Prælati ingredi clauſuram. c. 7. §. 4. q. 1. Non poſſunt ingredi ſub prætextu interveniendi electioni, neque examini. ibid. quæſt. 2. Cardinales, & Epiſcopi non poſſunt ingredi clauſuram monialium ſibi non ſubjectarum. ibid. q. 3. In quibus caſibus poſſint Generales, Provinciales, & Viſitatores ingredi clauſuram monialium ſibi ſubjectarum. ibid. quæſt. 4. Quot perſonas poſſint ſecum ducere Prælati regulares. ibid. qu. 5. Quot poſſint ducere Epiſcopi ſ. ibid. q. 6. Quænam perſonæ eſſe debeant. ibid. q. 7.

Clau-

Clausura quoad officialium, aliorumque ingressum. Quando medicus, aliique inservientes possint ingredi clausuram. c. 7. §. 5. quæst. 1. & 2. Medicus extraordinarius non potest ad libitum monialium ingredi loco medici ordinarii. ibid. quæst. 3. Chirurgus, & Pharmacopola quando possint ingredi. ibid. quæst. 4. An, & quando Æconomi, factores, Syndici, & Notarii. ibid. quæst. 5. quid de aliis operariis ad servitium monasterii necessariis. ibid. quæst. 6. loco bajuli ad ferenda deputati quando possit alius intrare. ibid. q. 7. An concessa licentia Domino intrandi cum famulo, possit hic sine illo ingredi. ibid. q. 8. Ad expellendum malefactorem potest judex ingredi clausuram. ibid. q. 9. Infantes, & amentes non possunt admitti. ibid. q. 11.

Clausura quoad ingressum Confessarii. In quibus casibus possit ingredi clausuram. c. 7. §. 6. quæst. 1. An ad assistendum morienti. ibid. q. 3. An ad exequias peragendas ibid. quæst. 4. An ad effectum exorcizandi. ibid. quæst. 5. An ad celebrandum coram infirmis. ibid. quæst. 6. An ad sumendam particulam consecratam in Ecclesiam interiorem delapsam. ibid. quæst. 7. An ad benedicendum monasterium spiritibus infestatum. ibid. q. 8. ingressus ex justa causa potest ea occasione ibi præstare aliquid, pro quo exercendo ingredi non potuisset. ibid. q. 9. Quid observare debeat Confessarius ingrediens. ibid. q. 2.

Clausura quoad mulierum ingressum. An deficientibus monialibus conversis possint admitti in clausuram fœminæ, quæ monialibus inserviant. c. 7. §. 7. qu. 1. An electa una famula possit mutari, & alia substitui. ibid. qu. 2. An Reginæ, Imperatrices, & aliæ nobiles fœmine possint ingredi clausuram. ibid. qu. 4. & 5. Debent associari à tribus matronis. ibid. Cum duabus tantùm non potest. ibid. q. 7. Matronæ semel electæ non possunt

mutari. ibid. qu. 5. An monialis transiens ad aliud monasterium, si in via accedit ad locum ubi aliquod monasterium existit, possit ingredi, & hospitari. ibid. qu. 8. Viduæ de solius Prælati licentia non possunt ingredi clausuram. ibid. q. 9.

Clausura quoad puellas educandas. *v. Puellæ educandæ.*

Clausura quoad egressum. Ob quas causas possint moniales egredi. c. 7. §. 9. q. 1. & seqq. An licitus sit egressus ob morbum ita periculosum, ut desperetur salus, nisi egrediatur. ibid. qu. 3. An, & à quo debeat peti licentia. ibid. q. 4. An possit sine licentia egredi, si injustè vexetur. ibid. q. 5. In quibus casibus. ibid. q. 6. Non potest egredi ad habendam curam Nepotum. ibid. qu. 7. benè verò ut sit Abbatissa alicujus monasterii, & ob alias similes causas. ibid. q. 8. Item ad strictius monasterium. ibid. q. 9. aliquando etiam ad laxius monasterium, & diversæ regulæ. ibid. q. 10. Consulenda Sedes Apostolica, quando aliquod monasterium est transferendum. ibid. q. 11. Monialis cum licentia egressa non violat clausuram, si huc, & illuc vagetur. ibid. q. 12. possunt mitti Conversæ extra clausuram ad quæritandum. ibid. q. 13.

Clausura quoad accessum extraneorum. Accessus ad monasteria interdictus duo copulativè importat, scilicet locum, ad quem fit accessus, & locutionem. c. 7. §. 10. q. 1. Qui tantùm accedit, sed non loquitur, vel tantum loquitur sine accessu, non facit contra prohibitionem. ibid. quare non comprehenditur sub prohibitione locutio cum monialibus in domibus propinquis. ibid. neque transmissio litterarum, neque locutio idiomate à moniali non percepto. ibid. Neque locutio monialis altero tantùm audiente. ibid. Contra prohibitionem verò facit loquens per nutus, & signa. ibi. Item loquens per intermediam personam. ibid. Item loquens cum moniali, ipsa nihil

hil reſpondente. ibid. Alloquentes cum monialibus ſine licentia peccant mortaliter. ibid. q. 2. Nec datur parvitas materiæ. ibid. qu. 3. Quo jure tam ſæcularibus, quàm Regularibus ſit prohibitus acceſſus. ibid. q. 4. Prohibitio alloquendi moniales extenditur ad Abbatiſſam. ibid. qu. 5. & etiam ad Epiſcopos extra ſuam diæceſim commorantes. ibid. q. 6. An pueri, & puellæ impuberes afficiantur excommunicatione lata contra alloquentes ſine licentia. ibi. q. 9. An Advenæ, & Peregrini. ibid. q. 10. An colloquentes cum monialibus exemptis. ibid. q. 11. An Regulares, & moniales exemptæ afficiantur pœnis ab Epiſcopo indictis, ſi de ipſis fiat mentio. ibid. q 12. An afficiantur eadem pœna conſulentes, mandantes, vel cooperantes. ibid. q. 13. An pauperes oſtiatim mendicantes. ibid. q. 14. Ad quem ſpectet licentiam concedere accedendi ad moniales tam exemptas, quàm non exemptas. ibid. q. 15. *v. Licentia.*

Clauſura quoad pœnas, quibus ſubjiciuntur illam violantes. Prælati ultra caſus neceſſitatis clauſuram ingredientes quas pœnas incurrant. c. 7. §. 11. q. 1. Quæ pœnæ aliis ingredientibus ſint impoſitæ. ibid. q. 2. Quæ accedentibus ad colloquendum. ibid. q. 9. Quæ monialibus exterum introducentibus, vel admittentibus ſine licentia. ibid. q. 3. An dictas pœnas incurrant ſolùm ſuperiores viri, vel fœminæ. ibid. q. 4. Quid veniat nomine admiſſionis, vel permiſſionis prohibitæ. ibid. quæſt. 5. Quas pœnas incurrant moniales illicitè egredientes. ibid. quæſt. 6. Comitantes, & recipientes. ibid. Quinam comitatus, & receptio requiratur. ibid. quæſt. 7. An pœnæ afficiant monialem legitimo titulo egreſſam, ſi diutiùs immoretur. ibid. q. 8. Quinam poſſit abſolvere ibid. q. 11.

Coactio. Puellam coactam debet Epiſcopus è monaſterio educere. c. 2. §. 2. Dantur aliqui caſus, in quibus licet cogere ad religionis in-

greſſum. ibid. q. 4. excommunicantur cogentes ad ingreſſum. ibid. Decretum Tridentini intelligitur de coactione propriè dicta. ibid. q. 5. excommunicatio contra cogentes extenditur ad dantes conſilium, auxilium, conſenſum, aut favorem. ibid. q. 6. Ad incurrendam excommunicationem requiritur effectus. ibid. q. 7. Pro coactione inducenda ſufficit metus, ſi ſit gravis. ibid. q. 8. etiam reverentialis, ſi oriatur ex declaratione voluntatis parentum. ibid. q. 9. Peccant moniales ſcienter recipientes puellam coactam. ibid. q. 12. & contrahunt excommunicationem. ibid.

Cogere puellas ad ingreſſum monaſterii cauſa ſolius educationis quando ſit peccatum. c. 7. §. 8. q. 2. an prædicta coactio, quando eſt peccaminoſa, trahat excommunicationem. ibi. q. 3. quid ſi proveniat tantùm ex metu reverentiali. ibi. q. 4.

Collocutio. v. *Clauſura quoad acceſſum extraneorum.*

Collocutio. Prælati regulares non poſſunt colloqui ſine licentia. cap. 7. §. 10. q. 7. Neque Canonici Cathedralis. ibid. q. 8.

Communio. Tenentur moniales ad communionem ſingulis menſibus. c. 8. §. 3. q. 1. Poteſt indulgeri aliquando communio quotidiana. ibid. q. 3. Poteſt Epiſcopus præſcribere monialibus locum, & tempus recipiendi communionem. ibid. q. 4.

Communio. Monialis pergens ad communionem, ſi recordetur peccati mortalis, quid agere debeat. cap. 8. §. 3. q. 2. Non eſt peccatum poſt communionem immediatè pergere ad prandium. ibid. q. 5. Communio cum particula non conſecrata non eſt licita. cap. 6. §. 12. q. 7.

Confeſſarius monialium ſive exemptarum, ſive non à quo eligi debeat. c. 6. §. 6. q. 1. & 2. Ad quot annos eligi debeat. ibid. qu. 3. An poſſit à monialibus recuſari. ibid. q. 5. Quinam pro-

prohibeantur eligi in confessarios ordinarios. ibid. q. 6. & 7. Ex quo loco debeat audiri confessio. ibid. q. 8. Quale stipendium tradi debeat confessario. ibid. q. 9.

De officio confessarii, & quomodo se gerere debeat cum monialibus vel indispositis ad confessionem, vel versantibus in occasione proxima, vel aliàs malè confessis. c. 6. §. 7. per totum.

Quomodo se gerere debeat cum monialibus scrupulosis. c. 6. §. 11. per totum.

Confessarius quomodo se gerere debeat cum moniali habente visiones, & revelationes. cap. 6. §. 12. per totum.

Confessarius ingrediens clausuram. *v. Clausura quoad ingressum Confessarii.*

Confessarius extraordinarius, etiam Regularis, à quo eligi debeat, & approbari. c. 6. §. 11. q. 1. Quot vicibus debeat concedi. q. 2. & 3. An possit deputari pro moniali particulari, ibi. q. 4. An oblatum ab Episcopo possint moniales recusare, ibid. q. 5. An tempore jubilæi possint eligere non approbatum specialiter pro ipsis. ibid. q. 6. Quibus temporibus, & ad quot dies debeat deputari. ibid. q. 8. An tempus incipiat currere à die expeditæ licentiæ, vel incœpti ministerii. ibid. q. 9. An elapso termino possit perfici confessio in tempore habili incœpta, ibid. q. 10.

Confessio singulis mensibus à monialibus fieri debet. c. 8. §. 3. q. 1.

Confirmatio Abbatissæ à quo facienda. c. 9. §. 4. q. 1. An stante oppositione electio sit confirmanda. ibid. q. 2. Prælatus absens potest electionem confirmare, ibid. q. 3. Abbatissa electa non potest ante confirmationem ministrare. ibid. q. 4. Excipiuntur aliqui casus. ibid.

Confirmationis Sacramentum ministrari debet Novitiæ, antequam suscipiatur ad probationem. c. 11. §. 4. q. 1. item moniali, antequam consecretur. c. 3. q. 9. Non potest Episcopus ingedi clausuram ad illud ministrandum, sed de-

bet miniſtrari ad feneſtellam, c.7. §.4.q.2. Non poſſunt moniales ſuſcipere pueros in Confirmatione. c 11. §. 1. q.29.
Conſecratio monialium quando fuerit introducta. c.3.q.1. Ad quem ſpectet. ibid. q. 2. Quo tempore fieri debeat. ibid. q.3. quo loco. ibid. q. 4. in qua ætate. ibid. q.5. monialis conſecranda debet eſſe profeſſa, & virgo. ibid. An poſſit conſecrari corrupta, ſi communiter reputetur ut virgo. ibid. q. 6. Quid ſi per vim, & ſine ſua culpa, vel per medicinæ artem, ad ſanitatem tnendam, fuerit corrupta. ibid. q. 7. & 8. An debeat eſſe Sacramento Confirmationis munita. ibid. q. 9. An conſecratio poſſit iterari. ibid. q. 10. An, & quomodo conferat gratiam. ibid. q. 12.
Contractus. Quos Contractus poſſit celebrare Abbatiſſa ſine conſenſu Capituli. cap. 11. §. 1. q. 14. Tenetur Conventus ſtare contractui facto de conſenſu Abbatiſſæ, & majoris partis Capituli. ibid. q. 15. & 16.
Converſæ. Quid in earum receptione ſit obſervandum. c. 11, §. 11. q. 1. Sunt veræ religioſæ. ibid. q. 2. tenentur ad perpetuam clauſuram. ibid. q. 3. Poſſunt aliquando egredi ad quæritandum. ibid. Non tenentur ſub mortali recitare orationes indictas per regulam. ibid. q. 4. Choriſta poteſt ad converſarum ſtatum transferri, ibid. q. 5. Tenentur ſub mortali ad ea, ad quæ ex officio ſunt deputatæ. ibid. q. 6. Peccant negligendo conſervationem illarum rerum, quæ ſunt earum curæ commiſſæ. ibid. q. 7. An excommunicatio lata ab Epiſcopo contra moniales afficiat Converſas. ibid. q. 8.

D

Diſcretæ, ſeu Decanæ ad quid teneantur. c. 11. §. 2. q. 4. & ſeqq. Debent cum aliis intereſſe, quando ob bonum regimen monaſterii convocantur ab Abbatiſſa. ibid. q. 4. Nec poſſunt

sunt sine scrupulo tacere. ibid. q. 5. Etiam si prævideant, Abbatissam fore contristandam, & magis ex contradictione in sua sententia obfirmandam. ibid. q. 6. & 7. Tenentur de monialium transgressionibus Abbatissam admonere. ibid. q. 8.

Dos, quo titulo accipi possit in admissione monialis. c. 2. §. 5. q. 1. potest illam monasterium recipere, etiam si sit dives. ibid. q. 2. Ad quem spectet illam taxare. ibid. q. 3. Non potest monasterium pacisci de majori dote, quia puella est vilis. ibid. q. 4. An possit aliquid recipi ultra dotem. ibid. q. 6. An legatum dotis pro virginibus maritandis possit dari monacandis. ibid. q. 7. Cuinam competat dare dotem puellæ religionem ingredienti. ibid. q. 9. & seq. Non est liberum monialibus recipere puellam sine dote. ibid. q. 11. Quando debeat solvi. ibid. q. 12. Si facto depositio dotis moriatur depositarius, & hæreditas illius non sit solvendo, cuinam competat solutio dotis. ibid. q. 13. An ratione damni emergentis, vel lucri cessantis ex dilatione dotis possit monasterium aliquid ampliùs exigere. ibid. q. 14. An possit alienari dos tradi solita monasterio. ibid. q. 15. Dos non potest investiri sine debita solemnitate in ædificando monasterio. ibid. q. 16. benè tamen in redemptione census, & quando. ibid. q. 17. in quibus bonis debeat solvi dos. ibid. q. 18. & seq. monialis transiens ad aliud monasterium non defert secum dotem secundùm aliquos. ibid. q. 20. neque usufructum dotis. ibid. q. 21. Quid si secundum monasterium cogatur illam recipere. ibid. q. 22. & seq. monasterium non acquirit dotem Novitiæ morientis infra annum probationis, licèt professionem emittat ex privilegio. ibid. q. 24.

E

EDucandæ. *v. Puellæ educandæ.*
Electio. Quot annos ætatis, & professionis habere debeat eligenda in Abbatissam. c. 9. §. 1. q. 1. Super ætate neque Episcopus, neque Nuntius potest dispensare. ibid. Quid agendum si non adsit in monasterio habens requisita. ibid. quæst. 2. Illegitima eligi non potest. ibid. q. 4. Neque corrupta. ibid. q. 5. non tamen obstat corruptio secreta. ibid. Potest immediatè eligi Soror antecedentis Abbatissæ. ib. q. 7.

A quibus eligi debeat Abbatissa. c. 9. §. 2. q. 1. Quomodo debeat ferre suffragium monialis infirma. ibid. q. 2. Episcopus vel Superior regularis etiam in discordia eligentium non possunt ferre suffragium. ibid. quæst. 3. Quid agere debeat Superior, si contingat, moniales non esse concordes in electione. ibid. Quomodo eligi debeat Abbatissa. ibid. q. 4. An vota debeant esse secreta. ibid. q. 5. Quot suffragia requirantur. ibid. q. 6. Quo in loco fieri debeat electio. ibid. q. 7. Quinam debeant præsidere electioni. ibid. q. 8. Regulares tenentur notificare Episcopo electionem faciendam Abbatissæ. ibid. Non tamen Prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem. ibid. q. 9.

Ad triennium eligi debet Abbatissa. c. 9. §. 3. q. 1. Neque expleto triennio potest immediatè reeligi ad aliud triennium. ibid. q. 2. Si expleto triennio Abbatissa ex dispensatione eligatur ad aliud triennium, non potest rursus expleto secundo triennio de novo eligi absque dispensatione ad tertium triennium. ibid. q. 3. Electio à quo sit confirmanda. *v. Confirmatio.*

Egressus è Clausura quando monialibus sit licitus. *v. Clausura quoad egressum.*

Eleemosynas. Monialis de peculio sibi concesso potest aliquid in eleemosynam erogare pauperibus. c. 4. §. 2. q. 15. etiam consanguineis, & quam summam. ibid. q. 16. Abbatissa de superfluis

fluis tenetur eleemosynas elargiri. c.11. §.1. q. 23. Celleraria potest de bonis monasterii aliquas eleemosynas erogare. c.11. §.9. q.8.
Epycheja potest habere locum quoad dandum, & recipiendum sine expressa licentia Abbatissæ. c.4. §. 1. q. 17.
Exploratio voluntatis. *v. Voluntas.*

F

FEstum ab Ordinario loci præceptum tenentur moniales observare. c.8. §.4. q. 9. An in die festo sit licitum acu pingere. ibid. q.10.
Famulæ an introducendę intra claustra monialium pro earum obsequiis. c.7. §.7. q.1. debent servare clausuram. ibid. Possunt introduci etiam pro obsequio particularium monialium. ibid.
Fœminæ aliquando veniunt in materia odiosa cum viris. c.6. §. 5. q. 1. Possunt cum licentia Papæ aliquando ingredi clausuram. c.7. §.7. per totum; ubi quid debeant observare.
Fundatrices non possunt ingredi clausuram. c.7. §. 7. q. 4.

G

GEnerales non possunt audire confessiones monialium sui Ordinis sine Episcopi approbatione. c.6. §. 6. q. 2.

H

HErmaphroditus non potest recipi ad habitum religionis. c.2. §.1. q.5.
Horæ canonicæ. Moniales tenentur publicè officium divinum in choro persolvere. c.8. §. 1. q. 1. Non tamen uti singulæ. ibid. An teneantur in Choro recitare officium parvum B. V. Defunctorum &c. ibid. q.2. Canentes in choro non satisfaciunt, si ad partem alterius non attendant. ibid. quæst. 3. monialis, quæ ad chorum pergit hora jam cœpta, debet cum aliis

cantando pergere. ibid. Moniales tenentur ad privatam horarum canonicarum recitationem ibid. q. 5. Utentes Breviario monastico, an uti possint romano. ibid. q. 10. An teneantur recitare officia propria Sanctorum sui Ordinis. ibid. q. 11. An extra chorum teneantur recitare officia defunctorum, quæ pro benefactoribus in choro solent recitari. ibid. q. 12. An moniales gaudeant aliquo privilegio, per quod excusentur à recitatione officii divini. c. 10. qu. 13. An possint satisfacere præcepto, horas canonicas mentaliter recitando. ibid. q. 15. Gaudent privilegiis pro supplendis defectibus in officio divino commissis. ibid. qu. 16. Quid indulgeat Leo X. per orationem illam Sacrosanctæ, ibid. q. 17.

I

Janitoria qualis esse debeat. c. 11. §. 9. q. 1. Quando peccet non custodiendo januam ibid. q. 2. peccat non impediens, vel admittens ingredientem intra clausuram sub prætextu facultatum. ibid. q. 7. item ingredientem sine licentia, licèt non sub prætextu facultatum. ibid. qu. 8. Non tamen si illum admittat ad illum tuendum à gravi damno. ibid. q. 9. Peccant Janitoria & Rotaria non revelantes Abbatissæ delicta occultè ad januam, & rotam perpetrata. q. 3. item non impedientes missionem litterarum. q. 4. item curiosiùs inquirentes, quæ ad ipsas non spectant. q. 5. item aperiendo litteras monialium. q. 6.

Jejunium. Non tenentur, regulariter loquendo, moniales sub mortali ad jejunium Adventus. cap. 8. §. 4. q. 1. An ad jejunia indicta ab Episcopo. ibid. q. 4. An ad jejunia loci, quæ ex consuetudine obligant tam laicos, quàm clericos. ibid. q. 5. An teneantur ad jejunia regulæ ante annum vigesimum primum. ibid. qu. 6. An sexagenariæ. ibid. quæst. 7. An in jejuniis

juniis extra Quadrageſimam poſſint uti lacticiniis, ubi viget conſuetudo apud ſæculares. ibid. q. 8. An poſſint horam prandii conſuetam anticipare. ibid. qu. 9. An in jejuniis lætitiæ poſſint ſumere ampliorem refectiunculam. ibid. q. 10. *v. Infirma.*

Jejunium. Moniales S. Claræ non tenentur ſub mortali ad jejunia regulæ. cap. 8. §. 4. qu. 2. Poteſt anticipari jejunium ex voto, ſi incidit in Dominica. ibid. quæſt. 3. Concurrente eodem die jejunio præcepto à regula, & ab Eccleſia, violatio illius eſt duplex peccatum. ibid. q. 11. Poſſunt Moniales diſpenſari in jejuniis per proprium Confeſſarium. ibid. qu. 12. A jejunio excuſatur infirmaria in ſervitio plurimorum infirmorum occupata. cap. 11. §. 7. qu. 7.

Indulgentia. An moniales, ſive exemptæ, ſive non, gaudeant indulgentiis non ſolùm proprii Ordinis, ſed etiam aliorum. cap. 10. qu. 18. an moniales Sedi Apoſtolicæ, aut Ordinario ſubjectæ poſſint in ſuis templis exponere indulgentias Eccleſiis Ordinis pro ſæcularibus conceſſas, v. g. indulgentiam Portiunculæ. ibid. qu. 19.

Infirma. Novitia, quæ toto anno probationis fuit infirma, poteſt admitti ad profeſſionem. c. 2. §. 6. qu. 16. monialis infirma an teneatur juſſis medici obtemperare. c. 11. §. 6. q. 1. An in verendis teneatur chirurgi curam ſubire. ibid. q. 2. Peccat, ſi reſpuat humanum remedium, quod facilè haberi poteſt, ſoli ſe divinæ providentiæ committens. ibid. q. 3. item ſi illud reſpuat, ut citiùs ab hujus vitæ ærumnis ſit libera. ibid. q. 4. Item ſi bibat, advertens potum fore notabiliter nociturum. ibid. q. 5. An, & quando excuſetur à recitatione officii. ibid. q. 6. & ſeqq. An, & quando excuſetur à jejuniis. ibid. q. 13. & ſeqq. An, & quando excuſetur ab audienda miſſa. ibid. q. 17. Non licet monialibus infirmis celebrari facere in ſuis cellis. ibid.

q. 13. Infirma dubitans an teneatur recitare officium, jejunare &c. tenetur obedire Abbatissæ præcipienti, ne reciret, ne jejunet. ibid. q. 19. An possit acquirere in lecto indulgentias concessas visirantibus Ecclesiam. ibid. qu. 20. Monialis infirma quomodo debeat ferre suffragium in electione. c. 9. §. 2. q. 2.
Infirmaria qua diligentia debeat vacare suo ministerio. c. 11. §. 7. q. 1. in quibus præcipuè possit peccare. ibid. q. 2. An cum periculo vitæ teneatur parere Abbatissæ præcipienti, ut monialibus contagioso morbo laborantibus deserviat. ibid. q. 3. An possit licitè egredi è clausura ad vocandum medicum, vel confessarium. ibid. q. 4. In quibus casibus excusetur ab audienda missa, & à jejunio, ibid. q. 5. & 7. An in diebus prohibitis possit aliquid comedere carnium ad excitandum in infirmis appetitum. ibid. q. 6.
Interdictum. Quibus privilegiis gaudeant moniales tempore interdicti c. 10. q. 6. An iisdem gaudeant famuli, aliique monialium officiales. ibid. q. 7. Possunt aliquando tempore interdicti generalis publicè divina peragere. ibid. qu. 8. Neque vigore Tridentini sunt revocata privilegia. ibid. q. 9.

L

Largitio munerum. *v. Munera.*
Legatum dotis pro virginibus maritandis an dari possit monacandis. c. 2. §. 5. q. 7.
Legatum pro necessitatibus infirmarum non valet, si monialis ex instituto, solis eleemosynis vivant. cap. 11. §. 6. q. 27.
Licentia Episcopi pro renuntiatione bonorum. *v. Renuntiatio.* Superioris pro expendendo peculio. *v. Peculium*, licentia petita se confitendi alteri sacerdoti, & injustè negata, non dat facultatem ad actum. c. 6. §. 7. q. 9.
Licentia ingrediendi clausuram à quo sit concedenda. cap. 8. §. 2. quæst. 1. & 2. Non po-

teſt illam concedere Abbatiſſa. ibid. quæſt. 3. debet eſſe in ſcriptis. ibid. qu. 4. & ſpecialis. ibid. q. 5. In aliquo caſu eſt licitus ingreſſus ſine licentia in ſcriptis, vel oretenus conceſſa. ibid. quæſt. 6. An in tali caſu ſit poſtulanda ab Abbatiſſa. ibid. q. 7. Licentia abſolutè & indefinitè conceſſa extinguitur prima vice. ibid. quæſt. 8. Quænam cauſa requiratur ad concedendam licentiam. ibid. §. 3. q. 1. Neceſſitas debet ſe tenere ex parte monaſterii. ibid. quæſt. 2. ceſſante juſta cauſa tempore ingreſſus, non eſt tutus in conſcientia ingrediens, licèt adfuerit juſta cauſa tempore conceſſionis. ibid. q. 3. Finito miniſterio, ob quod ingreſſus eſt, peccat, ſi non ſtatim egrediatur. ibid. q. 4. Ingreſſus cum legitima licentia, & ex juſta cauſa, ſi fornicetur, delinquit contra præceptum clauſuræ. ibid. q. 5.

Ad quem ſpectet concedere licentiam accedendi ad colloquendum cum monialibus. c. 7. §. 10. q. 13. Epiſcopi poſſunt talem licentiam Regularibus concedere. ibid. q. 15. Ita tamen ut poſſint etiam denegare. ibid. q. 17. licentia pro una die, ſi quis utatur pro altera, non incidit in pœnas. ibid. qu. 18. licentia conceſſa ad concionandum non ſe extendit ad colloquendum. ibid. q. 19. Licentia non ſe extendit ad ſocium, ibid. q. 20.

Licentia egrediendi à quo debeat peti in caſibus permiſſis. c. 7. §. 9. qu. 4. *v. Clauſura quoad egreſſum.*

Litanias majores, & minores an teneantur moniales recitare ſub mortali. c. 8. §. 1. q. 2.

M

MAgiſtra Novitiarum à quo, per quod tempus, & cujus ætatis eligi debeat. c. 11. §. 3. qnæſt. 1. Ad quid teneatur, ut rectè ſuum munus exerceat. ibid. qu. 2. Quomodo debeat inſtruere novitias in regula. ibid. quæſt. 3. In qui-

quibus illas exercere. ibid. q. 4. An illas debeat regere in ſpiritu lenitatis, vel rigoris. ibid. q. 5. An, & quando percutiens novitias correctionis cauſa incidat in excommunicationem. ibid. q. 6. & ſeq.
Malefactor. Ad expellendum malefactorem poteſt judex ingredi clauſuram. c. 7. §. 5. q. 10.
Miſſa. Moniales non tenentur audire miſſam frequentiùs, quàm alii fideles. c. 8. §. 2. q. 1. Poſſunt aliquando illam omittere. ibid. q. 2. An teneantur procurare quotidie Miſſæ conventualis celebrationem. ibid. q. 6. Qualem Miſſam celebrare debeant earum Capellani. ibid. q. 7. Quot Miſſæ in Eccleſiis earum poſſint quotidiè celebrari. ibid. q. 8.
Munera. An, & quomodo munerum largitio ſit monialibus prohibita. c. 4. §. 4. per totum.

N

NOvitiæ. An illis debeat conferri Sacramentum Confirmationis, antequam ſuſcipiantur ad probationem. c. 11. §. 4. q. 1. An obligentur ad obſervantias regulares. ibid. q. 2. Non tenentur profiteri ſecundùm rigorem regulæ. ibid. q. 9. An Novitia frequentes ſtimulos, & lapſus carnis experta poſſit religioſa vota emittere. ibid. q. 10. An ſi religionis auſteritates Novitiæ ita ſint nocituræ, ut vita ſit notabiliter abbrevianda, poſſit profiteri. ibid. q. 11. An peccet egrediendo. ibid. q. 12. An egrediens teneatur ad expenſas factas à monaſterio. ibid. q. 13. volens diſcedere non poteſt impediri ex eo quod non ſolverit expenſas ibid. q. 14. Neque poteſt denegari profeſſio, ex quo noluit ſolvere expenſas debitas ex pacto. ibid. Novitiæ egredienti eſt reſtituendus habitus factus ſuis expenſis. ibid. q. 15. Novitia poteſt ſibi eligere ſepulturam. ibid. q. 16. Ubi ſit ſepelienda, ſi decedat non electa ſepultura. ibid. q. 17. quid ſi eſſet in propoſito redeundi ad ſæculum. ibid. q. 18.

18. Quibus expensis sepelienda. ibid. q. 19. Gaudet privilegio canonis, & fori. ibid. q. 21. & aliis privilegiis religionis. ibid. q. 22. Ex privilegio possunt profiteri infra annum probationis in articulo mortis. c. 2. §. 5. q. 23. & c. 11. §. 4. q. 20.

Novitiæ voto religionis obstrictæ non tenentur ad observantias regulares, cap. 11. §. 4. q. 3. neque tenentur implere vota personalia. ibid. q. 4. Ingredientes religionem ficto animo non tenentur novitiatum repetere, si mutata sententia profiteantur. ibid. q. 6. etiam post admissionem factam à Capitulo possunt dimitti nova causa emergente. ibid. q. 7. Præcedere debet novitia prius admissa ad professionem. ibid. q. 8. Novitiæ quando subduntur casibus reservatis. ibid. q. 5.

Numerus. Non possunt puellæ recipi supra numerum. c. 2. §. 1. q. 18. etiam si secum deferant dotem, ex qua valeant sustentari. ibid. q. 19. & si admittantur, earum professio est irrita. ibid. q. 20. Neque potest Episcopus numerum augere, licèt fructus annui augeantur. ibid. q. 21.

O

OBedientia. Quid sit votum obedientiæ. c. 6. §. 1. q. 1. In dubio obediendum superiori. ibid. q. 2. Quibus superioribus teneantur moniales parere. ibid. q. 5. An Abbatissa possit præcipere in virtute obedientiæ. ibid. q. 7. An possit præcipere omnia, quæ potest Prælatus regularis suis subditis. ibid. q. 8. An possit cogere monialem ad acceptandum aliquod officium, non obstante pacto in contrarium. ibid. q. 10. An superior possit imponere præcepta obligantia sub mortali in re levi. ibid. q. 11. Quænam sit forma faciendi præcepta obligantia sub mortali. ibid. q. 13. An verba præcipio, jubeo &c. obligent sub mortali. ibid. q. 14.

Oblatæ non tenentur eligere Præsidentem triennalem, sed possunt perpetuam. cap. 9. §. 3. q. 4.
Obligatio monialium erga propriam regulam. *v. Regulæ.* Obligatio canendi officium in choro cadit in superiores. *v. horæ canonicæ.*
Officium Divinum. *v. Horæ canonicæ.*
Ordinarius. An, & quomodo moniales subiiciantur Ordinario. cap. 6. §. 2. q. 1. An Vicario Generali, & Capitulo Sede vacante, ibid. q. 2. An moniales exemptæ possint Ordinario se subiicere. ibid. q. 3. Quando moniales exemptæ debeant subiici. ibid. q. 4. An subiiciantur Ordinario quo ad novi monasterii constructionem. ibid. q. 5. An moniales Ordinario subjectæ subjaceant casibus, quas ipse Ordinarius generaliter sibi reservat. ibid. q. 9. An possit reservare casus circa clausuram in Ordine ad moniales exemptas. ibid. q. 11. Quomodo moniales sive exemptæ, sive non, subdãtur Ordinario quoad officialium electionem. ibid. q. 13. & 14. An regulares concionaturi ad crates teneantur benedictionem petere ab Ordinario. ibid. q. 15.

P

Paupertas, quid sit, quos pariat effectus, quomodo, & quando violetur. c. 4. §. 1. per totum.
Peculium. Quomodo possit haberi à moniali. cap. 4. §. 2. qu. 1. an monialis possit aliquid de peculio ludo exponere. ib. d. qu. 9. an negotiationi. ibid. qu. 10. An fundare censum pro missarum celebratione post mortem. ibid. q. 12. An aliquid pauperibus elargiri. ibid. q. 15. etiam consanguineis, & quam summam, ibid. q. 16.
Peculium non potest expendi sine licentia superioris.

ris. c. 4. §. 3. q. 1. Quotuplex sit licentia. ibid. Quas conditiones debeat habere. ibid. q. 3. & seqq. Ad quem superiorem spectet licentiam concedere. ibid. q. 10. Ad quam summam possit se extendere superioris licentia. ibid. q. 11.

Percutiens monialem nulliter professam, sed ut professam reputatam, non incurrit in excommunicationem. c. 2. §. 6. q. 10.

Perfectio. Ad perfectionem tenentur tendere moniales. cap. 1. §. 1. q. 1. An sub mortali. ibid. q. 2. Quando peccent contra hoc præceptum ibid. q. 3.

Pœna. Quibus pœnis, & in quibus casibus subiiciantur moniales. c. 6. §. 5. per totum.

Portinaria, *v. Ianitoria.*

Prælatus Regularis habet in monialibus sibi subditis potestatem ordinariam. c. 6. §. 3. q. 1. non solùm directivam, sed etiam coercitivam. ibid. q. 3. In quibus subdantur suo Prælato regulari. ibid. q. 2. Potest quoad ipsas casus reservare. ibid. q. 4. Non tamen de bonis illarum disponere ipsis invitis. ibid. q. 5. Si habet usum baldachini, potest illud erigere in ecclesiis monialium sibi subditarum. ibid. q. 6.

In quibus casibus, & quo comitatu possint ingredi clausuram monialium subjectarum. c. 7. §. 4. per totum.

Qeando debeant illas visitare. c. 6. §. 4. q. 1. & seqq.

Privilegium. Moniales exemptæ gaudent privilegiis suorum Ordinum. c. 10. q. 1. Etiam Episcopo subjectæ. ibid. q. 2. Quomodo istæ possint uti privilegiis regularium, ad quorum usum requiritur ministerium Prælati regularis. ibid. q. 4. Quomodo possint uti privilegiis, ad quorum usum requiritur factum superioris habentis potestatem spiritualem. ibid. q. 5. Quibus privilegiis gaudeant tempore interdicti. *v. Interdictum.* Quibus privilegiis in recitatione officii. *v. Horæ canonicæ.*

Professio. Quid requiratur ad validam monialium

lium professionem. c.2. §.6. q. 1. & seq. Unde oriatur nullitas professionis. ibid. q. 3. & seqq. in dubio censetur valida. ibid. q.6. Monialis certa de nullitate, & destituta omni probatione non tenetur illam ratificare. ibid. q. 7. etiamsi dederit causam nullitati. ibid. q. 8. Quid requiratur ad ratificandam professionem. ibid. q. 11. Monialis ratificans professionem potest retinere locum debitum ex priori professione. ibid. q. 12. Ad quem spectet admittere novitiam ad professionem. ibid. q. 13. Potest reclamare, si injustè fuerit exclusa. ibid. q. 14. constito de gravamine potest Episcopus illam admittere. ibid. q. 15. Ad professionem potest admitti novitia, quæ toto probationis anno fuit infirma; ibid. q. 16. Qualis litteratura requiratur in Novitia. ibid. q. 17. Ad quem spectet acceptare professionem Novitiæ. ibid. q. 21. & seqq. quæ privilegia consequatur monialis ex emissione professionis. ibid. q. 23. Quale peccatum pœnitere de emissa professione. ibid. q. 24.

Puellæ educandæ possunt recipi in monasteria monialium servatis certis conditionibus. c. 7. §. 8. qu. 1. Si exeant à monasterio absque superioris licentia, non incidunt in excommunicationem. ibid. q. 5. Annus septimus requisitus ad hoc, ut puella possit recipi, debet esse completus. ibid. q. 6. Neque Ordinarius potest dispensare. ibid. Neque quòd per maneat in monasterio ultra annum ætatis vigesimum quintum completum. ibid. Per hoc, quod Puella non statim egreditur, non incurrit excommunicationem. ibid. An puellæ manentes in monasteriis exemptis subjaceant Episcopo. ibid. q. 7. Ubi debeant sepeliri, si contingat, eas mori non electa sepultura. ibid. q. 10.

Puellæ recipiendæ. Quæ conditiones sint attendendæ in puellis recipiendis. c. 2. §. 1. q. 1. Amentes in aliquo genere possunt admitti. ibid. q. 2. Item viduæ, & illicitè corruptæ. ibid. q. 4. Non verò Hermaphroditus. ibid. q. 5. nec scandalo-

sæ, flagitiosæ, aut excommunicatæ. ibid. q. 6. Conditiones præscriptæ à Sixto V. pro Novitiorum receptione, non extenduntur ad Moniales. ibid. q. 9. Non possunt recipi ante annum duodecimum expletum. ibid. q. 10. Requiritur monialium consensus. ibid. q. 11. & etiam licentia Episcopi, & Prælati cui subsunt. ibid. q. 12. requiritur licentia etiam quoad monasteria Regularibus subjecta. ibid. q. 13. Renuente Abbatissa possunt Moniales recipere puellam ad habitum; ibid. q. 14. Non tamen Episcopus, & Prælatus invitis Monialibus. ibid. q. 15. nisi monasterium indigeat. ibid. Peccant moniales rejicientes puellas idoneas. ibid. q. 16. Puella semel ac iterum capitulariter exclusa potest admitti. ibid. q. 17. & capitulariter admissa, ex justa causa potest repelli. ibid. Non possunt puellæ recipi supra numerum. ibid. q. 18. etiam si secum deferant dotem, ex qua valeant sustentari. ibid. q. 19. & si admittantur, earum professio est irrita. q. 20. Neque potest Episcopus numerum augere, licèt fructus annui augeantur. ibid. q. 21.

R

REceptio puellarum, *v. Puellæ recipiendæ.*
Regula quomodo obliget. c. 1. §. 2. qu. 1. Violatio regulæ ex contemptu est peccatum mortale. ibid. Non est contemptus violare regulam ex consuetudine. ibid. q. 2. Non tenentur moniales servare Regulam in suo primo rigore. ibid. q. 3. Tenentur reformationem amplecti. ibid. q. 4.
Renunciatio bonorum ante professionem quomodo facienda. c. 2. §. 4. q. 1. Qui contractus comprehendantur sub nomine renunciationis. ibid. q. 2. & seqq. Quænam solemnitates requirantur, ibid. q. 5. & seqq. Quo tempore facienda sit renunciatio. ibid. q. 13. Facta ante ingressum religionis valet. ibid. q. 4. Potest revocari non sequuta professione. ibid. q. 16. Requiritur licentia

tia Episcopi, & quinam veniant nomine Episcopi. ibid. q. 17. & seqq. An requiratur in scriptis. ibid. q. 20.
Repræsentationes quando possint fieri in Ecclesia c. 5. qu. 18. In repræsentationibus non peccant moniales dimittendo habitum. ibid. 17.
Reservatio. An Moniales Ordinario subjectæ subjaceant casibus, & censuris generaliter pro tota diœcesi reservatis. cap. 6. §. 2. qu. 9. & seqq. An moniales regularibus subjectæ subdantur casibus in religione reservatis. cap. 6. §. 3. quæst. 4. An Episcopus possit sibi reservare casus in ordine ad clausuram quoad moniales exemptas. c. 6. §. 2. quæst. 12. A quo debeant absolvi. ibid. An moniales possint à proprio confessario absolvi à casibus Papæ reservatis. cap. 6. §. 8. qu. 1. A quo in prædictis casibus debeat impetrari facultas. ibid. qu. 2. Quid circa casus Bullæ Cœnæ. ibid. qu. 3. An Episcopus possit illas absolvere ab hæresi occulta. ibid. q. 4. Quid de Prætatis regularibus circa moniales subditas. ibid. qu. 5. An moniales fruantur aliquo privilegio, quoad prædictam absolutionem. ibid. qu. 6. An possint absolvi per proprium confessarium à reservatis Episcopo. ibid. q. 7. & in quo casu. ibid. q. 8. & 12.
Revelationes, *v. Confessarius*.
Rotaria qualis esse debeat. cap. 11. §. 10. qu. 1. An peccet rotam non custodiens. ibid. qu. 2. in quibus aliis possit peccare. ibid. quæst. 3. & seqq.

S

SAcristana peccat mortaliter negligendo conservare lampadem accensam coram Sanctissimo. cap. 11. §. 5. quæst. 1. Item exponendo Sacerdotibus celebraturis vestes sacras laceras, aut notabiliter immundas. ibid. quæst. 7. Quando vestes censendæ sint notabiliter lacerræ,

ræ, aut immundæ. ibid. q. 8. Item convertendo veſtes ſacras in uſus prophanos, ſi retineant propriam formam: ibid. q. 9. ſecus verò amiſſa forma. ibid. q. 10. Non peccat, ſi illas vendat, & commutet, ut de melioribus provideat, ibid. q. 11. Poteſt tangere calices, & corporalia. ibid. q. 12. Non peccat, ſi aquam, in qua primùm lavantur corporalia, non proiiciat in ſacrarium. ibid. q. 13. Poteſt aliquid largiri Prælato occaſione ſuarum feſtivitatum. ibid. queſt. 16. Et etiam Capellanis. ibid. qu. 17.

Sacriſtana reſpondere poteſt in miſſa. cap. 11: §. 5. q. 2. Poteſt colloqui cum Capellanis. ibid. q. 3. Peccat admittendo Sacerdotes ad celebrandum contra ſuperioris prohibitionem. Item ſi admittat advenas ſine litteris teſtimonialibus. ibid. q. 4. & 5. etiam in monaſteriis exemptis. ibid. q. 6. Poteſt lavare corporalia, & purificatoria in die feſto, & etiam ornare templum, & hoſtias conficere. ibid. q. 14. Vacans per notabilem diei partem ornatui Eccleſiæ excuſatur à jejunio. ibid. qu. 15. Non licet miniſtrare prandium Confeſſario. ibid. q. 18.

Scrupulus. Traduntur variæ regulæ pro ſanandis monialibus ſcrupuloſis. c. 6. §. 11. per totum.

Sepultura. Moniales non poſſunt in propria eccleſia exteriori admittere perſonas laicas ad ſepulturam. c. 10. q. 10.

Sigillum. Qua diligentia debeat ſigillum cuſtodiri. cap. 6. §. 9. q. 1. Quænam cadant ſub ſigillo. ibid. q. 2. Quibus locutionibus frangatur ſigillum. ibid. q. 3. Frangitur aliquando per omiſſionem. ibid. q. 4. Item loquendo cum moniali extra confeſſionem de errore in confeſſione commiſſo. ibid. qu. 5. Item per uſum ſcientiæ habitæ in confeſſione. ibid. q. 6. Pænitens non tenetur ad ſigillum, ſed tantùm aliquando ad ſecretnm naturale. ibid. qu. 8.

So-

Soror. Pro tertia sorore solvenda est dos duplicata, & triplicata pro quarta. c. 2. §. 5. q. 3. Soror antecedentis Abbatissæ potest immediatè eligi. c. 9. §. 1. q. 7.

T

TErtiariæ, quænam dicantur. c. 11. §. 12. q. 1. A quibus ad habitum, & professionem sint admittendæ. ibid. q. 2. Quæ qualitates in eis requirantur. ibid. q. 3. An defectus hujusmodi qualitatum irritet receptionem, aut professionem. ibid. q. 4. Quibus Prælatis subiiciantur. ibid. q. 5. Qualiter peccent suam professionem transgredientes. ibid. qu. 6. Quibus gaudeant privilegiis. ibid. q. 7. A quibus recipere debeant Sacramenta. ibid. q. 8. Quo in loco sint sepeliendæ. ibid. qu. 9. An consequi possint legatum factum pro monacatu. ibid. qu. 10.

V

VIaticum. An possit moniali periculoso morbo laboranti, potenti tamen adire Ecclesiam ministrari in cella. cap. 11. §. 6. q. 22. moniali non potenti sumere Viaticum non potest deferri Eucharistia, ut adoretur. ibid. q. 23. In administrando Viatico possunt omitti verba illa *Accipe Soror Viaticum* &c. ibid. q. 24. Potest pluries in eadem infirmitate ministrari. ibid. q. 25.

Vicaria. An carens debita ætate, & tempore professionis possit eligi in Vicariam. c. 9. §. 1. q. 3. Vicaria an possit dici Prælata. c. 11. §. 2. q. 1. An possit monialibus præcipere ex vi voti obedientiæ. ibid. qu. 2. An possit eligi in Abbatissam. ibid. qu. 3. Tenetur cum aliis interesse, quando convocatur ab Abbatissa ad decernendum aliquid spectans ad bonum commune. ibid. q. 4. Nec potest

sine

ſine ſcrupulo tacere. ibid q. 5. etiamſi prævideat, quòd contra dicendo contriſtabitur graviter Abbatiſſa. ibid. q. 6. Imò etiam ſi ex contradictione Abbatiſſa magis foret in ſua ſententia confirmanda. ibid. q. 7. Peccat mortaliter non admonens de tranſgreſſionibus Abbatiſſam. ibid. q. 8.

Viſitatio monialium à quibus, quando, & quomodo fieri debeat. c. 6. §. 4. per totum. Monniales in viſitatione interrogatæ de regulari obſervantia, tenentur ſub mortali reſpondere. ibid. q. 5. In quibus caſibus excuſentur. ibid. q. 6.

Unctio extrema repeti poteſt in eadem infirmitate variato ſtatu. c. 11. §. 6. q. 26.

Voluntas puellarum à quo debeat explorari. c. 2. §. 2. q. 1. Semel tantùm exploranda, ſi alicubi ſit legitimè præſcriptum. ibid. ſi omittatur prima, ſufficit ſecunda. ibid. Utriuſque exploratio nis omiſſio eſt peccatum, ſed non irritat profeſſionem. ibid. Ad quid ſit ordinata voluntatis exploratio. ibid. qu. 2. Ubi fieri debeat exploratio voluntatis Novitiæ. c. 2. §. 6. q. 18. A quo tempore debeat Præfecta notificare Epiſcopo tempus profeſſionis. ibid. q. 19. An poſſit puniri Præfecta non notificans. ibid. q. 20.

FINIS.

CB
20 6743705
11 SE 17.